






1
6
247










PARALIPOMENON DE HISTORICIS GRAECIS CENTVRIAE, circiter, QVINQVE

Auctore.

BERNARDO à MALLINCKROT
DECANO MONASTERIENSI
& Electo Coadjutore Mindensi, nec
non Seniore Canonico
ibidem.



COLONIAE AGRIPPINAE
Typis viduæ HARTGERI VVORINGEN,
Anno M. DC. LVI.



PARALIPOMENON
Sive
SPICILEGII DE HISTORICIS GRAECIS AB ALIIS PRAETERITIS
LIBER SINGULARIS.

ABARIS SCHYTA, quem inter Græcos Poëtas refert Lilius Gregorius Gyraldus dial. 3. de Poetis ſcripſit Carmine Iter Apollinis ad Hyberboreos, & Hebri nuptias; ſoluta vero oratione Theogoniam. Ita Suidas. Videatur de illo Meurſius in Commentario ad Apolloniam Dyſcolum pag. 89. Veniſſe in Græciam ſcribitur Euſebio Cæſarē in Chronico Olympiade 25. quo tempore apud Medos Aſtyages, apud Romanos Servius Tullius regnarunt. Iamblichus in vita Pythagoræ cap. 36. Abarim Hyperboreum inter Pythagoricos Philoſophos recenſet, qui ſi de hoc noſtro locutus fuiſſe dicendus ſit, neceſſe fuerit admodum ſenem illius diſciplinam ſuſcepiſſe. Decem enim Olympiades interſunt ab adventu Abaris in Græciam & profectionem Pythagoræ in Italiā Videatur idē Iamblichus lib. 1. de vita Pythagoræ cap. 19. ubi expreſsè ſcribit, Ætatis Abarim fuiſſe provectæ, quo tempore ad Pythagoram in Italiam venit. Hic locus omnem tollit dubitationem.

Acantus Nicomedienſis refertur ab Athenæo lib. 5. cap. 13. his verbis: *Perdiccas enim annos quadraginta & unum ante Archelaum regnavit, ut Acanthus Nicomedienſis auctor eſt.*

Acilij hominis Latini, qui Hiſtoriam Romanam Græco ſermone ſcripſerit, meminit Livius lib. 35. ubi Claudium Quadrigarium in Annalium ſuorum compoſitione Azilianorum Librorum Græcorum ope uſum fuiſſe, docet. Videtur autem auctor illorum eſſe Caius ille Acilius, cuius teſtimonio originem Lupercorum probat Plutarchus in Romulo. Porrò Livius Piſonis, cognomen huic homini fuiſſe citato loco auctor eſt. Huius Auctoris meminit tiam Cicero libro tertio Officiorum, è quo uti etiam ipſomet Livio cognoſcimus inter alia ſcriptum eſſe ab illo Punici Belli ſecundi hiſtoriam & Annibalis in Italia res geſtas. Vocatur autem ſi non in omnibus ſaltem aliquibus Ciceronis

Excusionibus Attilius. Ita enim habet Editio Antvverp. Anni 1529. excusa à Melchiore Hillenio, quæ sola mihi hæc adnotanti ad manum erat.

Acropolites (cognomen videtur esse hominis, cujus principale nomen non additur;) apud Philippum Labbæum in Bibl. nova Anno 1653. edita occurrit, unde constat illum adhuc Parisiis superesse. Videndum est an hic sit Georgius ille Acropolites, cujus infra suo loco mentio habebitur.

AElius Dionysius traditur scripsisse de Alexandriâ (Ægypti ut puto nobilissima illa Metropoli; quæ à Magno Asiæ domitore condita ossium ejus conditorium facta est) cujus rei auctorem habemus Anonymum vitæ Scyllacis Careyandensis Scriptorem, editæ à Davide Hoeschelio una cum periplo ejus. Ejusdem Operis meminit Photius tmem. 161. ubi narrat Sopatrum Apameensem ex illo sumpsisse, quæ inter alia lib. 6. Excerprorum suorum complexus fuerit. Idem scripsit duos libros Atticarum dictionum de quibus idem Photius tmem. 152. Cum autem illic Halycarnassensem patria faciat, videndum an sit fortè Dionysius ille, quem Hadriani Imperatoris tempore vixisse, & Musicam Historiam 36. libris scripsisse Suidas refert. Id si sit, probabile fuerit Ælii nomen illum ab ipso Hadriano Augusto habere, à quo fortè civitate donatus sit. Vossius hunc allegat lib. 1. cap. 19. sed suo loco reliquæ Historicorum recensioni neglexit inserere.

AEnocles Rhodius scripsit de Coronistis, sive ut ego capio & interpretor, Coronistarum Historiam teste Athenæo lib. 8. cap. 10.

AEschines Milesius, quem civilem Scriptorem Diogenes Laërtius vocat lib. 2. in Æschine Socratico, videndum an Historicum Censum locupletare idoneus sit.

AEsopus rerum Alexandri Magni fabulosus Scriptor memoratur Radero in Prolegomenis ad Curtium cap. 4. Meminit ejusdem Vossius de Historicis Latinis lib. 3 pag. 654. qui tamen censet fictitium hoc nomen esse & Latinè potius à Monacho quodam scriptam fuisse Alexandrinam istam, quæ superest, plenam mendaciis vitam.

AEsopus alius Mithridatis Regis Anagnostes, scripsit opus de Helena, præterea Mithridatis Encomium. Suidas tom. 1. pag. 815. è quo illum referunt Volaterranus & Simlerus.

Agasthenes videtur non minus quam Andriscus res Naxiorum scripsisse. Testis advocatur ab Athenæo lib. 3. cap. 3. meminitque ejus ex illo Gerard. Ioan. Vossius lib. 3. de Histor. Græcis pag. 343. sed ita, ut in præclaro illo opere numerum non faciat. Fatetur etiam Simlerus in Bibliothecâ hunc nescio quid (ita ait) Historicum scripsisse.

Agathyr-

Agathyrsidis Samii librum Persicarum quartum, Stobæus in sermone de Fortitudine delibat. Dubitari tamen possit, an non sive Librarii, sive Typographi culpâ subsit huic nomini mendum, & Agatharchydem illic reponere oporteat. Hunc enim inter alia Persica scripsisse satis cõstat. Videtur autem quod diversi fuerint, licet cognatis nominibus vocentur, & in eodem communi argumento versati esse tradantur à patriâ utriusque argumentum sumi posse; alter enim Gnydius, hic Samius fuisse perhibetur.

Anarchides, quem refert Theophylactus Simocatta lib. 7. Mauritianæ historiæ c. 17. minoris dubii quam quod paulò antè de Agathyrside expendimus materia esse videtur. Disertè enim Gnydium illum patria facit ut omnino pro corrupto nomine verum Agatharchydis illic restituendum sit. Meminit illius dictus Auctor eo loco ubi de Nilo fluvio diversorum opiniones & testimonia refert ejusdemque de causis incrementi Niliaci sententiam omnium aliorum præfert.

Agis sive *Hages* Argivus Poëta refertur à Curtio lib. 8. & ab Arriano lib. 4. inter Comites Alexandri Magni & insigniores Adulatores, eumque Raderus cap. 4. Prolusionum, quas Curtio suo præmisit, ejusdem Regis gesta scripsisse ait, magis tamen, ut suspicor ex conjectura, quam quod ejus rei auctorem idoneum habuerit. Certè sine teste, quem quidam nominet, de illo quod dixi affirmat. Eundem, ni fallor, vel certè alium eidem cognominem testem laudatè Clementis Alexandrini lib. 1. Stromatum Eusebius lib. 10. Proparasc. cap. 12. estque ex iliis qui de Anno & die capti Ilii scripserunt. Sed quem Eusebius Agin, Illum Clemens Ægiam vocat, quod & Vossio libro 3. pag. 239. observatum est.

Agnonem parte 3. moralium, libro de solertia Animalium Plutarchus testem citat referens ex illo Historiam de Elephanto quodam quæ in Syria contigerit.

Agresphon suam apud posteros notitiam Suidæ debet qui de illo tom. 1. Editionis Portinæ pag 377. sequentibus agit, *Apollonius alius Tyaneus Philosophus Iunior, qui fuit temporibus Adriani Imperatoris, ut Agresphon in suo de Homonymis libro tradit.* Quare hic inter Historicos referri non debeat cum & titulum libri & relatum è Suida exemplum cogito & confero, causam nullam video.

Alexander Magnus, famosissimus ille Asiæ domitor, & conditor tertiæ Monarchiæ, videtur de Persica expeditione sua, & rebus in Asia à se gestis aliquid condidisse. Refertur certè inter auctores lib. 6. à Plinio, qui

eo libro Asiæ descriptionem complectitur. Videndum an huc forte etiam Strabo respexerit lib 15. pag.731. edita Casaubon. ubi de Susis Persarum Regia , Alexanderque de illa & circumjacenti regione judicio agit, ibi, *Vt ipse dicit.* Sed quicquid sit de Historia sive rerum gestarum commentariis , saltem epistolas superfuisse, quibus subinde fortunæ & progressuum suorum domi relictos fecerit certiores notum est, ac ipsemet in vita Alexandri Plutarchus Epistolam ad Antipatum refert.

Alexander Monachus Cyprius scripsit S. Barnabæ Apostoli vitam, quam è Metaphraste refert Surius tom. 3. ad diem Julii 24. scripsit illam rogatu Sacerdotis magni Ecclesiæ S. Barnabæ sacræ Antistitis & rectoris.

Alexander Myndius naturalium rerum scriptor fuit prout ex diversis Athenæi citationibus colligere est. Quoniam autem id argumentum etiam Historicè tractari potest, nec ad hominum solummodo facta Historia pertinent, non abs re visum fuit, in hac quoque serie, auctorem, quem dixi recensere. Iumentorum historiam ab illo scripram esse citatus Dipnosophistarum Scriptor tradit lib. 5, cap. 15. Ad eandem autem Physicarum rerum Historiam pertinet, quod Plutarchus narrat in vitâ Marii de duobus vulturibus exercitum maximi illius Imperatoris secutis. Obiter ejus meminit Vossius lib. 3. de Hist. Græc. pag. 242.

Amaranthus, quem de Scena scripsisse, auctor est Athenæus, lib. 8. cap. 6. non dubitem etiam Historicis annumerare eò quod Historiam Histrionum in illo opere absolvisse videatur. Locus Athenæi hic est: *Erat obsonii vorax etiam Leonteus Argivus Tragicus, discipulus Athenionis Iubæ Regis Mauritaniæ familiaris, velut Amaranthus testatur in libro de Scenâ, qui Iubam hoc Epigramma in illum scripsisse narrat*, &c.

Ammonium, qui inter cæteros in infami de Atticis prostibulis argumento versatus fuerit, refert Athenæus lib. 13. cap. 18. Videtur autem à Lampriensi cognomine suo diversus fuisse.

Ammonius Monachus Alexandrinus scripsit narrationem de Monachis in monte Sina & in Rhaytu per Barbaros occisis lingua Ægyptiaca quam in sermonem Græcum transtulit Ioannes quidam Presbyter. Extat manuscripta Parisiis teste Philippo Labbæo in Bibl. nova pag 71. qui tamen illic Bibliothecam in qua supersit non addit.

Amphionis Thespiensis librum de Museo in Helicone ex Athenæo refert Simlerus in Bibliotheca.

Anasimenes scripsit de Picturis antiquis teste Fulgentio in Mythologicis l. 3. Videant Critici, an verum hujus viri nomen Anaximenes fuerit, & an ab illius nominis Philosopho, quod suspicor, diversus esse censendus sit.

Anaxan-

Anaxandrides, à Plutarcho refertur in Quæstionibus Græcis.

Anaxicratis testimonio utitur Strabo libro 16. pag. 768. agens de rebus Arabicis.

Anaximander Milesius Thaletis discipulus, cujus filium cognominem è Diogene Laërtio & Suida Vossius de Græcis Historicis tractans refert, videtur & ipse inter eosdem collocandus esse, dummodo Geographos hoc honore privatos nolimus. Strabo equidem in ipso operis sui vestibulo inter Geographos illum recenset, ac deinceps eodem libro primo auctoritate Eratosthenis post Homerum cum Hecatæo cive suo principem Geographum constituit.

Androclidem, Plutarcho debemus, qui in Lysandro illum adducit referens ex illo execrabile & vaferrimum dictum hujus Machiavellicæ calliditatis Patriarchæ: *Pueros taxillis, viros jure jurando decipiendos esse.*

Andronici Callisti Monodia de misera Constantinopoli superest Parisiis manuscripta ut scribit Labbæus pag. 71. Biblioth. novæ suæ.

Annius Medius & Phœbion Stoicæ sectæ Philosophi à Longonio Platonico in proœmio lib. de Fine inscripti ita memorantur, ut inter Historicos vix illis locus videatur denegari posse. Refert illum Longini locum quo de sui seculi Philosophis, eorumque scriptis agit Porphyrius in vita Plotini, cujus eam partem, quæ ad rem nostram facit, huc transcribo. *Eorum igitur (ait) qui scripserunt, alii quidem nil ulterius composuerunt, quam collectionem aut transcriptionem quandam eorum, quæ antiquiores jam composuerant sicut Euclides & Democritus & Proclinus: Alii vero exigua valde ex antiquorum Historia memoriæ commendantes secundum eosdem locos, atque illi libros componere sunt aggressi velut Annius & Medius atque Phœbion.*

Anticles jungitur à Plutarcho in libro de Musica, Istro, quos ait Illustrationes (Græcè ἐπιφανείας) scripsisse.

Antigonus Statuarius de arte sua volumina condidit ut Plinius lib. 34 cap. 8. testatur, qui idem ejusdem nominis Scriptorem refert lib. 35. c. 10 qui de Pictura scripserit, eumque Franciscus Patritius lib. 2. de Pictura Veterum à priori diversum censet, quod ut incertum facilè in medio relinquo. Æquè autem & hoc in obscuro est, sive unius, sive diversorum eæ lucubrationes fuerint an & historicè illæ ab auctore sive auctoribus suis tractatæ fuerint de *Antilocho* vitarum Scriptore illustre extat testimonium apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromatum pag. 309 edit. Græco Latin. ita tradentem: *Antilochus autem, qui scripsit de omnibus viris doctis à Pythagoræ ætate usque ad mortem Epicuri.* Meminit ejusdem

Theodoretus lib. 8. contra Græcos pag. (mihi) 387. Varia tamen ejus loci Lectio, & quidam Codices Antiochum illic habent.

Antimachus Poëta & Grammaticus Colophonius an propter Thebaïdem suam sive Argivorum contra Thebanos expeditionem in hoc album recipi debeat, in medio relinquo. Videtur autem vel ob Lyden, quam scripsit, non minus quam alii, qui Metricè quidem ex historiæ tamen fide res gestas, sive vitas Illustrium aut Carorum scripserunt, non indignus esse qui hic exhibeatur. Agatarchides enim Gnydius nobilis sui ævi Historicus, Antimachi hujus Lyden inter alia, quæ scripsit in Epitomen contraxisse, à Photio traditur. Inter reliqua autem quæ non pauca dictus Agatharchides scripsisse reperitur, nihil occurrit, quod non Historici gustus sit, ut admodum verisimile fiat, nec in Lydes epitomatione à familiari studio suo recedere voluisse. Quod autem Gyraldus illam de Lyde lucubrationem Elegiam vocat, id non aliter præmissis attentis accipiendum videtur quam Elegiaco versu librum satis prolixum (si non libros) de isto argumento ab Antimacho compositum fuisse. Porrò Suidas & Interpres ejus Portus hanc Lyden Antiochi exponunt Lydorum Genealogiam. Vide illum tom. 2. pag. *326.* in ὀργεῶνες.

Antiochus Ægeus Cilix imperantibus Antonino Pio & Marco Aurelio, cui studia & doctrina Philosophi cognomen pepererunt, in Sophistica eloquentia florentissimus fuit. Inter cætera autem ingenii monumenta etiam historiam reliquisse, è sequenti Philostrati loco apparet: nam & hic inter Sophistas lib. 2. hujus vitam enarrat: *Cordi etiam habuit seria & operosa argumenta sicut cum pleraque ipsius indicant tum vel maximè* Historia, *sed enim specimen in ipsa dedit & dictionis & historiæ ita ut in ea quoque opera honesti studium emineat.* Ætas ejus inde colligitur, quod Dionysii Milesii, qui Isæum audivit, discipulus, & Polemonis, licet aliquot annis illo senior, coævus fuerit. An autem hic diversus sit ab illo Antiocho, quem è Ptolomæo Hephæstionis refert Vossius, quique de fabulis, quæ in unaquaque urbe ferantur scripsit, uti pro certo affirmari nequit, ita admodum mihi verisimile fit. Ac videtur sanè, ne quid de titulo operis loquar, qui cum Philostrati relato loco non admodum convenit, aliquantò antiquior fuisse ille Antiochus Photianus, quam ut cum hoc Sophista nostro unus idemque statui possit. Vix enim est ut qui sub Traiano & Hadriano vixit (is est Ptolomæus, quem dixi, de quo Suidas adiri potest) alicujus historiam citarit, qui demum sub Antonino & Marco floruerit.

Antipater Acanthius in Ptolomæi Hephæstionis historia nova testis laudatur apud Photium tmemate 190.

Antipatri Bostrensis Episcopi de S. Ioanne Baptista Orationem quæ encomium ejus continetur legere qui volunt possunt apud Surium tom.3.

Antipater Hierapolites, quem inter celebratiores Sophistas Philostratus recenset lib. 2. Septimii Severi Imp. Magister Epistolarum fuit, & in Epistolico charactere parem aliquem non habuisse celebratur. Inter alia autem Principis sui vitam & gesta scripsit eodem teste Philostrato cum ait: *Ad Historiam Severi Imperatoris gesta sumpsit.* Magna apud illum Principem viguisse auctoritate & potentia, dictus auctor in Heraclide & Hermocrate pluribus exequitur.

Antisthenes Cynicæ Sectæ conditor, discipulus Socratis inter reliqua Ingenii & doctrinæ suæ monumenta reliquit etiam Victoriarum libros meminitque eorum Athenæus lib. 5. cap. 15. Diogenes Laërtius in vita hujus Philosophi operi huic titulum assignat in singulari numero: De Victoria.

Antonius Scriptor vitæ S. Simeonis Stylitæ, discipulus fuit sancti illius viri. Citat illum Theophilus Raynaudus in Metamorphosi parte 1. cap. 15.

Apelliconem, de Aristotelis vita & moribus libros aliquot Apologeticos scripsisse auctor est Aristocles Philosophus Peripateticus lib. 7. de Philosophia, cujus egregium locum Euangelicæ suæ Proparascevi intexuit Eusebius Cæsar. lib. 14. cap. 2. Verba illius è Francisci Vigeri Rothomag. Soc. Iesu Sacerdotis Interpretatione appono. *Ad Hermiam quod attinet atque Aristotelis cum eo consuetudinem, cum alii hac de re multi scripsere tum Appellico potissimum, cujus sanè libros qui legerit, eos continuò calumniari desinet.* Plura de hoc Appellicone Teio ex aliis addi possent nisi tempus me aliò avocaret. Videantur de illo Strabo lib. 13. Plutarchus in Sylla, & ex recentioribus Franciscus Patritius in discuss. Peripatet. tom. 1. lib. 3. & 4. Obiit autem hic Appellico, ne ætatem hominis indicare prætermittam paulò ante captas à L. Sylla Athenas. Strabo cit. loco.

Apollonium AEgyptium, cum Chronographica prodiderit, non abstineo Historicis accensere. Ei rei probandæ & stabiliendæ afferam Theophili Antiocheni ad Autolycum de illo locum, qui lib. 3. sic habet: *Alii, qui mundum genitum esse affirmarunt dixerunt, ab ejus creatione myriades annorum transisse quindecim & annos ter mille & 75. Horum quidem auctor est Apollonius AEgyptius* Repetit deinde eadem denuò in sequentibus. Dubitat Meursius in syntagmate de Apolloniis an sit hic Memphites ille, cujus meminerunt Erotianus & Nicandri Scholiastes, an verò eodem nomine Alexandrinus ille Iunior, cui Dyoscoli cognomen fuit

fuit inditum. In priorem, si alteruter illorum fuerit animus mihi inclinat.

Apollonius Licinius P. Crassi libertus propositum habuit scribendi Græcorum idiomate C. Cæsaris Dictatoris gesta quod an præstiterit non æquè certum est. Videatur de illo Cicero lib. 13. ad familiares Ep. 16. quæ ad ipsum Cæsarem est.

Apollonium Parianum, qui de Paronymis scripsisse à Stephano de urbibus perhibetur, non dubitem huc transcribere.

Apollonius Stoicus scripsit libros aliquot de Mulieribus, quæ sunt unquam Philosophatæ, quæve quid aliud præclare gesserunt, & per quas familiæ aliquando in concordiam redactæ. Ita Sopater libro 10. Eclogarum apud Photium tmemate. 161. Videtur autem esse ille ipse, quem hujus nominis & sectæ prædictæ, patria Nisæum Strabo refert lib. 14. Meursius in syntagmate suo de Apolloniis hujus memoriam non habet.

Aratinus omnium Græci generis Poëtarum, de quibus fama super est antiquissimus à Dionysio Halycarnasseo lib. 1. Roman. Antiquitatum, tanquam in Historico, quantumvis Poëta, pro more seculi sui versatus argumento, testis producitur.

Arcadius Cypri Archi Episcopus scripsit vitam Simeonis, è quo locum affert Meursius in Glossario Græco-Barbaro pag. 81.

Arcesilai sive *Arcesilæ Pitanæi* Historiam Laërtius lib. 5. in vita Theophrasti memorat, referens Favorini testimonio ex illa Hermippum sumpsisse, quæ de Theophrasti jam veteli circumgestatione scripserit. Est hic nobilis ille Philosophus, quamvis à doctrina magis, quam morum castimonia commendatus, qui novam Academiam commentus est. Scriptorum illius, quod alias solenne habet Laërtius recensionem non instituit, qua facta si historiæ prædictæ mentionem non fecisset, suspicari fortè nonnemo posset, illam non ab ipso sed de ipso fuisse scriptam; verumtamen hæc & pleraque ejus generis alia, non tam asserimus, quam Iudiciosi & versati in antiquorum scriptorum lectione Lectoris judicio submittimus.

Archelaus Cyprius de Stesichoro Poëta ejusque amica Helena nescio in quo Opere quædam scripsisse refertur à Ptolomæo Hephæstionis, cui Chenni cognomen fuit, qui illius nixus testimonio in dubium revocat quæ de excæcatione & Palinodia illius Poëtæ ab aliis affirmantur. Videatur Photius tmem. 190.

Arginote, Mulier docta & Philosophicis studiis dedita, scripsit, res gestas Dionysii, (senioris ni fallor,) teste Clemente Alex. l. 4. Stromatum.

Ariphanes à Iosepho lib.1.contra Apionem, inter illos recensetu Græcorum Historicos, qui in scriptis suis Iudæorum meminerint.

Aristarchi Chronographi, qui Epistolam de S.Dionysio Areopagitâ Parisiorum Episcopo inter alia (nec enim illius solius intuitu dicto illum epitheto honorasset) scripserit, Hilduinus meminit in Areopagiticis suis. Hunc præterit Vossius in suo de Græcis Historicis opere, cui tamen incognitus non fuit, nam obiter illius meminit occasione Visbii lib. 1. de Historicis Latinis cap. 29.

Aristæum ab Aristæâ Proconnesio in eodem Historicæ Scriptionis versatum argumento diversum, refert Gyraldus Dial. 3. de Poetis, pg. 94 quem ait scripsisse carmine variam Historiam Heroicῶν Theogoniῶν titulo inscriptam, librisq; multis digestam. Auctorem autem, cuius fidem eâ inre sequatur, non exprimit ità ut tantò difficilius sciri possit, quantùm testimonio eius cuius fundamentum ignoramus fidi debeat. Fuit hoc nomine Pythagoricus Philosophus, ipsiusq; Pythagoræ in scholâ successor, de quo in vitâ huius Samii Sapientis Iamblichus cap. 23 & 36, qui an ab hoc alius vel cum illo idem fuerit, non ausim definire. Vixit etiam hoc nomine vir doctus aliquis Philostrati ævo, qui eius meminit in Dionysio Milesto Sophista, vocans illum Græcorum omnium, qui ævo suo vixerint antiquissimum. & qui plurima de Sophistis noverit.

Aristeas, ut Vigerus vertit sive Aristæus (Græci enim textus Amphibologia incertitudinem Lectoribus facit) Iudaicam Historiam scripsit, vel certe Israeliticæ Gentis & Vicinorum res, reliquo operi suo intermiscuit. Memoratur Eusebio lib. 9. Proparasc. Evangelicæ cap. 29. ubi de Iobo ex illo refert. Non videtur autem ligatâ, scripsisse oratione adeoque à Scriptore variæ Historiæ, quem ex Gyraldo retuli, diversus fuisse creditur. Nec est à vero absonum esse eundem, qui Historiam Ptolemaici convivii (ita Iosephus lib. 12. Antiq. Iudic. cap. 2.) & versionis Bibliorum per LXX Interpretes factæ, ut vulgò, creditur confecit. Certe Alexandro Polyhistori antiquior fuit, e quo relatum à se Aristæi locum Eusebius sumpsit.

Aristeas Argiuus apud Eusebium occurrit lib. 10. Evangelicæ Proparasceves cap. 12. ubi de Api Argivorum Rege agit, quem ex hoc Aristæa cum Ægyptiorum Sarapi, quod & aliis proditum est, eundem esse compilatus illo capite Clemens Alexand. ait, Probabile igitur videtur res patrias ab illo in litteras fuisse missas.

Arianus Heracleam scripsit, cuius operis librum primum adducit Athenæus lib. 3. Dynosophi. cap. 4. Magis autem mihi probatur de Ge_

ſtis Herculis ab illo actum eſſe, quam de Vrbis eo nomine dictæ hiſtoria. Ita videor ex iis colligere, quæ dictus mihi Auctor ex illo excerpſit. Meminit etiam Ariani, qui res Romanas ſcripſerit. Evagrius lib. 4. Eul. Hiſtor. Cap. ult. Sed ille Arrianum Iuniorem intelligere videtur. qui aliquot Imperatorum vitas ſcripſit, à Voſſio Relatum.

Ariſtobulus Poeta qui Alexandri Magni res ſcripſit , vt Plutarchus teſtatur, videtur alius eſſe ab illo quem eiuſdem materiæ tractatorem Arrianus præcipuè ſequi profitetur. Poeta enim ille non ſatis bonâ fide maximi Regis geſta navaſſe culpatur, quod procul ab illo eſſe neceſſe eſt, cui ſtudioſiſſimus veritatis, quem dixi, auctor adhærere, & ſubſcribere profiteatur.

Ariſto quidam, ſive is Ceus, ſive Chius, ſiue quis alius, quod magis puto, fuerit, ſcripſit librum titulo, Athenienſium Coloniâ, ut Plutarchus auctor eſt in libro de Iſide & Oſiride cap. 41. Id quamuis ſingulariter poſitum de Coloniis ab Athenienſi populo deductis capiendum arbitror. Complures illarum in varias & diverſas terrarum partes emiſſas eſſe, cum ex hiſtoriis antiquis cognoſcitur , tum Meurſius oſtendit in ſuo de Atticâ Fortuna libro.

Ariſtodemus Car Philoſtrati Lemmij eius nominis primi , cui libri duo Iconum adſcribuntur, à Meurſio in diſſertatione de Philoſtratis, Syncronus, fuiſſe traditur. Scripſit Picturæ hiſtoriam, qua de re audiendus eſt ipſe Philoſtratus in principio lib. I. Iconum, ubi è Stephani Nigri interpretatione; ita ſcribit de picturâ loquens. *Quicunque autem ad huiuſce ſcientiæ culmen pervenerint, quotq; civitates ac Reges ſtudio ipſam proſecuti fuerint, tum ab alijs tum ab Ariſtodemo e Cariâ oriundo , litterarum monumentis mandatum eſt.* (apud) *quem ego quadriennium picturæ cauſâ hoſpitatus ſum. Pingebat enim ad Emeli ſapientiam , multam ipſi addens Venerem.* Ita ille ; e quo diſcimus non ſcripſiſſe tantum de Picturâ ſed excellentem quoq; pictorem fuiſſe. Eſt autem diverſus & alius ab omnibus illis homonymis , quos plures Voſſius refert, nullo non illorum tempore poſterior. Meminit etiam Plinius lib. 15. cap. 10. Ariſtodemi Pictoris, qui Nicomachi parens ac magiſter fuerit, ſed & ipſe adhunc noſtrum nil attinet.

Ariſtodemus. Sive is præcedens ſit ſive aliquis ex relatis à Voſſio pag. 108. 109. & 155. Scripſit rerum Thebanarum. hiſtoriam è Suida citatam ab Andreà Schotto ad Græcorum adagia pag 547.

Ariſtonicus Grammatticus Strabonis contemporaneus ſcripſit Itinerarium cui inſcriptionem præfixit de Erroribus Menelai. Auctor eius rei citatus Geographorum Princeps lib. 1.

Ariſto-

Aristophanes Boeotus apud Plutarchum habetur in libro de Herodoti Malignitate. Quantum ex illo loco colligere datur, dici potest res patrias ac Thebanas præcipuè complexus esse, inq; illis Herodoti de civibus ac patriotis suis mendacia coarguisse. Ista clarius adhuc elucent è Suida, qui tomo 2. in voce ὁμολώιος librum secundum rerum Thebanarum Aristophanis in medium affert.

Armenio, una cum Varino adscribitur vita S S. Chrysanthi & Dariæ, quam Metaphrastes refert, & ex illo Surius post Lipomanum mutuatus est, atq; tomo quinto inseruit pg. 348.

Arrianus Poeta, longè diversus à cognomine Philosopho Nicomediensi, cuius inter alia octo libri exstant rerum Alexandrinarum, scripsit itidem de Regis illius gestis lib. 24. Epiro Carmine. Auctor eius rei post Suidam, quamvis illam non nominet Matthæus Raderus in Prolusionibus Curtianis.

Artemon Magnes sine dubio à Clacemenio & Pergameno Vossio non præteritis (id vel sola satis evicerit patria) diversus, scripsit Narrationes de rectè factis mulierum, quas compilavit & libro secundo Excerptorum suorum inclusit, Sopater Sophista Apameensis, ut legere qui volunt aut Photium possunt, tmemate 161.

Artemon sive is ex illis fuerit, quos hoc nomine memorat Vossius, aut ille ipse sit, quem modo retuli, sive ab illis omnibus diversus, scripsit de Pictoribus teste Harpocratione in Lexico.

Artuasden Armeniæ Regem præter Orationes & Tragœdias etiam Historias scripsisse, easq; suo adhuc tempore superfuisse Plutarchus auctor est. Idem opus Historicum Appianus quoq; citat, sed auctoris nomen, in quo mirè Scriptores variant, paulò aliter ab illo exprimitur. Est autem Rex ille primus inter illos, qui eo nomine Armeniis præferunt.

Asius apud Apollonium reperitur de Deorum Origine lib. 3. fol. 10 ubi de Callistonis patre quæritur, quem hic Nyctеum fuisse tradidit. Eundem hunc credo esse cum Asio Poeta, quem Strabo adducit lib. 6. referens ex illo de Menalippes puerperio. Eiusdem non semel testimonio Pausanias lib. 7. e quibus locis omnibus & singulis satis apparet hunc auctorem ex illis fuisse, qui antiquissimis temporibus historias carmine scripserunt. Ità disertè affirmat idem Pausanias lib 4. ubi in eodem cum Cinæthone, de quo infrà, argumento se exercuisse, & Gentilitates ut Latinè interpres vertit scripsisse traditur, id est, ut res ipsa clamat, Heroum & Illustrium virorum Genealogias. Quæri potest an hic sit Philosophus ille & Initiator, quem Trois Regis & conditæ ab illo Troiæ tempore vixisse, Asiamque ab illo nomen accepisse Suidas scribit in voce Palladium.

Ascanius Abderita à Diogene testis adducitur lib. 9. in Pyrrhone Eliensi referente ex illo, quo fuerit dictus Pyrrho usus philosophandi genere. Non potest autem ex illo loco satis comprehendi, an Philosophus vel Historicus, vel Criticus & Philologus aut etiam alius, hic Ascanius fuerit, de quo hactenus apud alios Auctores, vel etiam hunc ipsum Laertium quicquam præterea necdum comperi. Quod si Philosophis annumerandus sit, fuerit ipse quoque Scepticæ Hæreseos, Sectator ergà quam studium & affectum suum apertissimè prodit, quando Pyrrhonem nobilissimè Philosophiam tractasse ait.

Aspasius Biblius scripsit patriam historiam de Byblo teste Suida pg. 456. tom. 1.

Asclephades Myrleanus cuius strabo meminit lib. 3. & in Turditaniâ (Hispaniæ provincia est) Grammaticam docuisse scribit, in literas misit descriptionem in illis regionibus agentium ut idem Strabo citato loco auctor est. Hunc diversum esse suspicor ab illiùs cognomine qui sub Ptolomæo Philopatore Ægypti ac deinceps sub Attalo ac Eumene Pergamenis Regibus vixit. Ac videtur cum illo idem esse, quem Suidas Magni Pompei tempore etiam Romæ professum esse scriptum reliquit, atque eâ ratione integro ferè seculo antiquiori isto posterior fuit. Agitur hac de re in alterâ quoque huius Specilegii parte, possuntque quæ illic paulò latius deducta sunt, à volentibus cum hic traditis coniungi.

Asitus, dummodo lectio genuina sit, vitam suam Tatiano & post illum Eusebio debet, qui ex illo libro 10. cap. 11. auctor est, hunc Philosophorum vitam summâ diligentiâ studioque conscripsisse. Idem trium Historicorum Phænicum scripta Theodori, Hypcicratis & Mochi in Græcum Sermonem convertit, eodem teste Eusebio citato loco.

Asterij Amasiæ Episcopi Scriptoris Ecclesiastici non incelebris, opus est, Narratio de S. Phocâ Martyre, quam Metaphrastes operoso suo de Sanctorum vitis syntagmati intexuit & ex illo Lipomanus & Surius referunt, ille sexto, hic quinto, eiusdem argumenti tomis.

Athenodorus quem Atheniensium Principem vocat (dummodo sincera est lectio quæ in margine Latinæ translationis variat) testis affertur una cum Lysania Æschirionis filio & Polyeucto Rhetore in Diogene Syndico à Laertio. de vita & moribus Philosophorum lib. 6.

Augarus Scriba S. Theodori Martyris & Ducis Exercitus vitam Heri sui, autoptes 2. gestorum eius testis posteritati consecravit. Hunc è Metaphraste Lipomanus & ex illo, ut solet Surius tomo 1. transcribunt.

Babrius, quisquis is fuerit, scripsit Fabulosa, citaturque à Suidâ tom. 2. pg. 214. in Voce Nemesis.

Baron Historicus scripsit Epitomen rerum ab Alexandro Magno gestarum teste Suida. Raderus de Varrone hæc accipit, quæ conjectura paulò alienior & frigidior videtur eò quod Vertrannius Maurus, Gesnerus, Simlerus, aliique in Catalogo Operum Varronis Alexandrinæ alicujus historiæ non meminerint.

Battus Scriptor historiarum, Athenæo lib. 7. cap. 17. memoratus, de Tyrannis Ephesiis opus reliquit. Meminit Clemens Alexandrinus lib. *1.* Stromatum Batti Cyrenæi, qui composuit Mopsi Divinationem.

Botrias Myndius à Ptolomæo Hephestionis apud Photium testis laudatur, tmem. 190. qui scripserit omnes Niobes liberos ab Apolline interemptos fuisse.

M. Brutum, celebrem illum & magnum Pompeianarum partium Ducem, sed majorem Philosophum & Oratorem, sub finem vitæ, inter gravissimas Castrenses curas & vitæ discrimina, Polybii Historiam in Epitomen constrinxisse Plutarchus in vita ejus auctor est. Quia autem non additur, Epitomem illam alia lingua, quam qua Polybius scripsisset, fuisse elaboratam, nec in Libris de Historicis Latinis, ubi de Bruto tractat, hujus Polybiani Breviarii Vossius meminerit, admodum verisimile est, illud Græco idiomate concinnatum fuisse. Videtur autem illo studii & commentationis genere delectatus fuisse, cum etiam Romanas Historias Faunii & Sisennæ epitomasse tradatur.

Callimachus Colophonius e multis unus, est qui de vita & ætate Homeri scripserunt. Eusebius in Proparasceve Euang. lib. 10. cap. 11. ubi inter cæteros, qui de ætate Homeri scripserunt, diversos etiam è Grammatica tribu recenset: quales sunt, præter Eratosthenem, Callimachum & Apollodorum, Aristophanes, Crates, Aristarchus & Zenodotus.

Callimorphum medicum Hastatorum Legionis sextæ, Historiarum Parthicarum scriptorem explodit, uti ineptum & ridendum, Lucianus in libro: *Quomodo Historia scribenda sit.*

Callistus Patriarcha Constantinopolitanus scripsit Encomium Ioannis Iejunatoris (ejusdem throni Patriarchæ) ut *Philippus Labbæus* auctor est *Bibl sua. pag.* 74.

Callixenus scripsit Relationem Pictorum, & Statuariorum teste Sopatro apud Photium tm. *161.* Incertum est an hic sit ejus nominis scriptor Rhodius patria, quem refert Vossius & de Alexandria scripsisse ait.

Cassius, nescio quis, à Francisco Patritio lib. 3. tom. *1.* discussionum Peripateticarum de vita & sectis Philosophorum scripsisse traditur, cujus rei fidem penes illum esse volo. Nec enim ejus rei testem aliquem lau-

dat, nec hactenus apud alios de illo quicquam comperi. Si quis tamen eo nomine istius argumenti scriptor fuerit, Græcè potius, quam Latinè sua publicasse crediderim, eò quod præter hunc non alii illic inter quadraginta auctores quos junctim recenset, producantur, quam qui Pelasgi generis fuerunt.

Cato Sinopensis, Si Venetæ editioni, è Natalis Comitis versione, fidere tutum sit, scripsit de Tyrannide Hieronymi Regis Syracusarum Athenæo lib. 6. cad. 6. testante. Posset enim dubitari, an non mendum eo in loco sit, in textu excuso, & Batho intelligendus sit, quem ejusdem patriæ refert Strabo & Persica scripsisse testatur lib. 14. Idem autem error reperitur in ejusdem nominis Comico, ut videre est apud Casaubonum in Animadversionibus in Athenæum lib. 15. cap. 7. Nam Dalecampiana versio idem Catonis nomen retinet.

Caucalus Rhetor Chius frater Theopompi Historici scripsit & edidit Herculis laudationem. *Athen. l.* 10.

Cercidæ Megapolitani testimonio utitur *AElianus lib.* 13. *variæ Historiæ cap.* 20. ubi de Hecatæo Milesio antiquissimo, ut constat, Historico agit. Hunc Iamborum scriptorem vocat *Athenæus lib.* 10. *in fine*, quo scribendi charactere illum res ad Historiam pertinentes tractasse dictu absurdum non sit: idque tantò minus quod illud ipsum quod allegatus auctor isto loco refert fragmentum eodem pertineat.

Chatum Tatiani editio Græco-Latina, qui apud Eusebium Asitus legitur. Vide suprà in Asitus. Hujus mentionem facit Vossius lib. 2. de hist. Græcis pag. 297. sed in Judiæ prætermittitur æque ac Asitus.

Chariclis memoriam conservavit, & ad posteritatem transmisit Athenæus lib. 8. cap. 19. à quo de certamine civili (ita Natalis Comes vertit, Dalecampius mavult, de ludis urbanis) libros congessisse laudatur. Allata autem ex illo de Stratonico Cytharista Historia abundè ostendit, ad quam studiorum partem pertineat.

Charinus Lucii prænomine, scripsit Periodes Apostolorum, à Photio lectas & recensitas, tmemate 114. Is more suo de stilo & materia tractata censuram instituens & de hac & de illo satis abjectè pronunciat.

Chariton, auctor Græcus scripsit Amatoria. Meminit ejus Dithmarus Mullerus Tremoniensis antiquarius, Andreæ Capellani Eroticorum editor, qui etiam in Vaticana Bibliotheca superesse ait.

Chœrilum juniorem, qui versibus scripsit Alexandri Macedonis res gestas, non video cur contra Horatii & Curtii aliorumque è recentioribus auctoritatem expungere & in Vtopiam relegare debeamus. De illo alibi pluribus.

Chonia

Choniutus Archiepiſcopus Athenarum, ſcripſit de Cruce quem quia Philippus Labbæus inter auctores, qui Hiſtorica & Chronologica conſcripſerint refert, ego quoque conceſſum ipſi ab illo, qui ſine dubio inſpexit, & de argumenti qualitate judicare potuit, locum facile tenere permitto. Vide illum ſi placet pag. 74. Bibl. novæ.

Chriſtodorum cognomento Coptitium, (à Copto patria Civitate, ut vult Gyraldus dial. 8. de Poëtis) ſcripſiſſe verſificatorio charactere diverſa reperio, quæ ad Hiſtoriam pleraque ſpectare videntur, uti apud Suidam, qui recenſuit, & Heroico verſu ſcripſiſſe addit, videri poteſt. Sunt autem ſequentia: Iſaurica libris ſex, quibus Iſauriæ expugnationem ab Anaſtaſio Imp. ſub quo floruit factam executus eſt. Præterea Patria diverſarum urbium iuſtituta, Conſtantinopolitanæ libris 12. Theſſalonicenſis 25. libris. Item Nacles, (Ægyptiacæ Civitatis) Mileti & Aphrodiſiadis compoſuit. Præterea deſcriptionem Statuarum Zeuſippi & alia multa.

Chriſtodorus alius, patria Thebanus, à dignitatis gradu illuſtrius cognominatus, præter poëma de Aucupio, ſcripſit etiam miracula SS. Coſmæ & Damiani quos Anargyros Græci honorificè appellant. Auctor idem Suidas.

Chriſtophorus Patritius Scriptor Menelogii, ſemel atque iterum teſtis ſiſtitur à Meurſio in Gloſſario Græco-Barbaro pag. 192. & 238. Vnde adhuc ſupereſſe conſtat.

Chryſippi Hieroſolymitani Præsbyteri Hiſtoriam, de Gamaliele & Nicodemo, deque corporum utriuſque & S. Stephani Proto-Martyris inventione Photius exhibet, tmem. 171. Myriobibli ſui. Addit idem Photius citatò loco, ſcripſiſſe hunc Chryſippum Theodori etiam Martyris laudationem, in qua meminerit Luciani itidem Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Præsbyteri, qui ex revelatione & Sancti Gamalielis apparitione dicta corpora invenerit; qui ille ipſe eſt, qui Hiſtoriam ejus Inventionis ipſe quoque ſcripſit, extatque in Surii Sanctorum Tomis. Mirum autem videri poſſit, non meminiſſe illic Chryſippum ſcripta illius à Lucianæ Hiſtoriæ, è qua tamen quod narrata ſua, de eadem re mutuatus ſit, admodum veriſimile eſt.

Chryſori memoriam conſervavit Theophilus Antiochenus lib. 3 ad Autolycum in fine, ubi Faſtos, id eſt, Conſulum Romanorum ſucceſſionem conſcripſiſſe refertur. Locus Theophili ita habet. *Sub annuis Magiſtratibus fuere Romani annis* 453. *ſi quis horum nomina ſcire avet, legat Chryſorum & Cratorem libertum Marci Aurelii Veri. Crator à condita urbe.*

urbe usque ad obitum patroni sui Veri manifestè & exactè annotavit cum nomina tum tempora. Fuit Verus hic Marci in Imperio Collega.

Cynæthon Lacedæmonius scripsit Gentilitates (ita Romulus Amazæus vertit) versibus, ut auctor est Pausanias lib. 2. pag. 86. Continebat autem illud opus, ut è reliquiis liquet, Heröum & Illustrium familiarum Genealogias. Vide eundem Pausaniam lib. 4. pag. 203. Vixit autem Olympiade tertia, aliquot ante Romam conditam annis, ut testatur Eusebius in Chronico, cujus de ætate & scriptis viri verba hæc sunt. *Cinathon Lacedæmonius Poeta, qui Thelegoniam scripsit, agnoscitur.*

Cleochares Smyrleanus, quem Photius tmem. 176. de Isocratis discipulis & Demosthene scripsisse refert, an ex eo inter Historicos referri mereatur, non audeam pro certo affirmare, eo quod vix aliud, quantum ex isto colligi potest loco, de illis tractasse videatur, quam quod Eloquentiæ comparationem instituerit, quod genus operæ, Grammaticorum & Rhetorum magis, quam Historicorum est.

Cleophilum Samium Historias, & quidem de Herculis gestis scripsisse auctor est *Clemens Alexandrinus qui libro 6. Stromatum pag. 628.* ubi scribit Hellanicum Heracleæ auctorem Oechaliæ captivitatem ex illo suffuratum fuisse.

Constantini novæ Romæ Imperatoris enarratio de Imagine Christi missa ab Abgarum. (Edessæ Regem) quomodo scilicet ab Edessa Constantinopolim illa transmissa fuerit, extat Parisiis in *Regia Bibliotheca* teste *Philippo Labbæo Bibl. nova pag.* 72. Addit illic idem auctor ejusdem Constantini donationem in quinque diversis Codicibus Regiis ibidem reperiri. Videtur hic esse idem ille Imperator cognomento Porphyrogennetus, cujus jussu Eclogæ Historicæ quinquaginta & una partibus, sive communibus, ut vocamus, locis constantes, per alios confectæ fuerunt, è quibus solus qui de Legationibus est, & quidem mutilus superesse putatur, quique eo nomine à *Vossio lib. 2. cap.* 25. Græcorum Historicis inseri meruit: inter quos meliori jure comparet si hujus à Labbæo memoratæ narrationis sive collectionis, ipsemet, ut referre videtur, auctor fuit.

Constantinus quidam scripsit Apollonii Tyrii Historiam, versibus, citatus locis plurimis à Meursio in Glossario. Hinc facile colligas non superesse tantum, sed etiam editum esse; Manuscriptos enim codices peculiari Indice comprehendit.

Constantinus Asynkitus confecit Itinerarium, quod idem Meursius citat in dicto suo Glossario Græco Barbaro.

Constan.

Constantinus incerti loci episcopus S. Euphemiæ Martyris vitam composuit apud Surium tomo 4. reperiendam.

Corinnus Eliensis Iliacῶν scriptor Homero antiquior post Suidam refertur à Lælio Bisciola in subseciu: Horarum libris.

Cotas sive, & rectius quidem, *Cotta* (prius nomen è Græco retinuit in versione sua Natalis Comes, posterius Iacobus Dalecampius è Latina veritate restituit) apud Athenæum extat lib. *6.* cap. 8. quem Larensius Dipno-Sophistarum Hospes & Convivator patrio suo sermone commentarium de republica Romana scripsisse illic affirmare introducitur. De hoc tria veniunt quærenda. 1. Quis fuerit illius Commentarii auctor. 2. Quo sermone scripserit. *3.* Historicis an aliis auctoribus accensendus sit. Quantum ad primum, dubitat Ioan. Glandorpius in Romano Onomastico, an hic sit Aurunculeius ille Cotta, qui sub C. Cæsare Legatus in Gallia militavit, an quis alius è Cottarum Familia Mihi non videtur ambigendum esse istum memoratum Aurunculeium & non alium fuisse illius Commentarii auctorem. Ait enim Athenæus è Natalis de Comitibus versione fuisse illum secundum in Cæsaris exercitu, quod de aliquo alio, quam qui Legatus fuerit, quamvis illius Officii & Ordinis plures Cæsar pro more sui seculi & præcedentium non minus quam subsequentium temporum habuerit, intelligi nequit. Tralatitium enim post prima Reipublicæ Romanæ primordia fuit, uni Imperatori plures subesse Legiones, quod antiquitus aliter observatum fuit, quibus singulis Legati sui præerant. Superfuit autem is adhuc tempore Britannicæ expeditionis & trajectus à Cæsare inter Romanos Duces primo facti, de quo locus ille apud Athenæũ tractat, ac brevi post in Eburonibus cum Titurio Sabino & exercitu periit, prout apud Cæsarem, Dionem & Florum legere est. *2.* Linguam, quo Cotta, sive ut Græci vocant, Cotas scripsit quod attinet, putat Glandorpius Latino scripsisse sermone, quod exploratius esset, si sciretur Larensius ille Græci an Italici generis fuerit. Civem Romanum fuisse, vix potest dubitari, sed Græcorum eo tempore plurimi donati civitate erant. Mihi hactenus probabilius est scripsisse Græcè, cujus opinationis conjecturas, alibi, si opus sit & res ita feret in medium proferam. Nihil igitur huic Scriptori cum altera illa clariori & longè nobiliori Cottarum Aureliæ gentis familia commune fuit. 3. Quod de Repub. Romana scripsisse Cotam Athenæus refert, de Historia illius Vrbis videor rectè accipere, & possunt citantis Athenæi verba vix in alium sensum trahi. Quæ de genere sermonis, quo Cotta hic scripserit, postmodum rem pensiculatius expendenti mihi in mentem venerint & potiora visa sunt, infrà in additamentis, quia hujus loci angustia capi nequeunt exponam.

Cratorem, vide supra in Chrysoro.

 Crepe-

Creperius Calpurnianus Pompeii Civis (ita Lucianus, quod an de Magno, vel Theophane Mitylendo, aut aliquo alio intelligat necdum mihi satis liquet) scripsit Historiam ejus belli, quod inter Romanos & Parthos gestum est (sub M. Antonino Philosopho & Ælio Vero Impp. quos Iurisconsulti in Pandectis passim Divos fratres appellant, ni conjectura me decipit) quem tanquam ineptè in isto commentandi genere versatum subsannat, & Lectoribus ridendum propinat, dictus auctor in libello: *Quomodo Historia scribenda sit.*

Critheus à Plutarcho testis laudatur in Libello de solertia animalium circa finem.

Criton Naxius à Suida Historicus fuisse scribitur, scripsisseque historiam annorum octo, quam addit quosdam Eudoxo cuidam adscribere.

Crispinus quidam scripsit vitam S. Parthenii Episcopi Lampsaceni quam è Metaphraste apud Surium habemus tomo 1.

Ctesicles scripsit Chronicorum libros, è quorum tertio locum aliquem citat Athenæus lib. *6*. cap. 7.

Cyrillus Hierosolymorum Episcopus una cum Gelasio Cyziceno Cæsareæ Palæstinæ Antistite, suo è sorore nepote transtulit è Latino in Sermonem Græcum Ruffini Historiam Ecclesiasticam ut docemur à Photio num. 89. Myrobibli sive Bibliothecæ suæ.

Cyrillus Monachus S. Euthymii Abbatis vitam litteris consignavit, teste Baronio in notis ad Martyrologium, *20*. Ianuar. & 29. Septemb. Refert illam Lipomanus tom. *5*. & Surius tom. 1. è Metaphraste. Eodem nomine nescio, tamen an hic ipse, fuit, qui vitam S. Ioannis Silentiarii confecit. Extat illa apud Surium tom. 2.

Cyrillus Scythopolitanus, qui tempore Iustiniani senioris vixit, ac Procopii Cæsareensis æqualis fuit, multoties in testem producitur à Nicolao Alemano in suis ad Procopii Anecdota notis: Illa omnia & singula loca sat superque probatum faciunt, Historiam suorum temporum scripsisse, & in eodem cum prædicto contemporaneo suo versatum esse argumento: prætereà opus illud adhuc superesse similiter inde colligitur.

Cyrus Scriba Leontii Martyris & sociorum ejus gesta ad posteros legenda transmisit, eaque è Metaphraste Surius intexuit de vitis Sanctorum tomo 3.

Dadacum Platonicum affert Laertius lib. 1. in Thalete.

Dalmatii Episcopi Cyziceni Actorum Concilii Niceni, quibus in Historia illius sacri *318*. Episcopum confessus scribenda, quam tribus libris complexus fuit, Gelasius Cyzicenus Cæsareæ Palæstinæ Episcopus usus

fuerit,

fuerit; meminit *Photius tmem. 98. Bibl. sua.* Quamvis enim *Photius* in genere loquatur Gelasium antiquis Actis usum esse, *Socrates* tamen *lib. 7. Ecclesiastica Historia, cap. 28.* Dalmatii Episcopi mentionem facit nominatim & expresse; quod etiam Andreæ Scotto in marginalibus suis ad Photium Annotationibus observatum est. An autem istorum Actorum tantummodò possessor an vero auctor quoque fuerit non videtur satis clarè è verbis Socratis erui posse.

Damiates apud unum quod norim Valerium Maximum occurrit, qui lib. 8. cap. 14. sequentibus illius meminit: Quid enim vetat locum integrum adscribere? *Hellanicus vero ait, quosdam ex gente Episcoporum qua est pars AEtolia ducentos explere annos eique subscribit* Damiates *hoc amplius firmans Litorium quendam ex his maximarum virium staturaque pracipua trecentesimum annum cumulasse.*

Damasi mentio apud Eusebium est lib. 10. Euangelicæ Proparasc. cap. 3. ubi è Porphirii dialogo refert Hellanici de Moribus Barbarorum opus ex Herodoti & Damasi scriptis esse conflatum.

Damophilus Philosophus & Sophista præter Philobiblum, cujus operis primus liber fuit de libris comparatu dignis, scripsit etiam de vita veterum, cujus nomine non videtur in Historicorum catalogo præteriri debere. scripsit & complura alia teste suida, è quo hæc decerpta sunt. Ætas illius inde comprehenditur, quod Iulianus, qui sub Marco Imperatore eodem suida tradente consul fuit illum educaverit, & quod Lollio Maximo Philobiblon vel saltem primum ejus librum inscripserit. Hunc enim ad eadem pertinere tempora è Pandectis Iustinianeis liquidum est.

Daniel Monachus Raythenus scripsit vitam Ioannis Climaci, teste Radero in Isagoge Operibus Climaci præfixa. Extat autem vita illa apud surium tomo 2.

Deichorum Cyzicenum allegat stephanus de Vrbibus in Lampsaco.

Demarchus Cæsareensis scripsit libros decem, de vitâ Magni Constantini, si Theatro Beyerlingano sua fides constat tom. 8. pag. 66. Antiquior enim ejus rei auctor necdum se mihi obtulit.

Democritus Abderita, sive, ut Laertius mavult, Milesius, nobilis ille & celeberrimus inter veteres Græcorum sapientes Philosophus, præter reliqua quæ ab illo scripta sunt & à Laertio in vita ejus recensentur sequentia condidit: Navigationem Oceani, de illis quæ sunt in Meroë, de Historia Chaldaica, & Phrygia, de sacris in Babylone literis; quorum intuitu dignus mihi visus est, qui hisce Centuriis adscriberetur. Accenseri hunc illis posse, qui duplici cognomine fuerunt, ex prædictis apparet, quem

enim à loco domicilii Laertius Milesium vocat; plerique à patria Abderiten cognominarunt.

Demonax Seleuci & Antiochi Regum Dux refertur à *Plinio lib.6 c.16.* ubi de Gentibus Euxinum Pontum accolentibus tractat, illumque se de iis maximè sequi profitetur. Rem gessit contra Sogdianos, ut videtur, & alios illius Borealis Asiæ tractus populos, & exercitum commissum ultrà fluvium Iaxartem, quem ait idem Plinius Scythas Silyn vocare, Alexandri auté milites putavisse Tanain esse. Statuit illic Apollini Dydimæo Arma, eaque occasione suorum in illis partibus gestorum Historiam, locorumque Chorographiam, ut apparet, conscripsit. Videndum an hic forte idem ille sit, quem in Catalogo auctorum illius sexti libri Demodamantem corruptè ut suspicor, vocari legimus, nam Demonactis illic nulla mentio fit. Ejus generis diversitates in illo Pliniano Opere plures animadvertere est: ac eo ipso in loco in Dialdonem mutatus est qui in ipso vigesimi noni Capitis contextu vero & incorrupto nomine Dalion vocatur.

Demostratus Apamensis laudatur Plutarcho de Fluminibus in Mæandro. Refert illic Historiam de Mæandro Belli Duce contra Pessinuntios, & qua occasione isti fluvio nomen ejus inditum sit. Locum illum ex libris de Fluminibus sumptum esse inde probabile fit, quod ex illis secundum paulò post idem auctor affert in Scamandrō.

Demaretem reperio citari ab Apollodoro Atheniensi in Bibliotheca lib. 1. Inter illos referendus videtur, qui de Herculis gestis & decantatis laboribus egisse traduntur.

Demetrius Cyzicenus scripsit Cæsarum vitas teste Cuspiniano in Catalogo auctorum Operi de Cæsaribus præmisso. Videatur idem pag. 320. Refert hunc auctorem Cedrenus in proëmio Historiæ suæ inter reliquos Historicos quos secutum se esse & excerpsisse ait.

Demon sive is Italicas res in genere sive particulatim Metapontinas scripserit, à Suidâ testis laudatur tomo 2. pag. 1095. in φοινίκων συντήκας. Refert hujus nominis aliquem sive hic sive alius fuerit è Timocle Comico inter illos quos Harpalus Alexandri Magni in Græcia Dux donis corruperit Athenæus lib. 8.

Diaphorum quendam res Gallicas scripsisse Franciscus Irenicus auctor est in proëmio Exegeseos suæ rerum Germanicarum.

Diagneto inter Alexandri Magni gestorum Scriptores locus datur à Radero in Prolusionibus Curtianis. Fortè Diognetus dictus fuerit, quo nomine fuit antiquior & cognominis Atheniensium prætor, sub quo celebris

lebris illa ad Marathonem pugna commissa fuit. Athenæus in Dipnosopsi-
libris.

Diocles tres refert Vossius lib 3. Carystium, Rhodium et Peparethium, quibus quartus fortè addendus sit, quem res Persicas scripsisse auctor est Iosephus, qui lib. 10. Antiq. Iudaic. lib. 2. illius historias in medium affert. Ad minimum in obscuro est, an alicui & cuinam prædictorum Persica ista tribui debeant.

Diocles præter prænominatos adhuc alius superest, quem vitas Philosophorum scripsisse auctor est Diogenes Laertius in Xenophonte & Aristippo. Nec enim est Rhodius ille, cujus Ætolica adducit Plutarchus in libro de Fluminibus ut videtur suspicari Vossius pag. 275. sed alius Homonymus, quem idem Laertius lib. 7. in Zenone Magnesium patria fuisse scribit idque non uno sed duobus diversis in locis pag. 401. & 459. Edit. Colon. an. 1553. Huic igitur, à Vossio præterito ea tribuenda videntur, quæ passim ex Diocle auctor ille, apud quem frequens occurrit ejusdem allegatio, in medium affert. Collata autem supra citata è Xenophonte & Aristippi vitis Laertii loca docent unico libro diversorum Philosophorum vitas illum complexum fuisse.

Diogenes quidam refertur à Ptolomæo lib. 1. Geographiæ cap. 9. ubi ex Marino narrat de illius navigatione Indica è Rubri maris sinu per mare, Arabiam felicem & Æthiopiam alluens, quod Plinius æque ac Ptolomæus Azanium vocant, quam etiam maritimam profectionem suam, quantum ex illo Ptolomæi loco haud obscurè comprehendi potest, scripto complexus est & in publicum emisit. Addi ab illo potuisset pro majori rei declaratione cujus auspiciis & quo tempore navalis illa expeditio suscepta esset.

Dion Prusaeus cognomento Chrysostomus, scripsit Getica, teste Philostrato, quæ de Oratione Borysthenica perperam accipit Casaubonus in Diatriba sua. Verba Philostrati è versione Morellii sive Bonfinii hæc sunt: *Quam porrò historiæ scribendæ aptus fuerit argumento, sunt ab eo scripta Getica.* Refertur etiam hic eloquentissimus Sophistarum à Radero inter scriptores Alexandrinos; & si vera sunt, quæ de illo tradit, nescio quo auctore Laurentius Beyerlinkius in theatro tom. 8. pag. 66. affirmet quod decem libros de gestis Alexandri scripserit.

S. Dionysius Areopagita scripsit præter reliqua quæ habemus de S. Hierotheo præceptore suo teste Suida.

Dionysius Corinthius scripsit versibus orbis terrarum descriptionem. Ita Suidas in Lexico, qui tamen addit hanc & alia illic relata scripta, repe-

risse se Dionysio, qui de gemmis scripserit, tribui à quibusdam. Longè ab hoc diversus est.

Dionysius Corinthiorum Episcopus, Ecclesiasticus scriptor, cujus crebra apud Eusebium Cæsareensem in Ecclesiastica Historia mentio est, cujusque non rara eaque egregia fragmenta illic referuntur.

Dionysius Olynthius antiquissimus auctor, utpote Ephorò Chamæleonte & Philochoro prior, ab Eusebio lib. 10. Euangel. proparasc. c. 11. inter illos recensetur Scriptores, qui de Homeri ætate litteris quippiam prodiderunt.

Dionysius Phaselites producitur in vita Nicandri Colophonii ab auctore Anonymo, patria Ætolo, teste Gerh. Ioanne Vossio lib. 2. de Historicis Græcis cap. 14.

Dionysius alius scripsit libros 33. quibus omnem de Diis Gentilium Historiam comprehendit, & in unum contraxit. Suidas tom. 2. p. 420. in voce Νύμφαι. Hunc non reperio inter plurimos Dionysios à Vossio recensitos.

Dionysius Orientalium rerum Historicus, quem Plinius lib. 4. 5. & 6. partim in Indice partim in ipso contextu testem laudat à Vossio præteritus esse eo loco videtur ubi viginti hujus nominis consortes recenset. Fuit autem Ptolomæi Philadelphi ad Indiæ Regem Legatus, illarum regionum explorationis ergo missus, uti satis aperte indicat allegatus Plinius cap. 17. dicti lib. 6. ubi etiam inter illos auctores Græcos qui cum Indiæ Regibus commorati sint, vel alias in istis locis præsentes fuerint, & inter oculatos testes referri mereantur eundem refert.

Dioscori qui de navigatione inter Rapta & Prassum. (Æthiopicæ oræ loca fuerunt) scripserit, istamque distantiam quinque millium stadiorum esse prodiderint, meminit Ptolomæus lib. 1. Geographiæ suæ. cap. 9. & 16.

Diotimus patria Atheniensis ab eodem Athenæo cui tot reliqui scriptores quorum opera interciderunt, & ab aliis commemorari non meruerant, vitam suam, totque curiosarum & scitu dignarum rerum cognitionem reconditæ Eruditionis scrutatores debent, servatus & ipse ab interitu & posteritati notus factus est. Verba illius quæ de hoc homine libro 10. leguntur sequentia sunt ex Dalecampii versione: *Bibacissimus quoque fuit Alcetas Macedo ut tradit Aristus Salaminius & Diotimus Atheniensis.* Aristum illum ex illis esse qui res gestas Alexandri Magni scripserunt aliunde satis constat; quibus an & Diotimus hic accenseri possit suspicari & conjectare facilius est quam affirmare.

De Dorione, qui de Piscibus aliisque ad rem Culinariam pertinentibus, rebus scripsit, ac passim ab Athenæo appellatur, movet apud illum auctorem, nescio quis, convivantium quæstionem, lib. 8. cap. 5. Dissentire enim se profitetur à quibusdam, qui inter Historicos illum censebant habendum, cum ut sequitur scribit è Natalis de Comitibus, licet minus accurata & fida translatione: *Vnde nobis accessit viri sapientissimi, quod Dorion rei Coquinariæ studiosus, Historicus quidam fuerit, quem ego Crumatopœum pisciumque gulonem vocatum fuisse novi: At nullo pacto Historicum.* Ita ille. Certius de hac lite pronunciari posset, si scripta Dorionis ad nos pervenissent. Simile quid ab illo contra Dorionem disputante Dipno-Sophista committi videtur, quam si quis Herodotum similesque auctores ideo inter Historicos recipere tergiversetur, quod fabulosa multa operibus suis admiscuerint. Meminit Dorionis Cretensis Civis Sardiani Philostratus lib. 2. de vitis Sophistarum in Dionysio Milesio, sed is longè ab hoc nostro diversus fuit.

Eanthem Cyzicenum, dummodo genuina sit lectio, S. Hieronymo debemus, qui libro 2. contra Iovinianum sequentibus illius meminit. *Eanthes Cyzicenus & Asclepiades Cyprius ætate, qua Pigmelion in Oriente regnabat, scribunt esum carnium non fuisse.* Videndum autem, an non lectio apud D. Hieronymum corrupta sit, ita ut pro Eanthe Neanthes è Suida, Porphyrio, Athenæo, Clemente Alexandrino aliisque notissimus reponi debeat, quantumvis tam Marianus Victorius, quam Erasmus lectionē illius Hieronymiani loci intactam reliquerint. Facit autem præter nominis vicinitatem & identitatem patriæ, tantò verisimiliorem Criticæ manus in dicto S. Hieronymi loco necessitatem, quod Neanthem περὶ ἀποχῆς, id est, de abstinentia ab esu carnium Porphyrius citet.

Eleusius Diaconus qui de rebus Constantini Magni scripserit, refertur à Georgio Codino in Originibus Constantinopolitanis, & ex illo Vossius lib. 2. de Historicis Græcis cap. 17. obiter ejus meminit, dubitatque an historiam scripserit, & qua lingua, Græca an Latina id præstiterit. De Historia vix animadverto idoneam dubitandi causam: Affirmat enim non minus de hoc, quam reliquis illic relatis prædictus Codinus, quod quæ oculis suis viderit, accuratè scriptis mandarit, quod vix de alio, quam qui data opera & ex professo, ut vocant, rem gestam ad posteritatis memoriam narrarit, capi posse videtur. Nec est inter omnes illic recensitos, qui sex numero sunt, aliquis, de quo constet, quod alio charactere & schemate quam Historico de Nova Roma ad Thracium Bosphorum condita & dedicata egerit, quamvis diversarum conditionum & profes-

sionum

fionum fuerint, Grammatici, Sophistæ, Oratores, Epistolarum Magistri, & Philosophi. Ac ut maximè suspicari libeat, aliquot illorum Panegyricos potius quam Historias publicasse, minimè tamen verisimile est, nullos de omnibus ad hanc Historicam classem pertinere. Ac si quid fortè prætactæ in contrarium præsumptioni tribui posse videatur, ad Sophistas & Oratores illam magis, quam ad Philosophos, qualis Eleusius fuisse dicitur, reliquosque pertineat. De sermone, quo scripserit, idem dicendum videtur possumusque citrà cujusquam injuriam inter Græcos Eleusio locum relinquere, donec alius certiora nos doceat, tantò magis, quod illo & præcedentibus temporibus in ipsa etiam veteri Roma, Latina urbe, res Romanas plures Græcè composuerint; ut idem in ipsa Græcia factum esse nulla absurditas sit affirmare. Nec etiam æquum, videtur ut exhibitus hic à Codino auctor, inter Latinos Vossii Historicos omissus, hinc quoque extorris agatur & ordine careat.

Eleusius etiam, sive hic idem sive alius ab illo diversus, scripsit vitam S. Theodori Siceotæ de quo videri potest Baronius lib. 7. Annal. Ecclesiastic.

Empylus, quem Græcæ originis fuisse satis, ut puto, vel ipsum nomen ejus indicat, M. Bruti Philippensis (ita à loco obitus ad soceri & avunculi sui M. Catonis, cui Vtica Africæ à pari eventu cognomen dedit, exemplum, dictus fuisse legitur) familiaris & Oratoriæ artis professor fuit, qui literis mandavit Historiam occisi à conjuratis Cæsaris Dictatoris, cujus Plutarchus in vita Bruti sequentibus meminit: *Empylus, cujus & ipse* (Brutus) *in Epistolis & ejus Amici frequentem fecerunt mentionem, velut usi consuetudinis Bruti, Orator fuit. Hic Commentarium reliquit de Cæsaris nece exiguum, sed non inelegans, quod Brutus est inscriptum.*

Entaeon à Suida tomo 2. in voce Νῆις testis adducitur, refertque is ex illo de Feris in Insula Samo, quibus vociferantibus terra rumperetur.

Ephillus à Francisco Patritio lib. 3. tom. 1. Discuss. Peripatet. inter illos refertur scriptores, qui de vitis & sectis Philosophorum commentati sint.

Epiphanius Monachus scripsit de locis Syriæ, ut testatur Leo Allatius in libris de Ecclesiæ Græcæ & Latinæ consensu.

Epigenes Rhodius quò minus in hac Historicorum lustratione prætereundus sit, inde videtur colligi posse, quod cum satis appareat naturalium illum rerum Historiam executum esse, à Columella tamen Varrone aliisque inter rei Rusticæ scriptores non recenseatur. Hunc Plinius inter illos auctores libro primo naturalis Historiæ refert, è quo octavum, decimum, deci-

decimum quartum, decimum quintum, decimum ſeptimum & decimum octavum libros ſuos delibarit & locupletiores fecerit in quibus de Animalibus, Avibus, vitibus, Arboribus & Agricultura agit, atque exinde ſatis conſtare videtur illum ab Epigene Aſtrologo cujus lib. 2. 7 & 31. meminit & primo in loco Gnomonicum cognominat, diverſum eſſe. Ac tantò magis id ita eſſe mihi perſuadeo, quod cum libro 31. quo agit de medicina ex piſcibus Epigenem reliquis auctoribus in Indice jungat, Rhodii tamen Epigenis libro 9. qui de piſcibus tractat nullibi meminerit, Geſnerus in Onomaſtico præteritis reliquis omnibus Homonymis ſolius Epigenis Byzantini meminit, quem ait Philoſophum eſſe, de quo hactenus præterea nil reperi.

Epitimedis memoria ab Æliano conſervata eſt, qui lib. 4. var. cap. 7. de Pauſania Lacone Hiſtoriam ex illo refert. Fuit hoc nomine Philoſophus Cyrenaicus quem apud Laertium reperire eſt lib. 2. in Ariſtippo.

Erranium Stephanus de Vrbibus exhibet, agens de conditore & Antiquitate Babylonis. Sed utriuſque Fabulis explodit Raderus ad Curtium lib. 4 pag. 256.

Eſaias Eques Adami Filius Martyrium SS. Ionæ & Barachiſii, cujus ſpectator fuit, quique ſub Sapore Perſarum Rege, curriculum ſuum glorioſo fine conſumarunt, ab interitu vindicavit. Legitur apud Surium tom. 2. Menſe Majo è Metaphraſte mutuo ſumptum.

Eubulus, ut l. 2. contra Iovinianum ſcribit S. Hieronymus, Hiſtoriam Mithræ (ita Solem Deorum ſuorum maximum & præcipuum Perſæ vocant,) multis voluminibus explicuit. *Narrat* (ita pergit de illo referre) *apud Perſas tria Magorum genera, quorum primos, qui ſunt doctiſſimi & eloquentiſſimi, excepta farina & ſale nihil amplius in cibo ſumere.* Geſnerus in Onomaſtico ſuo hujus ſcriptoris & operis ejus meminit, ſed, quod malo more fit, auctorem ſuum non laudat.

Eubulus, ſive hic qui præcedit, ſive alius ſit, ſcripſit librum de Diogene Cynicæ Sectæ Conditore, cui inſcriptionem dedit: *Diogenis Auctio.* Captus enim à Pyratis propè Salaminem Inſulam & abductus, emptus fuit à Xeniade Corinthio, cujus filios inſtituit, & quoad vixit ipſum propè Dominum, conſiliis ejus uſum, domumque ejus rexit de quibus Laertius in vita Diogenis videri poteſt. An hic ſit idem cum Eubulide, quem idem Laërtius de Diogene ſcripſiſſe teſtatur non auſim pro certò affirmare præſertim cum necdum repererim quod manuſcriptorum Codicum Lectio in nominibus iſtis variet, qua de re viderint, quibus illorum Copia eſt.

Eudocia Leontii Athenienſis Philoſophi filia, Theodoſii ſecundi Im-

 peratoris

peratoris uxor, scripsit carmine Heroico, ex Homericis Centonibus miro artificio summoq; ingenio consuto in Octoteuchum, è quibus libri quinque priores in libros Moysis ex parte, tres posteriores qui fuerunt in Iosue, Iudicum & Ruth libros ex asse toto ad Historiam pertinuerunt. Eodem spectarunt libri tres pariformi metri genere ab illa conscripti de SS. Cypriano & Iustina. Videatur Photius tmem. 183. & 184.

Eudoxum, vide suprà in Critone Naxio.

Eumachii Amatoria refert Dithmarus Mullerus Tremoniensis Andreæ Capellani editor, aitque Græci Auctoris opus esse & in Vaticana Bibliotheca extare. Diversus hic auctor est ab illis, quos eodem nomine dictos Vossius refert, iisque multò Iunior. Nicolaus enim Alemanus qui Procopii Anecdota è tenebris eruta in lucem dedit, & notis illustriora fecit, auctor est, fuisse hunc Eumachium magnæ in aula Constantinopolitana dignitatis, & Protonobilissimi titulo inclytum extitisse. Inscriptio illius Erotici operis hæc est: De Amoribus Nysminii & Nysminiæ. Magnam auctoris & operis nomina hæc cognationem habent, cum Eustathii de Ismenii & Ismenes Amoribus, nec tamen suspicari ausim, doctos illos viros ea in parte in errore esse versatos.

Evodii de Martyrio quadraginta duorum militum Historia, in manuscriptis Regiæ Parisiensis Biblioth. Codicibus asservatur, teste Philippo Labbæo in nova Bibliotheca pag. 74.

Euphorbium invenimus apud Eusebium in Chronico pag 41. edit. Basil.

Eusebium nescio quem, qui vitam Alexandri Magni scripserit, in præmissis Curtio suo prolusionibus, recenset Matthæus Raderus, vocans fabulosum Scriptorem.

Eusebius, adhuc alius, nec minus à prædicto ut videtur quam Cæsareensi ac Scholastico diversus apud Evagrium occurrit lib. 4. Eccles. Histor. cap. ult. ubi traditur Historiam Romanam conscripsisse ab Octaviano Augusto usque ad Cari Imperatoris mortem.

Eusthatii Archiepiscopi (loci nomen non additur) in Demetrium Myroblyptem Martyrem scriptum Encomium sive Historica laudatio superstes est manuscripta in Bibl. Regia Parisina cujus rei testem habemus Philippum Labbæum, S. I. in nova Bibliotheca pag. 73.

Eustochius Cappadox Sophista qui vixit tempore Constantis Imp. ex Heracliana stirpe, scripsit de antiquitate Cappadociæ & aliarum Gentium. Suidas.

Eusthratium, quem de vita functorum animis tres edidisse Tracta-

tus Photius refert in Bibliotheca tmem. 173. inter sacros Historicos refert, qui Auctorum Photianorum seriem in certas classes digessit, sive Hoeschelius is sive Schottus fuerit, de quo recte an perperam facto facile judicabunt, qui textum expendent & conferent.

Euthalius incerti loci Diaconus, scripsit brevissimum compendium de vita, peregrinatione, & Martyrio S. Pauli Apostoli. Viri pii & eruditi elogio à Posseuino in Apparatu sacro celebratur, qui etiam ad meliorem Actuum Apostolorum intelligentiam utilem censet. Vtitur auctoritate ejus sed sub solius peregrinationis Paulinæ titulo Meursius in Glossario pag. 546.

Eutropius qui Historiam Apostolicorum Certaminum Abdiæ Babylonii ex Hebræo in Græcum sermonem transtulisse laudatur, refertur à Wolfgango Lazio, qui omnium primus Abdiam edidit & ex illo à Renato Laurentio della Barre Theologo Parisiensi in volumine diversorum Ecclesiasticorum Historicorum, inter quos Abdias agmen ducit.

Eutychidas, Plutarchum nactus est notorem, in vita Lycurgi Princip. suspicari possumus è nominis forma & terminatione Laconem fuisse, & res patrias in litteras misisse.

Eutyphron filius Heraclidis Pontici Philosophi Peripatetici, apud Laërtium relatus est l. 1. in Mysone, de cujus Philosophi patria, cum à diversis ut fit, diversa tradita sint, auctor hic Cretem illum fuisse docuit.

Euxemum vetustum Poetam Dionysius Halycarnassæus lib. 1. Roman. Antiquit. ubi de Saturnino urbis Romæ-Colle, qui posteà Capitolii nomen accepit tractatio est, refellit.

Ezechiel Historiarum Iudaicarum Tragicus Poeta, quas Græco sermone conscripsit, memoratur Clementi Alexandrino & Eusebio Cæsareensi in libris Euang. Præparationis. Extat adhuc hujus Authoris liberatio Hebræorum, sive Eductio Populi Israelitici ex Ægypto, inserta Bibliothecæ Patrum quæ Parisiis hoc præcedenti Anno 1654. sedecim Tomis aliquot Auctoribus & Opusculis auctior prodiit, ubi illum videre & legere est.

Flaccus ex illorum Historicorum numero est, qui Geographica tractarunt, eaque occasione à Ptolomæo in Cosmographia testis adduci meruit. Refert illum lib. 1. cap. 10. & tradita ejus de Lepris Magnæ & Garamæ, à qua Garamantum regno nomen est, distantia approbat.

Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, scripsit Historiam excidii illius Regiæ urbis, à Turcis facti; scripsit etiam Chronologiam, quod utrumque opus ejus possidet manuscriptum Bibl. Regia Parisiensis, ut nos Philippus Labbæus docet, Bibliothecæ novæ suæ pag. 71. Addit

ibidem eodem quo illa codice comprehendi plurima alia hujus autoris opera.

Georgii Acropolitæ duplex superest Historia, quarum altera edita est, altera necdum in publicum prodiit. Meminit utriusque Leo Allatius in præclaro Opere de Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ perpetua consensione.

Georgius Hamartolus reliquit Chronicon, cujus Indicium è Ioannis Meursii Glossario hausi, qui delibavit. Meminit ejus generatim pag. 486. Præter reliquos autem de Michaële Orientis Imperatore, quocunque ille cognomine fuerit, plures enim homonymos illic rerum potitos esse constat, & quotocunqne Ordine in Imperio successerit, egisse cognoscitur. Videatur dictum Glossarium pag. 443. Hunc Possevinus in Apparatu sacro ait ab aliis eundem haberi, cum Georgio Syncello sive ut ipse vocat Syngello, quos errare necesse est, eò quod is non nisi ad Maximianum & Maximinum usque Historiam suam produxerit. Addit Possevinus Chronicon hujus Georgii ad Imperium usque Constantini Leonis Filii pertingere, & extare in Bavarica Bibliotheca. Quod si autem veritati consona sunt, quæ deinceps ibidem sequuntur, de Chronico Georgii Syncelli ab Adamo usque ad Alexium Comnenum continuato, quod superesse testatur in Vaticana & Viennensi Bibliothecis, dicendum erit, vel pseudepographum illud esse, vel eodem nomine & cognomine Iuniorem aliquem itidem Chronicon aliquod conscripsisse, vel denique antiquioris illius Historiam saltem appendice à Iuniore aliquo locupletatam esse: certum enim & exploratum est Georgium, illum Syncellum Carolo Magno contemporaneum vixisse. Nec poterit etiam illa ad Comnenum usque Alexium perducta narratio de Georgii Theophanis, quem Syncellum excepisse constat historia intelligi, utpote quæ in Michaele Curopalata vel circiter desierit.

Georgius Cæsareensis Præsbyter, reliquit posteritati tractatum de trecentis decem & octo Patribus. Videntur illi ipsi esse, qui Niceno concilio, quod inter generalia totius Christiani orbis primum fuit, interfuerunt. Tenet illum Bibl. Regia Parisiensis referente Philippo Labbæo pag. 71. Bibliothecæ novæ suæ.

Georgius Logothetes Acropolites, cujus Chronicon extat Constantinopolitanum, illius temporis exhibens Historiam, quo Latini Orientis Imperium tenuerunt, nescio quo auctore à non nemine Ioannis prænomine exhibeatur, quod putarim memoriæ lapsui adscribendum esse.

Georgii Camariota encomia ſive laudum & vitæ narrationes S. Baſilii Cæſareenſis Archiepiſcopi, S. Gregorii Nazianzeni, & S. Ioannis Chryſoſtomi Patriarcharum CP. Pariſiis, tum in Bibliotheca Regia, tum in illa quæ Gabrielis Naudæi fuit, manuſcriptæ perennant; cujus rei Autoptem, adeoque fide digniſſimum, teſtem habemus Philippum Labbæum pag. 73. novæ Bibliothecæ.

Georgii Cyprii Archi-Epiſcopi ac poſtmodum Patriarchæ CP. encomia varia (non additur quorum) extare ſcribit Pariſiis in Regia Bibliotheca toties jam nobis dictus, ac deinceps ſæpius adhuc dicendus, Philippus Labbæus pag. 74. Bibl. ſuæ. Ejuſdem encomia in S. Georgium, in S. Dionyſium Areopagitam, & in S. Maximum, idem eodem loco reperiri ſcribit in Codice manuſcripto Reſidentiæ S. I. Conſtantinopolitanæ.

Georgius Decapolita ſcripſit de viſione alicujus Saraceni, qua converſus martyrium pro Chriſto pertulit. Idem Labbæus pag. 74.

Georgii Scholarii, qui fortè idem eſt cum Gennadio Patriarcha CP. in præcedentibus jam relato, (mutavit enim pro more utriuſque Eccleſiæ nomen cum throni aſcenſione) de nobiliſſimo Meliſſenorum genere, collectio ex variis Hiſtoricis congeſta, vetuſtatis naufragium, tot aliis bonis auctoribus & nobiliſſimis ſcriptis fatale & exitioſum, effugit, ex Pariſiis (ut ſuſpicari poſſumus, cum locus alius non deſignetur) in Apographo manuſcripto ſuperſtes eſt. Ejuſdem in alio Codice extat brevis Genealogia Palæologorum & Otthomannidarum, uti de utraque teſtis & auctor eſt Philippus Labbæus in Bibl. nova pag. 71.

Germanus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcriptor apud Meurſium in Gloſſario ſæpiuſculè paginam facit.

Gorgias Leontinus celeberrimus Oratoriæ artis Doctor & Iſocratis Præceptor, cum à Clemente Alexandrino inter Hiſtoricos referatur, prætèriri hoc loco indignus eſt: Verba ejus ex Heinſii recenſione hæc ſunt lib. 6 Stromatum: *A Meleſagora autem eſt ſuffuratus Gorgias Leontinus & Eudemus Naxius Hiſtorici.* *Idem Gorgias* allegatur à Plutarcho in Cimone, dubium autem eſt an ex aliqua Orationum ejus locus ille mutuo ſumptus ſit, an vero ex Hiſtoria quam ab illo ſcriptam eſſe audivimus. Verba ejus ſic ſe habent. *Adhæc Gorgias Leontinus Cimonem refert, pecuniam quæſiviſſe ut uteretur, uſum ut honoris aſſequeretur.*

Gregorius Cyprius traditur ſcripſiſſe encomium in Georgium, ſed non additur, quiſnam propriè tali nomine multis communis deſignetur. Dubito

bito igitur S. Georgius Martyr an verò Georgius Cyprius Constantinopolitanus Patriarcha, de quo brevi ante actum est, intelligendus sit. Sed dubium hoc facilè dissolvet ipsius operis inspectio, quod in Galliis adhuc superest, asservatum in Regia ni fallor Bibl. (ita enim ex appositione numeri Codicis quo continetur videor colligere) testante dicto Labbæo pag. 73.

Gregorii Episcopi Nysseni de S. Stephano Protho-Martyre deque S. Euphemia Virgine & Martyre Homilias Laurentius Surius tomis Sanctorum suis sexto & quarto inseruit, quarum tamen prior huc propriè pertinere vix videtur. Quæ Gregorius Cæsareæ Cappadociæ Præsbyter de trecentis & octodecim Patribus sacri Nicæni Concilii deque Constantino Magno Imp. pro concione ad populum peroravit, & Surius tomis suis sub Iulio Mense adsociavit huc quoque spectant. Continet enim Homilia ista præcipua primæ Synodi gesta, aliaque partim ad illam partim ad urbem, ubi habita fuit, pertinentia.

Gregorius ex eodem Presbyterorum Ordine alius, vitam S. Gregorii Nazianzeni in literas retulit. Vixit, ut Possevinus scribit, Anno circiter sexagesimo post nongentesimum. Utitur testimonio ejus Meursius in Lexico, & extat cum Operibus Nazianzeni excusus.

Gregorius itidem Presbyter, & Siceorum Monasterii Præfectus, scripsit vitam Magistri & decessoris sui S. Theodori Archimadritæ. Extat illa apud Surium ad diem April. 21.

Hecatæo Eretriensi, apud Plutarchum in vita Alexandri, inter illos auctores Historicos locus datur, qui ab adulatione aversiores, Amazonem ad illum Regem venisse negant, quod complures ad illius gratiam captandam confinxerant, quos itidem eodem in loco per synopsin relatos cognoscere licet. Ex illo igitur Raderus hunc sine dubio in suum de scriptoribus rerum Alexandri Magni Catalogum transcripsit. Hæc de Amazonio Alexandri contubernio complurium Scriptorum dissensio quæ istius gentis ingeniis ac ante omnes ferè alios Historicis familiarissima fuit nobili exemplo illud Satyrici firmat: & quidquid Græcia mendax audet in Historia.

Hedylogum Samium, vide apud Athenæum lib. 6. cap. 16. in fine, è quo tamen loco simul disces ab aliis Atheniensem ortu constitui.

Hegia Trœzenii de Antiope Amazone testimonium profert Pausanias lib. 7.

Helladius S. Basilii Magni Cæsareæ Cappadociæ Episcopi discipulus & in Episcopatu successor scripsit Commentarium de Sancti illius viri decessoris

cessoris & Magistri sui rebus gestis, citatus à Ioanne Damasceno in Oratione prima de Imaginibus; cujus rei etiam Possevinus meminit in sacro Apparatu suo.

Helymon Poeta, qui Regis Alexandri Macedonis res versibus scripserit, hisce refertur à Radero verbis cap. *4.* Prolusionum, sæpius à me laudatarum: *Cecinit &* Helymon *utroque deterior res Alexandri, quem idem Rex in cavea mori coegit, ausum tentare tanti Regis opera vires ejus superantia.* Eadem de illo habet Gyraldus dial. 3. de poëtis, & ex hoc alter ille sua derivavit, sed neuter exemplo minus probo, authorem aliquem è veteribus, quem sequatur, prodidit.

Heraclides Alexandrinus, recensitus à Laertio, inter quatuordecim Homonymos, in Heraclidis Pontici vita, licet à Vossio prætereatur, videtur tamen ab Historicorum consortio non excludendus. Persicas enim proprietates, quas ab illo scriptas esse Laertius ait, magis ad mores illius gentis, quam linguam, pertinere arbitror, eò quod hactenus nullus Græcorum mihi innotuerit, qui de lingua aliqua Barbarica quicquam commentatus sit.

Heraclides Mopseates reliquis hujus nominis Historicis accensendus videtur ex Athenæo lib. *6.* cap. 5. princip.

Hercules, nescio quis, si Francisco Patritio credamus, scripsit de vita & sectis Philosophorum. Refert illum inter quadraginta illius argumenti auctores tomo 1. Discuss. Peripatet. lib. *3.*

Hereas Megarensis semel atque iterum à Plutarcho allegatur in vita Thesei, è quibus locis, maximè posteriori, suspicari possumus, historiam ab illo conditam fuisse, pertinetque huc ejusdem Plutarchiana allegatio in Solonis quoque vita; nec putarim apud alios illius præterea memoriam superesse. Quantum autẽ ex altero loco ejus in Theseo, & illo qui in Solone adductus est colligi potest, videtur res Patrias sive Megarenses executus fuisse; ibi enim tractans controversiam, quæ antiquitus inter Athenienses & Megarenses fuit, super Salamine Insula, scribit ut sequitur: *Cui reclamans Megarensis Hereas ait, Megarenses quoque Cadavera in occasum versu collocare. Et eò jam maius insuper indicium singulos loculos habere Athenienses Megarenses ternos & quaternos singulis loculis condi.*

Hermachus Mitylenæus, Agemachi filius, vir, ut Laertius in vita Epicuri ait, insignis, scripsit de Empedocle, quod scriptum inter pulcherrima (ita enim vocat) Monumenta ejus refert, nec videtur licet aliqua ex parte Philosophicum esse potuerit, ab Historia alienum fuisse. Fuit hic Hermachus Polyæni in Epicuri schola successor.

Hermias,

Hermias, sive is Methymnæus, sive alius est, scripsit de Apolline Grynæo, teste Dipnosophistarum Scriptore lib. 4. cap. 9.

Hermodorum, qui de Atheniensium Philosophorum, post Socratis mortem, facta Megaram versus ad Euclidem Socraticum fuga inter alia scripserit refert Laertius in vita Euclidis.

Hermodotus Poeta scripsit res gestas Antigoni licet fide non satis integra, ut Plutarchus in Apophthegmatis & ex illo alii testantur.

Herodes Atticus Orator & Philosophus sua ætate summus, dignitate etiam Romanus Senator & vir Consularis, cujus vitam Philostratus inter Sophistas lib. 1. refert, & de quo multa habet in Noctibus suis Gellius, qui eodem quo ille ævo vixit & floruit, inter alia, quæ scripsit, etiam Ephemerides confecit & edidit, quarum intuitu & hic recenseri dignus mihi visus est. Suidam illius rei testem habeo.

Herophanes Trœzenius, quem patriam historiam scripsisse suspicor, manebit Pausania lib. 2. testis nominatur, ubi de rebus Trœzeniis tractat.

Heropythum, qui de Finibus Colophoniorum commentatus sit, refert toties mihi laudatus auctor Athenæus lib. 7. cap. 17. Natalis Comes pro *Finibus* perperam *Montibus* vertit.

Hesychius Tachygraphus sive Notarius è Georgio Codino Curopalate à Vossio licet extra numerum obiter exhibetur lib. 2. de Hist. Græc. cap. 22. putaturque res gestas Constantini Magni consignasse.

Hierobalthum non referrem in hoc Historicorum Græcorum catalogo, nisi Vossii exemplo metueri possem, qui Sanchoniatonem, Mochum sive Moschum, Diodotum, Hypsicraten, aliosque, qui Phœnicia lingua Historias scripserunt, propterea sibi prætermittendos esse non putavit, quod illæ postmodum ab aliis in linguam Græcam traductæ essent. Fuit igitur dictus Hierobalthus origine & domicilio Berythius, professione Sacerdos, & Historiam suam de rebus, ut facile apparet, Phœniciis, à Abelbabo Berythiorum Regi inscripsit è qua postea Sanchoniata itidem Berythius illa omnia rerum monumenta, quæ de Iudæis prodidit habuisse à Porphyrio asseritur, prout ille apud Eusebium lib. 10. Euang. præparat. ubi locus ex eodem refertur narrat. Sanchoniatonem autem à Philone Byblio Græcè versum esse ex eodem Eusebio Theodoreto & Porphyrio constat, idque nec Vossius suo loco subticuit.

Hieron Nicianus à Nicia Atheniensium Principe Nicerati filio ita cognominatus, an propterea, inter Historicos recipi mereatur, quod scribitur à Plutarcho, ut Xylander vertit, Arcana Niciæ cum Vatibus commercia composuisse, aliorum judicium esse volo. Nec tamen de illo quicquam ambigo, quod sine cujusdam præjudicio facio. *Hime-*

Himerius Chartularius videtur de rebus Byzantinis sive Constantinopolitanis scripsisse, è quo Opere & ex Theodori Lectoris sive Anagnostæ libris, quos de rebus Ecclesiasticis duos numero reliquit (nisi forte præterea alia quoque scripserit) auctor aliquis Anonymus confecit collectionem de Operibus publicis Constantinopolitanis quæ extat in Bibl. Reg. Lutetiana teste Labbæo in Bibl. nova sua pag. 284.

Hipparchum Geographum, quem passim Strabo, Plinius, aliique doctorem suum agnoscunt. jure videor in Historicorum Orchestrâ sessum admittere. Inter cæteros etiam Ciceroni celebratur lib. 2. ad Atticum cap. 6.

Hippeum qui Chronica scripserit memorat Zenodotus in Adagiis, pag. 46.

Hippasus Lacon sive Spartanus libris quinque complexus fuit & descripsit patriam Rempub. ut tradit Laertius lib. 8. in Hippaso Metapontino qui ex Demetrii Magnesii Æquivocorum Opere ista sumpsisse videtur.

Hippolythi Thebani Chronicon memoratur Philippo Labbæo pag. 71. d. Bibl. ubi scribit, extare ex illo fragmentum Historicum à nato Christo usque ad Baptismum, in Bibl. Reg. Paris.

Honetor à Laertio in Stilpone testis cietur lib. 2. Editio Casauboniana sine aspiratione hujus viri nomen ponit. Similiter in Platone lib. 3. idem Laertius librum ejus allegat hoc titulo. *An pecuniosum oporteat esse Sapientem.* Ex hoc loco constat Philosophiæ studia sectatum fuisse, sed ea res non impedit, quo minus & Historicum quid panxisse potuerit. Fuit & Demosthenis Oratio contra Onetorem, cujus meminit Eusebius l. 10. Euang. Proparasc. cap. 3.

Horapollo Grammaticus Ægyptius, cujus Hieroglyphica habemus, de patriis Alexandrinorum rebus, opus reliquit, dramatico, ut videtur, stylo conscriptum. Videri de illo potest Photius tmem. 279.

Hypsicrates qui de Tabulis sive Nobilibus Picturis scripserit refertur à Laertio lib. 7. in Chrysippo.

Iacobus Diaconus Ecclesiæ Hierosolymitanæ S. Pelagiæ pœnitentis conversionem scripsit relatam à Surio tomo 5.

Ioabus scripsit de Assyriis. Clem. Alexandr. lib. 1. Strom. pag 329. Beroso Iunior fuit, è quo Historiam aliquam sumpsisse ibidem dictus auctor agnoscit.

Ioannes incertæ Ecclesiæ Clericus & Cubicularius, scripsit Historiam captæ Civitatis Thessalonicensis, è cujus loci Clero fortè fuerit. Indi-

cium hujus ſcriptionis debemus Philippo Labbæo pag. 71. novæ Bibl. ubi in Naudæana Bibl. extare ſcribit.

Ioannes Canabius conſcripſit & ad poſteritatem propagavit Hiſtoriam Inſulæ Samothracis & de Diis Troicis ut teſtatur Leo Allatius in inſigni de Orientalis & Occidentalis Eccleſiarum perpetuo conſenſu Opere ſuo.

Ioannes Cinnamus Regius ut appellatur Grammaticus, qui hactenus nec de nomine notus fuerat traditur ſcripſiſſe Continuationem Alexiadis Annæ Comnenæ, cujus in publicum emittendæ ſpem facit protrepticum Pariſienſe, ante annos aliquot in lucem datum Translator ejus promittitur Petrus Poſſinus è Soc. Ieſu qui è Vaticanæ Bibliothecæ Codice 319. auctoris illius copiam nactus ſit. Vtitur ejuſdem Cinnami non ſemel teſtimonio Leo Allatius in libris ſuis de conſenſu Occidentalis & Orientalis Eccleſiarum.

Ioannis Curopalatæ Hiſtoriam necdum editam pluribus locis in teſtimonium producit & excerpit Ioan. Meurſius in Gloſſ. Græco-Barbaro, meminitque ejus extra numerum Voſſius lib. 2. de Hiſtoricis Græcis c. 6. ubi etiam è Geſnero & Caſaubono tradit, eam Georgii Codini Hiſtoriæ partē eſſe, & quæ à morte Nicephori Imp. incipit, eandem eſſe cum hujus Curopalatæ, ut neceſſe ſit alterutrum plagiarum eſſe. Niſi tamen fortè ſatius ſit, mitiorem ferre ſententiam, quodque ab aliis potius alterutri alienum opus adſcribatur, quam illorum alter alienis ſe plumis exornarit, dicere præferamus.

Ioannes Diaconus, quem ad Heſiodi ſcutum commentatum eſſe Meurſius in Gloſſario variis locis auctor eſt, etſi pleno Iure in Hiſtoricorum albo locum ſibi vendicare forte nequeat, in hiſtorico tamen argumento magna ex parte verſatum fuiſſe, cum iſta ſcriberet, non facile negare quis velit.

Ioannes Epiphanienſis Scholaſticus ſcripſit Hiſtoriam Iuſtini Iunioris & aliquot Serpentium Cæſarum, ut conſtat non tantum ex Evagrio, cujus civis & cognatus fuit, lib. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quinto in fine, ſed etiam ex Nicolao Alemano in notis ad Procopii Anecdota, in quibus primi tantum libri utpote ad propoſitum ejus facientis meminit, unde etiam ſimul eadem opera docemur, ſupereſſe adhuc haſce lucubrationes.

Ioannes Gazenſis ſcriptum hiſtoricum ad poſteros tranſmiſit cui Archæologiæ titulum indidit. Adducitur à Salmaſio ad Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores Latinos minores qui manuſcriptum penes ſe aſſervari dicit.

Ioannes

Ioannes Hierosolymitanus auctor est vitæ S. Ioannis Damasceni quæ extat, & cum Operibus ejus excuditur. Meminit ejus obiter Gerardus Ioan. Vossius lib. 2. de Histor. Græcis cap. 24. Simlerus in Bibliotheca ait, vitam hanc Arabicè scriptam & à Ioan. Oecolampadio Latinè versam esse, quæ malè cohærent. Nisi dicamus, ex Arabico, cujus scientiam Oecolampadius non habuit, prius in Græcum Sermonem fuisse traductam.

Ioannes Laurentius Philadelphiensis Lydus à Photio in Bibliotheca sua tmem. 180. traditur tres Tractatus scripsisse qui omnes ad censum Historicum mihi spectare videntur. 1. de prodigiis. 2. de Mensibus. 3. de politicis Magistratibus. De stylo hujus autoris admodum inæquali, variè ille judicat, ut in loco qui volunt videre possunt. Mortuum Obtrectatorem Vivorum Adulatorem fuisse idem ait. *Militavit* eodem referente Photio *annum agens vigesimum primum sub Præfectis anno quadragesimo causas egit, deinde & Matricularius fuit: post qua tempora & tractatus illos se composuisse refert & Imperatoris iudicio dignus Palatio est habitus. Attigit* ut idem Photius ex Schotti interpretatione narrare pergit *Anastasii Imperium, & Iustini transegit, gubernantis insuper post illum Iustiniani emetitus. Religione vero superstitiosior videtur; Gentilium enim Sectam colit, simul & fidem nostram, sic tamen ut Lector non facile colligat, utrum sic verè sentiat an potius veluti in scæna ludat.* De materia horum Tractatuum idem auctor in sequentem modum judicat: *Ille de prodigiis parum aut nihil à fabulis differt; alter verò de mensibus, etsi inutilia multa contineat, ad antiquitatis tamen gratam & jucundam cognitionem vehementer prodesse potest; denique de Magistratibus Politicis Liber iis potissimum qui ejusmodi ambiunt non inelegantem affert Historiam.*

Ioannes Phurna, de Assumptione B. Virginis Deiparæ seu de translatione sacri corporis illius, quod surrexit ante communem resurrectionem, homilitico, ut videtur, scribendi genere aliquid complexus est, quod manuscriptum Parisiis, in nescio qua Bibliotheca, testante Labbæo pag. 75. reperiatur.

Ioannem Presbyterum, vide supra in Ammonio Monacho.

Ioannis Sinaitæ Historiam Indorum venientium in S. Civitatem (Hierosolymam) extitisse in Bibl. Sfortiana (Romæ) testis est idem Labbæus pag 71.

S. Ioannis Chrysostomi diversæ supersunt in laudem & de Gestis Sanctorum Homiliæ, quæ tum in ipsis eloquentissimi viri Operibus,

tam in Surianis Sanctorum viris legi possunt. Sunt autem de S. Babyla Martyre Antiocheno, de S. Meletio, & de S. Pelagonio ejusdem locis Archi-Episcopis denique de S. Pelagia Martyre.

Ioannes Monachus S. Arthemii vitam scripsit, citatam à Leone Allatio de consensu perpetuo Græcæ & Latinæ Ecclesiæ.

Ioannes Protovestiarius cognomento Thracesius, memoratur à Cedreno, in proœmio Historiæ inter complures alios, è quibus se profecisse, suaque hausisse fatetur.

Ion Chius è celebrioribus apud vetustatem Poetis Tragicis videtur etjam historiæ dedisse operam & clarorum aliquot virorum vitas scripsisse. Citat illum Plutarchus semel atque iterum in Cimone. Ac ferè satis fusè prosecutum esse Ionem Cimonis res argumento est, quod posteriori loco Plutarchus dicat etiam Orationem ejus ab Ione relatam fuisse, qua Atheniensibus Ephialte superato persuaserit, ut Lacedæmoniis terræ motu afflictis suppetias ferrent. Adducit idem auctor Ionem in vita Periclis, locumque ex illo depromit de Periclis contra Samios victoria.

Iphicratem Strabo testem affert lib. 17. ubi de Mauritania agit: *Auctor est Iphicrates* (ut Casaubonus vertit) *hoc in loco* (Æthiopia Occidentali) *Camedopardiles gigni.*

Iphicrates, sive is à Straboniano diversus, sive cum illo idem est scripsit de rerum Inventoribus, ut auctor est Athenæus lib. 11. cap. 6.

Isaacus Porphyrogeneta scripsit soluta Oratione Paralipomena Homeri, semel atque iterum adducta à Salmasio ad Historicos Latinos minores. Philippus Labbæus auctor Bibliothecæ novæ, quæ Parisiis Anno 1653. in lucem prodiit, inscribit hoc opus Historiam Trojanam & Characteres Ducum, qui ad Trojam (militarunt) qui etiam extare ait in Bibl Reg Parisiensi, è qua Salmasius habuisse videtur.

Isidorus Diaconus Ecclesiasticarum rerum, sive sacræ Historiæ scriptor, occurrit apud S. Ioannem Damascenum in Oratione tertia de Sacris Imaginibus, è quo illum refert Leo Allatius in præclaro opere de perpetuo Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ consensu pag. 281. Narrat illic, ex hujus Isidori Chronologia, de obitu Theophili Patriarchæ Alexandrini, qui cum nunquam passus esset S. Ioannis Chrysostomi nomen in Ecclesia legi, quod Græci ad Diptycha referre vocabant, illum non potuisse animam agere, donec allatam Chrysostomi imaginem prius adorasset, id est, veneratus esset, sive honore affecisset.

Isidorus Philosophus Platonicus discipulus Marini & Damascii Præceptor, à quo vita ejus quæ apud Photiũ tm. 181. Myrobibili extat scripta est,

mandato

mandato alicujus, forte Principis sui ævi, Historiam scripsit complectentem Imperatorum vitas ut in dicta vita Damascius auctor est, cujus ex Andreæ Schotti interpretatione verba sunt: *Cum Imperatorum res gestas scribere jussus obscurus est: de quo Opere agam, quod scio, cum eò perducta fuerit Oratio.* Hactenus Damascius apud Photium, qui in sequentibus non apponit locum, ad quem in relata Clausula respicitur.

Itanum apud Plutarchum in Quinctio Flaminino reperio, è quo narrat, quæ invecta fuerint à Quinctio de Philippo Macedoniæ Rege triumphante. Dubium mihi incidit an non sub hoc nomine mendum lateat, è quæ Tuditano per Capitis præcisionem corruptum sit. Certe Cajum Tuditanum Commentarios rerum Romanarum scripsisse satis constat, illisque aliquoties Gellius Noctes suas illustrat, ac præterea Latinæ potius, quam Græcæ Linguæ illam in *Tanus* terminationem convenire nemo nescit; denique magis verisimile est, illam de triumphali pompa & invectis ærario opibus narrationem, cujus generis apud Livium plures leguntur, è Romano potius quam Græco aliquo scriptore desumptam esse. Sed abstineo falcem meam in Criticorum messem mittere. Fuit olim hoc Itani nomine Samius aliquis, quem Scuti repertorem esse scribit Eusebius Cæsar. lib. 10. Euangel. Proparasc. cap. 6. è Clemente Alexandrino. Meminit Plinius libro 3. Itani Hispaniæ populi, & libro 4. Itani Cretæ Insulæ Promontorii.

Iulius Maternus natione ut suspicari possumus Afer, Garamantum Regi Comes & commilito fuit in expeditione Æthiopica, qua occasione Historiam illius contra Æthiopes Belli & regionum per quas & in quam profectio illa instituta fuit descriptionem composuisse & in publicum dedisse videtur. Est ex illis auctoribus, contra quos Marinus Tyrius, quem Ptolomæus sibi in Cosmographico Opere suo unicè refutandum delegit in Geographia sua disputavit & errorum quos in distantiis locorum prodendis commisissent coarguit. Videatur ea de re dictus Ptolomæus lib. 1. cap. 8. & 10. Scripsisse hunc Græco Sermone, licet nomen & cognomen Latinam Originem ipsi afferere videantur, dubitandum non est, eò, quod nullus Latinorum, quantum sciri vel etiam conjectari potest à Ptolomæo advocetur. Nec fidi potest, utpote nimium fallaci, isti à denominatione ducto argumento; nam diversi è Græcis scriptoribus isto ævo, post concessum satis promiscuè non viris tantum singulis, quantumvis maximo numero, sed diversis etiam urbibus, imò totis provinciis, Romanam Civitatem, factamque Romam, ut Iuris-Consultus antiquus in Pandectis Iustinianeis, & Rutilius Claudius Numatianus in Hodœpo-

tico suo loquuntur, communem diversarum gentium patriam Latina tulerunt nomina; uti Iulii Africani, Iusti Tiberiensis, Iustini Martyris, Clementis Alexandrini, Cæsarei, Germani, aliorumque exempla ostendunt.

Iustinus Philosophus ex antiquissimis Græcorum & totius Ecclesiæ Catholicæ Patribus tractavit de SS. Ptolomæo & Lucio relatus à Surio tomo 5. Est autem narratio illa desumpta ex Apologia priori Sancti Iustini.

Lasus, num & præterea alibi reperiendus apud Ælianum occurrit lib. 12. Hist. Variæ cap. 36. Cum autem reliqui omnes Auctores qui de numero filiorum Niobes ut illic refertur, scripserunt Poëticæ tribus sint, valde dubito, an hunc solum eximium præstare & in Historicorum album infallibili fide referre possim. Quod cum dico, nolim mihi ipsi contrarius videri, utpote qui complures ejus generis Scriptores in hanc Historicorum tribum admiserim.

Laocratis Spartani utitur Plutarchus contra Herodotum pro Locrensibus testimonio in libro de Herodoti malignitate.

Leo Grammaticus Nicephori & Georgii Syncelli Chronographiam à Michaele & Theophane Imperatoribus Orientis, in quibus Syncellus scribendi finem fecerat, continuatione sua auxit & usq; ad Constantinum Imperatorem Romani Generum deduxit. Extat in Bibl. Reg. Parisina, teste Labbæo pag. 281.

Leonem natione Carem, Cedrenus in proœmio Historiæ suæ Byzantinæ refert in illorum scriptorum Catalogo, è quibus quæ narrat mutuatus sit.

Leonardus Chiensis Mytilenes Episcopus, scripsit Historiam captæ à Turcis Constantinopolis, quæ impressa est Noribergæ an. 1544 ut Gesnerus habet in Bibliotheca sua. Meminit ejus Possevinus lib. 16. Bibl. selectæ cap 21.

Leonides scripsit de populis Atticæ testante Athenæo lib. 3. cap 9. ubi circa finem quartum ejus Operis librum nominat.

Leontius Magnes sive Magnesianus à Nicolao Alemano ad Procopii Anecdota advocatur pag. 7 è quo loco cognoscimus, quod inter cætera, hactenus mihi incomperta, successionem Episcoporum Ephesiorum operi suo inseruerit. Vixit autem Synodi Chalcedonensis tempore, cui interfuit, unde constare puto Episcopalis loci & dignitatis fuisse. Nec enim jam inde ab antiquo inferiorum Ordinis Clericis in ejusmodi Conventibus locus conceditur.

Leontius

Leontius Neapolis Cypri Episc. qui secundum Baronium, & quos ille sequitur, fortè idem sit cum Scriptore vitæ S. Ioannis Eleemosynarii, vitam S. Simeonis Sali posteritati reliquit. Vide illam & lege, si lubet, apud Surium tom. 4. & fateberis verissimum esse, quod sanctissimis scriptoribus placet & proditum est: Multa in sanctorum vitis reperiri, quæ mirari magis quam imitari conveniat. E Metaphraste autem, uti plerasque Græcorum vitas ita hanc quoque Surius hausit.

Lesches Pyrrhæus scripsit de carmine de Ilii populatione sive excidio. Auctor ejus rei Pausanias lib. 10. pag. 601, editionis Francofurt. in 8. Diversus ab hoc est Leschidas Poeta Heroicus, Eumenis Regis familiaris, cujus meminit Suidas.

Leuceas Argivus scripsit res gestas Indigenarum sive patriæ suæ & Civium Argivorum versibus ut idem Pausanias testatur lib. 7. pag. 24.

Licymnium Chium, qui Historicus an alius fuerit dubito, citat Athenæus lib. 13. cap. 6.

Longus Sophista scripsit Heroico carmine de Amoribus Daphnidis & Chlöes libris quatuor. Edidit illos Græcè & Latinè, Commelinus una cum Achille Statio paris argumenti Scriptore.

Lycophron Chaldicensis Poeta Tragicus, præter fabulas quas scripsit, reliquit etiam librum Nauplii nomine inscriptum, quem Diasceven vocat Suidas, & Æmilius Portus Historicam narrationem Latinè vertit. *Est hic ille ipse*, cujus Cassandra obscurissimum Poema *Cum Commentario Isaaci Tzetzis adhuc* superest (*vaticinium potius quam fabula*) quique familiaris & amicissimus fuit Menedemi Eretriensis Socratici Philosophi & denominatæ à Patria ejus Sectæ Conditoris, à Laertio traditur scripsisse in gratiam & honorem magni illius Viri & cum quovis sapientum vitæ innocentia & morum Constantia conferendi Satyram cui ab illo Menedemi Inscriptionem dedit, qua laudesque ejus illo executus est, exacti Iudicii rectitudine illum dignum judicans, quem ipsummet nihil scribentem Tragici Cothurni gravitas celebratiorem faceret.

Lydus qui sub Iustiniani Imperio vixerit, deque Nilo scripserit, sequentibus verbis refertur à Theophylacto Simocata libro septimo Historiæ Mauricianæ capite decimo sexto. *De Animalibus Nili humanam figuram referentibus veteres conscripserunt. Quid ea in futurum portenderent, Lydus cæteris multò recentior, (Iustiniano enim Imperatore floruit) prodere memoriæ non dubitavit.* Jure hunc videor ni fallor Historicis inserere potius, quam Divinationum Scriptoribus: eò quod

totum

totum opus exemplis è priorum temporum Historia petitum constitisse videatur.

Lysaniæ Mallotis opus de Eretria Plutarchus allegat in Opusculo de Herodoti Malignitate.

Macareus, qui Coi Insulæ Historiam scripserit, recensetur à Possevino in Bibl. selecta lib. 16. cap. 9. ubi tamen auctorem quem sequatur non addit.

Maës cognomento *Titianus* patria Macedo patre negotiatione natus qui ipsemet quoque, quantum è Ptolomæo, qui illum lib. 1 cap. 11. refert, comprehendi potest, mercaturæ deditus fuit, in publicum dedit navigationis ad Seres (sunt illi ipsi quos hodie Chinenses sive Sinas vocamus) narrationem. In ea inter alia prodidit à Turri lapidea (locus fuit ad littus Arabici sive Troglodytici aut Æthiopici maris) usque ad urbem Seras Serum Metropolim fuisse distantiam 36200. stadiorum, quod iter quadrimestri navigatione absolutum sit. Addit autem non ipsummet eò profectum fuisse sed alium illuc destinasse. Si quis tamen illa, quæ Titianus iste de dicta ad Seras navigatione scripsisse dicitur non tam de Historica narratione quam domestica & privata annotatione capere & interpretari volet, non me habebit pertinacem Contradictorem.

Malaxi Historiam Patriarcharum plurimis locis excerpsit, & in Glossario suo ista ratione carptim legendam dedit Ioannes Meursius. Huic Emanuelis prænomen fuisse Leo Allatius auctor est in libris de Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ consensu. An autem de solis novæ Romæ Patriarchis vel reliquorum etiam Orientis thronorum tractet, qui habent & legerunt testari poterunt.

Manasses ab Eusebio lib. 19. Euang. Præparat. in fine inter reliquos Græcorum Historicos recensetur, qui de Iudæorum antiquitate in scriptis suis egerint, ubi ejus rei Iosephum auctorem laudat.

Marcus Gazensis, ut videtur Ecclesiæ Clericus, familiaris S. Porphyrii ejus loci Episcopi vitam Heri sui pulchrè concinnatam post se reliquit. Extat apud Metaphrastem è quo Lipom & ex illo Surius, sumpserunt.

Marinus Geographus patria Tyrius Ptolomæo antiquior, vel certè coævus fuit, & brevi ante illum terrarum Orbis descriptionem publicavit, sed quod passim errores suo Operi interseruisset à Ptolomæo in omnibus ferè Geographiæ libris quæ de erronea locorum distantia prodiderat passim corrigitur ac primo Operis sui libro ex professo refellitur. De hoc sequentem in modum scribit cap. 6. dicti primi libri: *Marinus igitur Tyrius tempestatis nostræ Cosmographorum postremus, summo videtur studio huic materiæ se intulisse. Nam plura exploravisse cognoscitur præter ea quæ ha-*

ctenus

ctenus nota fuerant. Deinde omnium ferè Historicorum, qui illum prævorterant notitia diligentissimè habita non tantum quacunque errata ab illis fuerant emendavit, sed illa etiam, quæ ipse idem malè tractaverat, quemadmodum in editionibus prima suæ Cosmographiæ quam multa eliminarit licet animadvertere. Interim dissimulari non debet Ptolemaica pleraque ex eodem Marino transcripta fuisse, quod nec ipse auctor dissimulat.

Medius, qui à cognomine Laryssæo, quem Vossius è Strabone refert, diversus fuisse videtur: apud Lucia in Macrobiis reperitur. Hic enim altero illo, qui Alexandri Magni commilito fuit, multò junior extitit, utpote qui de Regis Antigoni filii Demetrii & Antigoni Monophthalmi nepotis ætate seu vitæ annis, quorum octoginta ad minimum complevit indeque inter Macrobios referri meruit in Historia sua scriptum reliquit. Quod si magis placeat eundem hominem esse de quo Strabo & Lucianus loquuntur necesse sit, hunc ad senectutem admodum decrepitam pervenisse, ut non minus ipso Rege de quo scripsit, in Longævorum album recipi dignus fuerit. Diversus est à prædictus tertius ejusdem nominis Philosophus Stoicus, de quo dictum est suprà in Annio.

Megaclides Philosophus Peripateticus inter illos auctores ab Eusebio refertur lib. 10. Euang Proparasc. cap. 13. qui de ætate & Poësi Homeri tractarunt.

Megillum an Historicis liceat tribulem allegare, pro certò necdum affirmaverim. Adducit illum Strabo lib. *15.* pag. *692.* Sed ita ut dubium reliquerit, Historiamne an vero Agriculturam susceperit illustrandam. Quoniam autem neque apud Varronem & Plinium, neque apud Columellam, qui omnium copiosissimum refert Geoponicorum scriptorum Catalogum ejus ratio habetur, eò usque illi locum esse hic inter Historicos nemine invidente cupio, donec, qui certiora de illo eruerit, lege Pappiâ peregrinalis reum fecerit & damnarit. Probabile autem facit citatus Strabonis locus de India & Orientalis regionibus hunc auctorem scripsisse.

Melesagoram Clementi Alexandrino debemus qui lib. *6.* Stromatum scribit, Gorgiam Leontinum & Eudemum Historicum ex illo multa fuisse suffuratos. Hunc etiam à Vossio lib. 1. cap. 2. referri postmodum primum animadverti ubi quoque disputat utrum rectius Melesagoras ut illum vocat præter Clementem Alexandrinum Hesychius, nominetur; an vero Amelesagoras uti apud Dionysium Halycarnasseum legitur.

Melisandrus. Milesius in Historicorum Græcorum catalogo refertur à Laurentio Beierlingio lib. 8. magni Theatri pag. 61. Scripsit autem bellum Lapitharum cum Centauris, ut auctor est Ælianus lib. 11. var. Hist. cap. 2. ubi Melisander legitur.

Melonem, qui ut Eusebius testatur lib. 9. Evangel: Proparasc. cap. 19. opus integrum contra Iudæos conscripsit. Historicæ tribus exortem non fuisse, excerpta eius ex Alexandro Polyhistore illic relata, tanquam leonem unguis, manifestant.

Menippus Lydiacorum Scriptor & Xanthi abbreviator, à Laertio inter reliquos cognomines principe loco refertur. lib. 6. in Menippo Cynico. Videndum an hic forte sit idem ille, quem Vossius lib. 3. refert, Pergamenum patria.

Menodotus Nicomediensis cuius Vossius in additamentis ad Historicos Græcos obiter meminit pag. 464. uti Philosophi & Medici, videtur, etiam ipsis Historicis accenseri posse eò quod ex citatione illius à Laertio in vita Tunonis facta probabiliter inferatur, quod quæ ad Historiam sectæ suæ Pyrrhoniæ & successionis illam profitentium pertinent literis complexus sit. Verba ipsa appono ex Ambrosii Camaldulensis traductione: *Huius* (Tiraonis) *Successor, ut Menodotus refert nemo fuit sed eius defecit institutum donec illud Ptolomæus Cyrenæus instauravit.* Fuit Antiochi Laodiceni discipulus, Præceptor verò Herodoti Tharsensis, qui sextum Empyricum Auditorem habuit, ut dicto loco Laertius scribit.

Menodotus Nicomediensis Professione Medicus Empiricus & Scepticæ sive Pyrrhoniæ Sectæ Philosophus, videtur de Hæreseos suæ rebus & sectatorum eius vita & successione scripsisse. Fuit discipulus Antiochi Laodiceni, ac Præceptor Herodoti Tarsensis, cuius Sextus Empiricus auditor fuit. Narrat ex illo Laertius, è quo etiam quæ retuli sumpta sunt, in vita Timonis Phliasii interruptionem successionis illius sectæ verbis sequentibus *Huius* (Timonis) *Successor, ut Menodotus refert nullus fuit sed eius defecit institutum donec illud Ptolomæus Cyrenæus restauravit.*

Menophanem Photius in Myrobiblo rom. 176. veterem minimeque contemnendum auctorem vocat & de Theopompo egisse testatur: Dubito tamen an Criticis potius quam rerum gestarum Scriptoribus accenseri debeat.

S. Methodius Patriarcha Constantinopolitanus scripsit vitam S. Dionysii Areopagitæ, ut testatur Anastasius Bibliothecarius in Epistola ad Caro-

ad Carolum Caluum Regem Galliæ, ac postea Imperatorem (habetur inter Areopagitica Hilduini apud Surium tom. 5. pag. 661.) & ex illa Baronius tomo 10. sub.an: 847. num. 33.

Metrodorus Lampsacenus, traditur à Laertio in Anaxagora cuius familiaris fuit propter naturæ Historiam Homeri valde fuisse studiosus, de quo tamen an aliquid Scripto complexus sit, nec ille addit nec hactenus ego aliunde comperi.

Metrodorus itidem S. Dionysii Martyrium scripsit estque à Meursio in Glossario in lucem & publicam cognitionem protractus, qui pag. 345. & 584 ex illo lectoribus excerpta offert. Criticorum fuerit dispicere, an forte cum præcedenti Methodio ob nominum vicinitatem, quæ non raro scriptioni errorem accersit, statuendus sit. Ita certe sentit Sauseius in suis Scriptoribus Franciæ Mysticis.

Metrodorus Figeticus citatur à Luctatio Placido in lib. 3. Thebaidos Papinianeæ, ubi ex illo refert à Zoe Maiori (orientis hæc Imperium tenuit) tria constructa esse opima templa inter Ægyptum & Lybiam, sive, ut ipsius Interpreti loqui placuit, ab Æthiopia usque in Lybiam.

Metrophanis, quem veterem & non contemnendum auctorem vocet, Photius meminit, tm. 146. ubi de Theopompi Historia agit, deque illa eum disservisse addit. Hic Criticis an Historicis accensendus sit non definio, sed rem, ut paulò obscuriorem, in medio relinquo.

Michael Choniata scripsit carmine de Athenarum urbe, cuius loci ArchiEpiscopus fuit id præcipuè agens ut ostendat illam ab antiqua mul- differre eique dissimilem esse. Extat Parisiis in Biblioth. Labbæus pag. 135.

Michael Syngellus vitam S. Dionysii Ariopagitæ concinnavit, ut auctor est in editione Operum illius sancti viri, Balthasar Corderius S. I. tomo 2. pag 207.

Mynyes refertur à Diogene Laertio in Thalete ubi ex illo traditur Philosophum illum Thrasibulo Milesiorum Tyranno convixisse.

Metrodorum quendam, à præcedentibus alium, refert Photius in Myriobiblo tmem 115. quem quia auctor Syllabi auctorum Photianorum siue is David Hœschelius sive Andreas Scottus est, inter sacros Historicos recenset, facile illi locum assignatum relinquo intactum, quamvis fatendum sit eà ratione plures eiusdem argumenti Scriptores Græcos alios ad eandem classem pertinere. Scripsit autem de sacro Paschatis festo ordinando quo in opere à Diocletiani Imperio faciens initium quingentorum triginta trium annorum festa collegit.

Mnesagoram refert Apollodorus Atheniensis in Bibliotheca sua sive de Deorum Origine lib. 3. fol. 115.

Mnesilochus, de quo amplius deliberandum & inquirendum apud Laertium lib. 2. in Socrate quærentibus obvius est.

Mnesiphilum, qui de Themistocle quædam conscripserit, in vita ejus Plutarchus producit.

Mnesiptolemus scripsit Historiarum recognitionem, idque Historicè ut videtur non Philologicè sive Grammaticè, quantum ex Athenæo l. 10. qui solus, quantum scio, hujus auctoris meminit, cognoscere est, ubi de Seleuco Rege narratiunculam ejus habemus.

Molus Estiæus in eodem quo Hieronymus Ægyptius versatus est argumento scripsitque Phœnicam Historiam. Ambo referuntur junctim ab Eusebio lib. 4. Præparat. Euang cap 4.

Monimus scripsit de rebus admirabilibus Commentarium, quem Clemens Alexandrinus in Exhortatione ad Gentes memorat & ex illo Eusebius lib. 4. Euangel præparat. cap. 16. Forte hic sit Philosophus ille Pythagoricus, cujus vitam Laertius lib. 9. exequitur.

Moschionis Commentarii è quo locum affert de Navi Hieronis Regis, meminit Athenæus lib. 5. cap. 9.

Musæus Eresius Versificator, scripsit Perseidos libros 10. ac præterea de Eumene & Attalo Regibus. Suidas.

Musæus Eumolpi filius Atheniensis Antiquissimus Græcorum Philosophus, cujus intuitu Diogenes Laertius Philosophandi Originem Barbaris quibus à plerisque adjudicata esset ablaram Græciæ suæ tribuere non dubitavit. Primus est, eodem tradente auctore qui Theogeniam scripsit, magno suo jure propterea Historicæ suæ gentis inserendus. Videri de hoc præter dictum Laertium in operis sui de Philosophorum Visis Prœmio Lilius Gyraldus in suis de Poetis Dialogis quosque ille citat auctores. Semel enim sciendum est antiquissimos auctores non nisi carmine scripsisse. De Philosophia autem à Barbaris non à Græcis originem suam repetentc Otto Heurnius aliique videri possunt.

Myes redegit in compendium res Siculas Hyppis sive Hypis quem Darii & Artaxerxis temporibus vixisse & primum in illo argumento versatum esse volunt. Suidas ejus rei auctor est. Hujus etiam Vossium meminisse lib. 4. c. 3. postmodum animadverti.

Nausicretem Rhetorem Plutarchus in vita Cimonis circa finem testem adducit referens ex illo sepulchrum quod apud Citticnses extet & in ve-

in veneratione sit. Incertum autem manet in Oratione sive Declamatione aliqua ista retulerit, vel potuis ex professo etiam Historias scripserit.

Nectarius è Senatore Patriarcha C P. de festo S. Theodori lucubrationem edidit, quam videtur ad populum Homelitico Sermone habuisse. Reperit illam in Regia Parisiensi Bibl. Philippus Labbæus, & mentionem illius facit in Bibl. sua pag. 74.

Nectarius alius religiosam, ut vocamus, vitam professus, quod genus hominum apud Græcos Hieromonachorum cognomen accepit, scripsit vincta oratione sive carmine de Abbatibus, qui ante ejus ætatem claruerant eoque nomine meruit Bibl. novæ inseri à Philippo Labbæo pag. 185. ubi in Regia Parisiensi Bibliotheca inventam fuisse testatur.

Nesiotes à Callimacho traditur auctor esse descriptionis Asiæ, quam alii Hecateo Milesio tribuerint. Testis ejus rei Athenæus l. 2. c. 33.

Nicanetus à Parthenio in Eroticis auctor laudatur; profertque Historiam quandam à Lyrco ejus. Meursius in Syntagmate de Apolloniis pag: 70.

Nicetæ Philosophi vita SS. Cosmæ & Damiani è Metaphraste tomo 5. à Surio inserta est.

Nicephorum Callistum Xantopulum notissimum & nobilissimum Ecclesiasticarum rerum scriptorem à Vossio præteritum esse valde miror, cui sine omni dubio cognitissimus fuit, citat enim illum lib. 4. cap. 18. Floruit ille sub Andronicis Palæologis avo & nepote CP. Imperatoribus & sacras antiquitates deduxit octodecim libris usque ad mortem Phocæ; tres reliquos libros, quorum summaria una cum prædictis in antecessum legenda dedit, non videtur perfecisse, qui in Leonis Philosophi Imperatoris obitu finiri debuerant. Vertit illum Latinè Ioannes Langius Ferdinandi I. Imperatoris Consiliarius, illique ipsi Cæsari, cuius beneficio in lucem protrahebatur inscripsit. Prodiit prima fœtura typis Oporimanis Basileæ in fol. posteà Parysiis anno 1566. recususest in octavo. Ipse Nicephorus illam Historiam suam, quam admodum iuvenis scripsit lucu'entà & prolixa præfatione Andronico Seniori dedicavit. Videri de hoc Auctore possunt, Baronius, Bellarminus, Possevinus, aliique, à quibus subinde errorum commissorum arguitur.

Nicephorus Blemmyda inter alia quæ scripsit ad posteritatem transmisit Historiam vitæ S. Pauli Latrensis teste Leone Allatio in libris de Ecclesiarum perpetuo consensu.

Eisdem *Blemmydæ* laudatio S. Ioannis Theologi exstitit dum vive-

ret apud Gabrielem Naudæum in cuius Bibliotheca etiamnunc Parisiis superest ut ait Philippus Labbæus pag. 74.

Nicephorus Diaconus à Cedreno ab oblivione vindicatus, posteritati innotuit, recensitus ab illo inter auctores quos à se delibatos esse agnoscit.

Nicephorus Orator & Philosophus Encomiastica funebri Oratione scripsit vitamS. Antonii Patriarchæ Constantinopolitani, quem refert Surius tomo *1.* ad diem Febr. 12.

Nicetas Paphlago Historicus, quem de rebus Constantinopolitanis & vitis Orientis Imperatorum scripsisse suspicari possumus, refertur in Proemio Historiæ suæ à Georgio Cedreno.

Nicias Nicomediensis memorator à Pausania lib. 3. ubi de Hyacinthi formositate & Apollinis in eum amore ex illo refert.

Nicostratus Macedo celebris suo tempore Orator vixit M. Aurelio Imp. rerum potiente, cuius etiam encomium scripsit, ac præterea Imagines, quorum operum intuitu illum referre visum est. Nam Decamythia eius forte aliò pertineat. Suidas.

Nicobule, (sive id viri sive fœminæ nomen fuit, videtur enim fœmininæ terminationis esse sed virum designare) testis adducitur ab Athenæo lib. 10. & 12. qui uterque locus documento est illum Historica tractasse.

Nicolaus Cabasila Chamaetes præter diversa epigrammata scripsit Epitaphium Nili Thessalonicæ ArchiEpiscopi Avunculi sui, quod in Regia Parisiensi Bibliotheca asservatur. Scripsit præterea Oratione soluta in assumptionem B. Virginis Deiparæ eiusdemque annunciationem quæ omnia in præd. Reg. Bibl. Parisiis supersunt, prout oculato testi Pilippo Labbæo credere convenit.

Nicolai Callisti Xantopuli Synaxarium (ita Græci vocant vitas Sanctorum, & festa per annum & menses disposita, aliis nominibus ab iisdem Menæa & Menelogia dicta) reperitur in sœpius memorata Regia Bibl. eodem Labbæo teste pag. 72. ubi & aliorum diversorum Synaxariorum ab Anonymis conscriptorum meminit.

Nicostratus Sophista patria Trapezuntius orsus à Philippi Imperio, qui Gordiano successit perduxit historiam suam usque ad Odenatum Palmyrenum, Zenobiæ ab Aureliano victæ & in triumpho ductæ maritum, ut scribit Evagrius lib. 4. Eccles. Historiæ cap. ult. Inter reliqua isto opere complexus fuit turpem & ignominiosam Valeriani Imp. contra Persas expeditionem.

Nilus

Nilus Doxopatra ſcripſit de quinque Patriarchalibus ſedibus ut auctor eſt Leo Allatius de conſenſu Eccleſiarum Orientis & Occidentis.

Nomi Synogogam hiſtoricam in ſuis ad Heſychium notis pag. 163. excerpit Ioannes Meurſius. Idem facit in Gloſſario & in Solone, cap. 26.

OEnopides, qui de Nilo, eiuſque incremento ſcripſerit, apud Simocatam lib. 7. de Mauritii Imp. geſtis cap. 17. reperitur.

Olympichum exhibet Clemens Alexandrinus in ſua ad Gentes exhortatione pag. 30. è quo loco noſcitur Samiaca ſcripſiſſe.

Oneſicrates à Plutarcho producitur in vita Alexandri, cujus geſta ſcripſiſſe probatur. Videndum autem an forte Oneſicritum intelligat & Librariorum vel Typothetarum error in nomine ſubſit. Fuit certe eo nomine vir doctus & hiſtoriarum Scriptor in Alexandri Comitatum, quod etiam Voſſius fatetur licet implicitè tantum & generatim ſcriptorum eius meminerit, nec expreſſe addat de Magni illius Regis actum ab illo rebus eſſe. De eo autem negocio diſertè teſtantem videre eſt Lucianum in Macrobiis. Editio Operum Plutarchi Græco-Latina Francofordiana VVechelianorum in Græco textu retinet Oneſicratis nomen, ſed Latinus translator illic vertit Oneſicritus. Reperio etiam apud prædictum Lucianum idem hoc Oneſicratis nomen alio loco, nempe in libello de hiſtoria conſcribenda ut omnino ſuperſit perquirendum an non duo diverſi Hiſtorici olim vixerint, qui cognatis quidem proximeque ab invicem litteram vicinitatè & identitate diſtantibus diverſis dicti nominibus fuerint. Fuit autem Oneſicritus, ſive is cum Oneſicrate idem ſive ab illo diverſus fuerit, Philoſophus Cynicæ Sectæ, diſcipulus Synopenſis Diogenis, ut è Laertii libro 6. conſtat & Maritimæ contra Indos militiæ ſub Alexandro Imperatore teſt s eius rei Strabo lib. 15.

Orapion Scripſit de Diis Ægyptiis, cujus rei ſatis gravem & idoneum auctorem habemus Tatianum, inter Eccleſiaſticarum rerum Antiquarios illuſtris ſatis nominis.

Orion vixit ſub Adriano Imp. cuius geſta panegyrico celebravit etiam tunc ætate iuvenis. Caſaubonus, ad Hiſtoricæ Auguſtæ Scriptores minores cap. 3.

Oroebaſii Troezenii Poëmata ante Homerum extitiſſe ſcribit Aelianus lib. variorum 11. cap. 2. quo ſimul innuiſſe videtur, in eodem cum illo verſatum eſſe argumento, & Troica ſcripſiſſe.

Oſte-

Ostenium Græcum Historicum miracula & fabulas scripsisse ait Simlerus in Bibliotheca, sed quo auctore id prodat præterit.

Othesias eiusdem solius indicio mihi cognitus est, qui tamen cum præcedenti idem censeri possit, ita ut in nomine solum lectio variet. Nam & hunc Miraculorum Historiam & fabulas scripsisse affirmat, sed absque aliquo quem sequatur auctore.

Orpheus Thrax Celeberrimus ille in Poëtica & Philosophia ex ultima antiquitate fundatoris potius quam Excultoris laudem promeritus auctor Scripsit de Diis Gentilibus ac vix aliter quam Historicè, illud argumentum suum tractasse videtur. Culpatur enim à Laertio quod deorum Majestatem fœdissimis fabulis violarit potius quam celebrarit & exornarit. Ascribam de hoc è Laertio locum, quo ndignans & Stomachabundus refert in Prœmio operis sui de Philosophorum vitis adhunc à quibusdam Philosophiæ Primaria deferri.

Paanius scripsit Entropiani Breviarii Historici Metaphrasin, quam citat Meursius in Glossario. Pluribus prætereà locis producitur à Casaubono in notis ad Historicos Latinos Minores, sed ita ut dicat, pessimis usum esse in transferendo cod cibus, ideoque ferè corrumpi ab illo verum auctoris sensum. De hoc ut & proximè sequenti, ac diversis aliis in hac recensione ex errore, non satis tempestivè, sed citrà culpam, animadverso, positis & relatis, in principio addita: mentorum Lector monetur.

Paon Amathusius (Pænon est in Latina versione,) Natione Cyprius scripsit librum de Theseo & Ariadna, refellens aliorum de Ariadnes exitu narrata. Eius ista de re locum Plutarchus in Theseo, sequentibus refert: *Quæ vero fabulis sunt decantata omnes ferè in ore habent. At librum de his edidit Paon Amathusius, diverso modo scriptum. Nam Thesea ait tempestate Cyprum delatum, cum gravidam secum haberet Ariadnam, maleque ex iactatione affectam & languentem solā exposuisset, ad succurrendum navigio in Pelagus rursus à terra ablatum: Fœminas autem indigenas accepisse Ariadnam moestam, quod relicta esset sola, fovisse, ac literas ei obtulisse adulterinas velut à Theseo iam missas, adiuvisse etiam & in partu præsto fuisse atque defunctam non edito partu funerasse Supervenientem Thesea & dolore confectum indigenis argentum reliquisse instituisseque ut Sacra faceret Ariadnæ. Duo autem ei exigua simulacra posuisse Argenteum unum alterum æneum. In sacris altero die mensis Gorpæi decumbentem Adolescentem voce & gestu feminas parturientes exprimere.. Appellare Amathusios locum in quo tumbam Ariadnes ostendunt, Veneris.*

Palladium è Photii Myrobiblo huc accerse re lubet, qui dialogi forma vitam

vitam S. Ioannis Chrisosthomi publicavit. Præfigi illa solet Sancti illius Doctoris operibus, cum aliis eiusdem thematis explanatoribus. Est autem idem ille, cuius Lausiacam historiam habemus, de vitis Anachoretarum Orientalium.

Palladii de Gentibus Indorum & Brachmanis Historiam exstitisse in Sfortiana Bibl. (Romæ) auctor est Philippus Labbæus pag. 71. ubi etiam de præsenti adhuc superesse putanda est.

Pallantem, qui de Mithræ mysteriis scripserit, refert in Evangel Praparasceve lib. 4. cap. 16. Eusebius Pamphili Episcopus Cæsareensis, cuius non fecissem mentionem, nisi eius generis Scriptores aliquot à Vossio inter Historicos recenserentur.

Panætius Stoicus Philosophus ex illis fuisse reperitur, qui de Sectis Philosophorum scripserunt, ut constat è Diogene Laertio in Aristippo. Reliqua igitur, quæ in Opere illo Laertiano passim è Panætio non addita libri Epigraphe referuntur, ex eodem de Sectis volumine eius desumpta esse verisimile est.

Pantoleon de Miraculis S. Michaelis semel atque iterum occurrit apud Meursium in Glossario.

Paphnutio Anachoretæ è Cœnobio Thebaidis, apud Metaphrasten adscribitur vita S. Honuphrii Eremitæ, aliorumque eiusdem instituti Patrum, quæ apud Surium legitur tomo 3. Fuit Sanctorum illorum, quorum gesta celebrabat, æqualis, eosque in carne sibi notos fuisse ipsemet commemorat.

Pappi Historici meminit Plutarchus in vita Demosthenis haud procul à fine, agens de incomparabilis illius Oratoris obitu, sequentiaque ex illo tradens, *Venenum scribit illum Aristo ex calamo ut dictum, est sumpsisse. Pappus quidam cuius Historiam consarcinavit Hermippus, refert, cum prolapsus apud aram esset, repertum in libello initium scriptum Epistola:* Demosthenes Antipatro, *præterea nihil.*

Pasicrates famulus, sive ut Isaacius Pontanus vocat (in Epistola Apologetica pro historia sua Amsterodamensi contra Franciscum Svvertium) discipulus S. Georgii Martyris, scripsit vitam Heri & præceptoris sui, quam refert Lipomanus è Metaphraste, & ex utroque Surius.

Panolbius Poeta scripsit varia, & inter cætera Epitaphium Hypatiæ filiæ Erythrii. Suidas.

Pasitelem vide infra in Prasitele.

Paxamum nescio quis Dipnosophistarum Historicum suum vocat apud Athenæum lib. 9. cap. 6 Nullum autem dubium est hunc eundem es-

te cum illo Iulii Pollucis quem lib. 6. cap. 10. inter coquinarios scriptores recenset. Videtur igitur, dum artis illius præcepta exequeretur, eruditi luxus & lautioris gulæ historiam simul intermiscuisse.

Pelagius Patricius, qui sub Zenone Imp. vixit, scripsit versibus historiam, quam ab Augusto orsus est. Auctor eius rei Cedrenus, quem Beierlingius in Theatro citat.

Persæi, quo magis in hoc Græcorum Historicorum catalogo meminisse voluerim, sequens facit Diogenis Laertii locus in Bione Boriisthenite lib. 4. *Desinant igitur Persæus & Philonides ea historia tradere, me autem ex me ipso intuere.* Ita ipsemet Bion ad Antigonum Regem, è quo ulterius constat, Persæum hunc non intelligi alium, quam eo nomine Stoicum Philosophum, qui huic Regi familiaris & dilectus fuit. Idem Laertius in princip. vitæ Zenonis Convivales Persæi Commentarios citat, quos ad aliquam aliam, quam Historicorum classem, redigi rectius posse vix putarim.

Perseus, quem idem Diogenes refert in Æschine Socratico, an is ipse sit, quem de Lacedæmoniorum Republica scripsisse testatur Athenæus pro certò nec affirmari, nec negari potest. De Philosophis illum scripsisse apparet, ac dubitari possit, an non sit idem cum præcedenti Zenonis Cittiensis discipulo, quem AcroCorintho à Rege suo præfectum Aratus Sicyonius, audax impiger & animosus juvenis astu dejecit.

Phanias Lesbius de Solone videtur scripsisse, quantum apparet ex illis, quæ in hujus vita Plutarchus, à quo citatur, refert. Excerpsit illum præterea in Temistocle binis locis, quorum posterioris hæc Clausula est: *Hæc Philosophus & Historiarum non rudis Lesbius Phanias memoria prodidit.*

Phanocritus qui Eudoxum scripserit, apud Athenæum testis comparet lib. 7. c. 1. An autem Philosophi illius & Astrologi, qui Cnidius patria fuit & à Plinio inter Magos refertur, vitam, quod probabile videtur, & an illius solius, vel alius cognominis, vel aliud denique argumentum illo opere executus sit, hac tenus in incerto est.

Phantasiam Memphitida Nicarchi filiam poetriam Ægyptiam, ante Homerum Iliada & de Ulysse Narrationem scripsisse, apud Photium auctor est Ptolomæus cognomento Chennus Hephæstionis filius tmemate 190. pag. 486. Quia autem Photius eadem pagina auctorem illum fabularum scriptorem vocat, cavendum videtur, ne pro verà nobis confictam & Phantasticam aliquam ab illo obtrudi sinamus.

Pherecydis Syrii Philosophi & Theologi gentilis meminit quidem

Vos-

Vossius lib. 4. cap. 4. sed solius cognominis Historici Atheniensis occasione, ita ut inter Historicos disertis verbis illum non recipiat, inter quos tamen ob scriptam decem libris Theogoniam admittendus videtur.

Phileas Aegiptius ex urbe quæ Tmuis vocatur, ortum repetens vir Episcopalis dignitatis scripsit inter alia de laude Martyrum teste S. Hieronimo cap. 78. de scriptor. Eccles. qui tamen non addit, an generatim in thesi id argumentum tractarit, an vero potius simul illustribus Martyrum exemplis & gloriosis agonibus, quod verisimile est, hoc thema suum illustrarit. Sub Maximino illis aggregatus est pari vitæ exitu, quorum encomiasten egerat.

Philemon, quidam scripsit de omnigenis oraculis, ut auctor est Athenæus lib. 3. pro certò affirmari nequit hunc eundem esse cum illo cujus testimonio in re Geographicâ semel atque iterum Plinius utitur quod idem de Homonymo novæ Comœdiæ Poetâ similiter verius puto. Auctor Elenchi Auctorum apud Athenæum hunc eundem censet cum scriptore de Atticis nominibus vocabulis & glossis, quem Atheniensem patria fuisse idem Athenæus auctor est.

Philippus Isangelus (Delatorem vertit Xylander) inter scriptores rerum Alexandri Magni recensetur â Plutarcho in vita eius Regis illo in loco, ubi in duas illos classes partitur, alteram illorum qui affirment, alteram qui negent, è quorum numero hic quoque fuit, illum cum Amazone congressum fuisse. Diversus est à cognomine Chalcidensi Alexandrinarum rerum itidem Scriptore. Videatur Plutarchus citato loco.

Philippus eius nominis secundus Macedoniæ Rex à T. Quinctio Flaminino victus & triumphatus, redegit in compendium libros Historiarum Theopompi, resecans degressiones eius eaque ratione libros 58. in sedecim contraxit. Testis eius rei Photius in Bibliotheca sive Myrobiblo suo.

Philippus Megaricus Laertio debetur, qui in Stilpone Megarensi Philosopho, de cuius vita & gestis egisse videtur illum refert. Forte igitur res patrias literis mandarit, eaque ratione illius civis sui pariter meminerit.

Philippi Syracusani nomen suspicari quis possit mendosum esse apud Possevinum in Bibliotheca selecta lib. 16. pag. 401. & Philistum eius loco reponi d bere vel saltem scribi debuisse, nisi contrarium magis probabile faceret, quod eo in loco & vicinis, tam præcedentibus, quam sequentibus non de aliis auctoribus agat, quam quorum lucubrationes supersunt, quod utinam de Philisto plurimisque aliis ex antiqui-

rare Scriptoribus, quos longa ætas intercepit verè affirmari possit. Scripsit autem Philippus ille, quod præcitati Auctoris fide refero, de Siculorum variis gestis contra Syracusanos.

Philiscus nescioquis, refertur à Marsilio Ficino Florentino philosopho Platonico in vita Platonis, quam operibus eius prætexuit, ubi ait Lycurgi Oratoris Vitam ab illo scriptam fuisse, è qua etiam affert dicti Demagogi sequens Elogium: *Magnus vir fuit Lycurgus multaque sunt ab eo gesta præclarè, quæ facere nemo potuisset, qui non fuisset Platonis auditor.* Apud Plutarchum in vita huius Lycurgi, quæ inter decem Oratores in tomo moralium extat, nulla Philisci mentio est: Nec tamen est ut suspicemur forte intelligi Philistum Syracusanum, si secularium rerum Historicum, qui primus fuisse perhibetur, qui è Rhetorum ordine Historias scripserit; Is enim Lycurgo antiquior est.

Philistion scripsit res incredibiles, prout ex Epiphanio tradit Simlerus. Dubitari tamen potest an ea mens Epiphanii lib 1. tom. 2. adversus hæreses, ad quem locum Simlerus respexit, fuerit, quod eo nomine locum aliquem inter Historicos sortiri & tueri possit. Mimographus enim hic Philistion fuit, ac præterea non de hoc, sed de Diogene quodam, quod de incredibilibus scripserit, Epiphanius affirmat. De hoc autem Antonio Diogene Vossius agit lib. 1. pag 87. Interim nil fuerit absurdi æque Philistionem ac alium hanc eandem tractasse materiam præterque Mimos Historicum quid conscripsisse: Sed deficiente idoneo ex antiquitate auctore à posse adesse non valet consequentia.

Philoclem à Didymo Grammatico in Tabularum Solonis Breviario testem adductum fuisse Plutarchus refert in principio vitæ illius sapientum Græciæ Primicerii & Atheniensium Legumlatoris.

Philodemus Epicureus, libros complures conscripsit de Philosophorum compositione, quorum decimum testem adducit Laertius lib. 10. Ex eodem in relata illic Epicuri vita (huic enim & Platoni solis integros libros dedit) referuntur aliqua, de laudibus Polyæni Lampsacensis, Epicurei itidem Philosophi. Possit autem in allegatis illis compositionis libris Philosophorum inter se comparationem instituisse videri, nec dogmatum tantum, sed etiam vitæ & morum causa. Fuit natione Syrus patria Gadarensis, ut auctor est Strabo lib. 16. ubi inter Illustres Gadarenses recensetur.

Philonidem inter Historicos referendum esse, ex illo, quem paulò ante in Persæo è Laertio retuli loco, verisimile arbitror.

Philo Byzantius scripsit de Orbis miraculis, laudatus à Leone Allatio in:

tio in libris sæpe à me citatis de Ecclesiarum consensione perpetua.

Philo Dialecticus & ipse Historicorum numerum augere dignus est, eò quod Menexenum eius citet Clemens Alexandrinus lib. 4. pag. 523. & ex illo referat quinque filias Diodori Chroni, quæ omnes literis eruditæ & præcipuè in Dialectica arte exercitatæ fuerint. Sed clarius est de eadem re S. Hieronymi testimonium lib. 1. contra Iovinianum ubi ait: *Diodorus Socraticus quinque filias Dialecticas insignis pudicitiæ habuisse narratur, de quibus & Philo Carneadis Magister plenissimam scribit Historiam.*

Philo quidam scripsit libros plures de urbe Hierosolymitana Carmine Heroico cuius Eusebius lib. 9. Evangel: Praeparasc: cap. 37. locum aliquem recitat deprompum ex Alexandro Polyhistore. Ea res documento est, esse illum à Philone Iudæo alium, eoque antiquiorem, nec reperitur Alexandrinus ille Philo, quantum ex illius aliorumque Scriptis cognoscere datur, Poeticam attigisse. Hinc ab eodem Eusebio in fine dicti libri Philo hic qui carmine scripsit ad differentiam alteri us SENIOR vocatur.

Philonem adhuc alium à prædictis diversum, qui de viris Illustribus scripserit, itidem non reperio inter huius nominis reliquos, à Vossio in Historicorum recensione memoratus. Referunt hunc Simlerus & Phrysius in præfat. Bibliothecæ suæ. Cum autem è vetustis auctoribus nullum eius rei testem adducant, suspicor illos respexisse ad Diogenis Laertii allegationes, qui Philonis testimonio in Platone & Pyrrhone Eliensi utitur, vocans illum posteriori loco patria Atheniensem. Etsi autem expresse non addat Laertius, illum vitas scripsisse, probabili tamen coniectura è dictis eius inferri posse videtur.

Philostratus, præter duos Æquivocos, quos in Historicorum Græcorum catalogo Vossius exhibet, tertius adhuc superest iisdem accensendus. Meminit enim non uno in loco huius nominis Historici, qui res Phœnicias & Indicas scripserit Iosephus lib. 10. Antiquit: Iudaic: cap. 11. & contra Apionem lib 1. ubi Historia eius de Tyri obsidione adducitur. Ioannes Meursius in dissertatione de Philostratis, hæc accipit de Philostrato Lemnio, eo qui Apollonii Tyanei vitam scripsit, sed sola ductus coniectura, quæ consistere non potest, eò quòd constet scriptorem illum vitæ Apollonianæ Iosepho multò iuniorem esse. Verisimilius videatur Historicum illum à Iosepho memoratum fuisse antiquiorem illum Philosophum sive Sophistam de quo in primo de Sophistis libro tertius ille è Lemno Philostratus agit, quemque Cleopa-

træ Reginæ familiarem fuiſſe dicit. De illo idem, quem dixi Meurſius exponit, quæ Photius & Ioannes Tretzes de Philoſtrato Tyrio prodiderunt.

Philoxenus Lyricus ſcripſit Carmine Melico Genealogiam Æacidarum. Suidas.

Phitocles citatur ab Euſebio lib. 4. Evang. Præparat. cap. 7. qui diſertis verbis Hiſtoricum vocat. Refert autem ex illo ſolitos olim fuiſſe Phocenſes Dianæ hominem immolare.

Phœbionem Philoſophum Stoicum Longini Platonici coætaneum ſuprà in Annio reperies. Huic autem præ cæteris Longinus Philoſophus, è quo referuntur, eloquentiæ, laudem concedere videtur quando ſcribit: *Hic* (Phœbion) *ſane ex ipſa Orationis diſpoſitione magis quam ex ſolo mentis conceptu gloriam ſibi cenſuit comparandam.*

Photius Conſtantinopolitanæ Sedis Schiſmaticus Patriarcha, quamvis propriè Hiſtoricus non fuerit præclariſſime tamen de Hiſtoriæ & antiquitatis amantibus meritus eſt, verè aureis illis plurimorum ſacræ & profanæ Hiſtoriæ Scriptorum Excerptis, quæ in Bibliotheca ſuâ conſervavit ab interitu, & philomuſis legenda præbet; Eaque vel ſola, prætermiſſis quæ aliorum generum ſunt, iuſtum volumen conſtituant. Videatur is in Olympiodoro, Memnone, Philoſtorgio, Diodoro Siculo, Arriano, Ioſepho, Sopatro, Ptolomæo Hephæſtionis, Cteſia, Conone, Philoſtrato, Damaſcio &c. His accedunt ea, quæ paſſim de multorum auctorum, quorum opera à ſe lecta fuiſſe aſſerit, vitâ interſerit.

Pigres Artemiſiæ Reginæ filius, à Beierlingio tomo. 8. Theatri pag. 61. in Hiſtoricorum catalogo refertur. Scripſit autem ut illi placet metricè Græcorum cum Perſis pugnam, ad Artemiſium, idque Plutarchum teſtari addit in libro de Hominum (Herodoti dicendum fuit) malignitate, ſed non reperitur talis auctor deſignato loco. Suidas tamen hoc nomine Poetam refert, ſed qui non filius ſed frater fuerit Artemiſiæ Reginæ, quique ad ſingulos Homeri verſus Heroicos ſingulos pentametros adiecerit. Eiuſdem ait Margiten eſſe qui Homero adſcribatur, & Ranarum Muriumque pugnam.

Pindarum Iuniorem recenſet in ſyllabo auctorem de rebus geſtis Magni Alexandri Raderus cap. 4. Proluſionum Curtianarum.

Piſander Camireus auctor Heracleæ Carminis inter poetas facile locum ſuum tuetur; an inter Hiſtoricos æque, propius noſſemus, ſi opus eius extaret. Multum enim intereſt an ex Licentia Poetica an verò Hiſtorica fide verſibus quis tradat, quæ geſta fuiſſe vel narrantur vel finguntur

guntur. Memoratur Quinctiliano Pausaniæ, Clementi Alexandrino aliisque. Videtur tamen non usque adeo certum apud antiquos fuisse, quantum ex Pausania comprehendere licet, hic an alius illius carminis auctor fuerit Insignem de Historia Pisandri locum vide apud Macrobium lib. 5. Saturnalium cap. 2. quem refert etiam Gyraldus dial. 3 de Poetis pag. 94.

Pisandrum Larandæum reliquis à se recensitis Historiarum conditoribus intexit Beierlingius in Theatro tomo. 8. pag. 67.

Pisini Lindii Heracleam, Pisander quem commemoravi culpatur compilasse à Clemente Alexandrino lib. 6. Stromatum pag. 628.

Pisistrato Ephesio immortalitatem dedit Diogenes Laertius lib. 2. in Æschine Socratico; sed non adeo certum est, Philosophorumne, an vero Criticorum, an denique Historicorum, quod velim, tribulis fuerit. Scribit autem citato loco auctor hic vulgatos ab Æschine Socratis nomine Dialogos, quos à Xantippe se accepisse prætendebat (Acephalos vocatos esse ait) suppositittios & Pseudepigraphos fuisse.

Planudes, qui Maximi siue prænomen siue cognomen habuit, scripsit præter alia plurima, ad Philosophiam & Philologiam pertinentia, vitam AEsophi, editam cum Phrygii illius festivissimi fabulatoris Apologis.

Polycrates à Iosepho, lib. 1. contra Apionem, inter illos refertur Auctores, qui integras gentes in Historiis suis proscinderint & criminati sint, (Græci blasphemare vocant) quod ut à Theopompo Atheniensibus, ab auctore Tripolitici Thebanis, ita ab hoc Polycrate Lacedæmoniis contigisse scribit.

Polybius Episcopus scripsit vitam S. Epiphanii Episcopi & Ecclesiastici Scriptoris necdum editam, e qua diversos locos in medium profert Meursius in Glossario.

Posidonium Alexandrinum, Philosophum Stoicum, Zenonis Cittiei discipulum, quamvis Photius ex albo Historicorum eradat, & Suidæ auctoritatem, in illis quæ de eo scripserat, reiiciat, minime tamen videtur ab hoc consortio arcendus esse. Scripsisse enim Historias vel saltem res Geographicas, colligimus è Strabonis libro septimo, ubi pag. 465. tradit, Posidonium à Polybio sæpius fuisse reum factum, sive, quod idem puto improbatum & refutatum. Rectè nihilominus reprehendit Suidam Vossius, quod Alexandrino tribuerit quæ alicujus junioris sint. Fuit enim ille Polybio antiquior, nec potuit auctoris se Iunioris & Posterioris Historiam persequi. De Apameensi alio loco videbimus.

Praxiteles quinque edidit volumina Nobilium toto orbe Operum ut Pli-

ut Plinius scribit lib. 36. cap. 5. Notandum quod erronee ita vocetur à Francisco Iunio lib. 2. de Pictura veterum cap. 3. qui vero nomine Pasiletes dictus fuit ideoque suprà in ordine suo collocandus est. Verba Plinii appono. *Admiratur & Pasiteles, qui etiam quinque volumina scripsit nobilium operum in toto orbe. Natus hic in Græcia Italiæ ora & civitate Romana donatus cum iis oppidis. Iovem fecit eburneum in Metelli æde, qua Campus petitur. Accidit ei cum in navalibus ubi feræ Africanæ erant per caueam intuens leonem cælaret, ut ex alia cauea panthera erumperet non levi periculo diligentissimi artificis &c.* Hinc constat non scripsisse tantum artis sculptoriæ siue cœlatoriæ historiam, sed eandem simul exercuisse. Videtur autem Iunius in exprimendo huius Scriptoris & Artificis nomine secutus esse editionem Plinii Dalecampianam, quæ cum in textu Prasitelem exhibeat, in auctorum tamen libri 35. catalogo à Pasitele non recedit, licet in sequentis libri auctoribus Praxiteles legatur, qui locus itidem mendosus videtur. Argumento autem prædicti indicis libri 35. probabiliter affirmatur, nobilia illa opera, de quibus hic auctor commentatus est, non de solis marmoreis statuis, sed simul de celebrioribus Picturis intelligi debere.

Procopii Diaconi & Cartophylacis Homiliam de S. Marco, qua laudes eius persequitur, à Metaphraste ab interitu vindicatam Lipomanus & Surius Latinorum Ecclesiis in tomis sanctorum suis legendam exhibent.

Protagoras Geometra descripsit libris sex universum Orbem eumque operi suo titulum præfixit. Meminit illius Photius cap. 188. Biblioth. suæ cuius è Scotti versione textum referam, ut quid propriè tractarit & tradiderit inde constet: *In hoc eodem*, inquit, *volumine Protagoræ quoque Geometriæ qui universi orbis titulum præseferebant libri sex continebantur. Horum quinque etsi non studiosam neque ut postea fecit, accuratam, Asiæ tamen & Africæ quin & Europæ situs descriptionem complectuntur. Sextus vero liber Alexandri (Polyhistoris) quodammodo collectioni respondet. Describit enim quæ in mundo vniverso parodoxa referuntur, quorum pleraque veteribus accepta refert Scriptoribus; plurima etiam à se visa narrat non minus omnium opinioni quam sunt Superiora illa adversantia. Perspicua & huius dictio est ac brevis narratio hoc sexto libro continetur.* An hic sit idem ille Protagoras quem ex Ioanne Tretzen refert Vossius & de prodigiosis quorundam Indorum formis scripsisse ait, uti omninò certum non est, ita admodum verisimile videtur, ita ut ex illa ipsa Asiæ descriptione quæ de Indis memorantur desumpta sint.

Ptolomaus Grammaticus pater Aristonici itidem Grammatici inter alia scripsit de Musis & Nereidibus. Suidas.

Pyrrho Liparaus apud Plutarchum in quæstionibus Romanis sistitur num. 19. ac Gyraldus dialogo 3. de Poetis disertis verbis illum Historicum fuisse fatetur.

Pythagoras Medicus, quem Laertius eo loco, ubi plures illius appellationis homonymos refert, de Hernia scripsisse tradit, de Homero etiam quædam composuit ut ibidem legitur, cuius ergò videtur inter Historicum Chorum recipi posse. Puto hunc illum esse, cuius Tacitus meminit in libris Annalium; vixit enim illis temporibus de quibus dictus Historicus illo opere agit sed parum prosperà integritatis fama, & Græcà potius, ut proverbium habet, fide.

Pythoas Historicus Eumenis Regis commilito fuit, meminit eius Suidas in voce Leschides.

Sabinus scriptor rerum in Conciliis actarum à Socrate in Ecclesiastica Historia non uno in loco testis producitur. Citat illum lib. 2. cap. 31. & lib. 3. cap. 18.

Scylax non antiquus ille Alexandri Magni coævus, cuius Periplus extat, sed recentior aliquis scripsit Historiam Constantinopolitanam, qua usus est Ioan. Cuspinianus in Byzantinorum Imperatorum vitis conscribendis. Videndum est an sit forte Ioannes ille Scylitza quem è Michaele Glyca refert Vossius lib 4. de Hist. Græc. pag. 418. Eiusdem excerptum Meursius recenset in Glossario pag. 329.

Scylax, qui Antigraphen sive refutationem scripserit, adversus Polybii Historiam refertur à Suida in Lexico. Quia autem Caryandensis ille huius nominis Historicus, cui perperam à Suida tribuitur illius operis auctor esse nequit, utpote qui Alexandri Magni tempore vixit & Dario sua dicavit admodum verisimile puto fuisse duos diversos huius nominis participes & Homonymos auctores. Id enim putare & dicere longe satius est, quam falsitatis Suidam accusare quod illa scripta fuisse confinxerit, quæ ab illo, cui adscribuntur, scribi non poterant. Eundem errorem à dicto Suida in Asclepiade erratum esse alibi ostensum est & ipsemet Vossius id agnoscit. Ac tralatitius ferè & spississimus illorum lapsus est, qui Catalogos auctorum in Bibliothecas congerunt, ut modo ex duobus unum modo ex uno duos quandoque plures faciant.

Scythinus Chius quem ad Apollonii Carystii Historiarum admirabilium collectanea citat Ioannes Meursius in notis suis videndum est an non sit idem cum eiusdem nominis Teio patria quem commemora Vossius lib. 3. pg. 326.

Serapionis Geographiæ meminit Cicero lib. 2. Epistolarum ad Atticum Epist. 4. & 6. Eam Attici curâ sibi comparari fecerat Tullius, qui huius amicorum suorum intimi suasu de eodem argumento Romanis suis aliquid conscribere cogitabat. Priori loco fatetur se ex opere Serapionis vix millesimam partem intelligere, ut necesse fuerit scriptum fuisse obscurissimum. Notat in marginalibus suis Elucidationibus ad illum Ciceronis locum Dionysius Gothofredus hunc Serapionem fuisse Antiochenum patria, secutus ea in re ut videtur Plinii auctoritatem, qui illum inter secundi 4. & quinti librorum auctores ponit.

Sergius Zeugmatensis Aphthonii filius Præfectus prætorio, Consularis, & patritius, scripsit Epitaphium in Sabinum Sophistam patrem suum: Scripsit & alium librum pro Causidicis ad Aristidem. Suidas. Qui scriptum ab Hieronymo Nepotiani aliorumque ab aliis composita Epitaphia considerabit, huic Sergio vix abnegabit inter historici thematis auctores locum.

Serenus Atheniensis Grammaticus, Ælius pronomine scripsit Epitomen Operis Philonis de Urbibus & quinam in singulis clari fuerint, libris tribus. Suidas.

Serinus apud unum hactenus Stobæum repertus a me est, qui ex illo sive Historicus sive alius fuerit, refert Historiam interfecti à Phœbe Vxore Alexandri Pheræorum Tyranni sub titulo de Fortitudine.

Siculus quod cognomen potius à patria petitum quam verum viri nomen fuisse videtur ex illis Historicis est quos Georgius Cedrenus in proœmio Historiæ suæ memorat, & ex eorum operibus opus suum compilasse fatetur. Possemus suspicari Michaelem Glycam intelligi, nisi is Cedreno aliquantò junior & posterior esset.

Silenus longè diversus à Calatiano Siculo, quem Vossius refert lib. 3. pag. 328. Clitarchi rerum Alexandri Scriptoris Civis fuit Æolensis patria. Refert illum Athenæus lib. 11. sed magis videtur Grammaticis quam Historicis accensendus esse quod loci inspectio non obscurè prodit. Ac præterea id tantò verisimilius est quod uterque illorum (Clitarchum dico & Silenum) Glossas scripserit ut diversis locis idem Athenæus refert. Interim certum est dictas Glossas, quas Athenæus Sileno tribuit, idemque ab Apollonii Scholiaste fieri, Vossius refert non esse istius Calatiani, de quo ille dubitat sed alterius de quo hic agimus.

Simachus Attali Regis præceptor pariter & adulator scripsit libros aliquot de illius Regis disciplina, quibus sine dubio vitam & gesta eius comple-

complexus fuit, eius rei testis est Athenæus lib. 6. cap. 6. Parum fideliter eam Historiam fuisse scriptam inde liquet, quod addit idem auctor omnem adulandi artem illis libris patefieri. Non est autem satis exploratum an hic sit idem ille qui res Medicas & Assyrias composuit.

Simylus scripsit carmine res Romanas, utiturque testimonio eius Plutarchus ubi de Tarpeià virgine agit in Romulo.

Socratem Philosophum scripsisse laudes Grylli filii Xenophontis ex Hermippo in vita Theophrasti Laertius probat in Xenophonte. libro 2. de vita & scriptis Philosophorum.

Solon Septem Græciæ Sapientum Princeps inter alia quæ Laertius refert scripsit etiam de Atheniensium. Republica separatum à Legibus eius & Historicum ut apparet opus, quo etiam Salaminam. Insulam Patriam complexus fuit. Composuit illud quinque mille versuum Elegiaco Poemate.

Soranus Iunior medicus Ephesius præter reliqua quæ scripsit ad rem Archiatricam sive medicam propria spectantia, reliquit etiam opus Historicum de vitis & sectis Medicorum, teste Suida.

Soterion apud Athenæum testis imploratur iungiturque cum Nicia Nicæno lib. undecimo cap. 21. quem inter Historicos Vossius suo loco commemorat.

Speusippus Philosophus videtur Magistri & Avunculi sui Platonis vitam scripsisse. Ita enim verisimiliter colligitur è libro 1. S. Hieronymi contra Iovinianum ubi sequentia leguntur. *Speusippus quoque Sororis Platonis filius & Clearchus in laude Platonis & Anaxillides in secundo libro Philosophiæ Perictionem matrem Platonis Phantasmate Apollinis oppressam ferunt.* Sed & Laertius in vita Speusippi disertim affirmat laudes Platonis ab illo fuisse scriptas. An & inter reliqua eius commentaria & dialogos prætereà aliquid Historicum fuerit comprehensum ex solis operum lemmatibus satis certò cognosci nequit.

Suniathonem qui res Phœnicias scripserit apud Athenæum lib. 3. cap. 21. reperire est, Videtur autem vel à Librariis vel ipsomet auctore nomen illud è Sanchoniathonis corruptum esse quod etiam illic reponi oportere Casaubonus censet lib. 3. Animadvers: in Athenæum cap. 36. id si sit ad hanc Historicorum Græcorum classem propriè non pertineat, eò quod ex Eusebio aliisque notum sit Patrio non Pelasgico idiomate illum scripsisse. Idem de Thaaute Ægyptio, (quem præterea Thot & Thoit vocant, putaturque cum Hermete Trismegisto idem esse,) dici potest. Hunc enim Eusebius lib. 1. Proparasc: cap. 9. non tantum lit-

terarum primum inventorem, sed præterea etiam Commentariorum scribendorum primævum auctorem facit. quo etiam intuitu à congestore Indicis Eusebiani, quem non alium quam Franciscum Vigerum Rothomagensem S. I. Præsbyterum Latinum Interpretem Eusebii fuisse crediderim inter Phœnicios Historicos refertur.

Syagrus vetustissimorum Poetarum unus, utpote qui paulò post Orpheum & Musæum floruerit traditur primus fuisse qui bellum Troianum memoriæ posterorum literis prodiderit, atque ita ab Æliano lib. 14. var. cap. 21. scriptum est.

Thalicostoris Historici meminit Eusebius lib. 10. Evang. præparat cum Diodoro, Polybio & Phlegonte qui omnes Cyrum regnasse tradiderint Olympiade 24 Videndum an forte nomen corruptum sit, nec enim aliud Operum Eusebii exemplar cum hæc scriberem ad manum erat præter Latinam impressionem Henrici Petri Basileensem de Anno 1559.

Thascius Victorianus scripsit Epitomen vitæ Apollonii Tyanei. Quam enim è Philostrato concisiorem fecerat Nicomachus Senior, illam in arctius compendium iste Tascius denuò contraxit. Testis eius rei Sidonis Apollinaris lib. 8. Ep. 8.

Telesillam Argivam Hymnorum Poetriam perperam fortè Historicis associem: pleraque tamen quæ tractavit ad nostrum hoc argumentum pertinuisse, eæ quæ supersunt factæ à diversis citationes satis produnt. Vtuntur præter Pollucem, quem Simlerus refert, eius testimonio Apollodorus in Bibliotheca lib. 2. & Pausanias itidem 2. libro. Idem hic præterque eum Plutarchus de admirabili virtute eius digna posterorum memoria commemorant, qua cum aliis Argivorum mulieribus hortatu & exemplo eius animatis, post acceptam internecinam à Spartanis cladem contra Cleomenem Regem Victorem strenuè & feliciter patriam defendit.

Theocteristus Nicetæ Archimadritæ cuius discipulus fuit, vitam luculenta oratione descripsit. Habes illam Methaphrastis beneficio apud Surium tomo 2. Est autem hic Nicetas ille, qui sub Constantino Copronymo & Leone Armeno pro sacris Imaginibus contra Iconoclastas fortiter & constanter decertavit.

Theodatus (dubito an non veriori nomine Theodotus) scripsit res Iliacas, estque ex illis, quos Seruius auctores laudat in commentariis Maronianis.

Theodorus Daphnopatus è diversis S. Ioannis Chrysostomi Orationibus

nibus sive Homiliis collegit S. Pauli Apostoli encomium, quod Metaphrastus operum suorum voluminibus inseruit, & ex illo Lipomanus & Surius. Apud hunc legitur tomo 3. Scripsisse idem videtur res gestas sive vitas Imperatorum Constantinopolitanorum quo intuitu Cedrenus in Historiæ suæ proëmio cum pluribus aliis illum in lucem & lectoris spectum producit.

Theodorus Gaza. notissimus ille & celeberrimus ante duo secula sub ipsius eversi Christianorum in Oriente Imperii tempus Peripateticæ disciplinæ Philosophus, de Historia quoque bene mereri voluit, scripta de Turcarum Origine Narratione. Leonis Allatii hoc fide refero viri nostra memoria Græcarum rerum scientissimi, quem utinam nobis mors invida non ita pridem eripuisset.

Theodorus Iliensis præteritur à Vossio lib. 3. pag. 332. ubi de viginti huius nominis auctoribus à Laertio memoratis tractat nec alibi toto opere illum recenset. Agens tamen lib. primo cap. 9. de Palephato è Suida eiusdem meminit & testimonio utitur. Porro Suidas ille auctor est scripsisse hunc Theodorum res Troicas, quarum secundum librum citat.

Theodorus Lector licet Vossio præteritus non sit, vel ideo tamen hic quoque obiter referatur, quod præter duos illos Ecclesiasticæ Historiæ libros, qui pridem Latine versi & editi sunt, plura in eodem argumento elaborarit quæ lucem publicam hactenus non aspexerunt. Citat enim Leo Allatius in libris suis de Ecclesiarum Consensu Historiam eius Ecclesiasticarum rerum Tripartitam.

Theodorus Petricorum Episcopus auctor vitæ est Theodosii Archimandritæ, cuius indicium debemus Leoni Allatio in libris suis de consensu Græcæ & Latinæ Ecclesi perpetuo.

Theodorus Rhodiorum Imp. scripsit commentarios (Historias ut suspicor) citatos Suidæ tomo 2. pag. 420. in voce πανικῷ δήματι.

Theodorus Sebastenus ab interitu vindicatus est à Georgio Cedreno, qui in suo de Byzantinorum sive Orientis Imperatorum gestis scriptorum albo in operis sui proœmio proposito & publicato, huius cum aliis honorificè meminit.

Theodorus Sidites ex eodem Cedrenicorum Historicorum numero est.

Theodori Studita Monachi doctrina pariter & sanctitate egregij, Oratio de S. Ioanne Baptista à Metaphraste refertur, è quo Lipomanus & Surius desumpserunt.

Theodoli, qui Alexandri Magni gesta executus sit, meminit Famianus Strada in Dedicatoria primæ Decadis Belli Belgici, quem à multis præteritum è quibus latebris ille exciverit divinare nequeo.

Theodosii cuiusdam excerpta è Dionis Cassii Historiarum libris à Ioanne Leunclaio Xiphilini Epitomi hinc inde iuxta temporum seriem intertexta sunt. Pertinent autem ad orientis fere negotia & res contra Parthos gestas.

Theodosius Edellæ studites desumpsit è vita Theodori Sabaitæ narrationem cuius in Bibl. Regia Parisiensi extantis meminit Philippus Labbeus pag. 74.

Theophanem quem de Pictura scripsisse Laertius libro 2. testatur, ex parte saltem in Historico versatum esse argumento, ex illo ipso Laertii loco colligitur.

Theophanes duos refert in Glossario suo Meursius unum inter illos quorum scripta extent impressa alterum inter ineditos. Ex illis hunc Chronicon, priorem Chronographiam scripsisse ait. Alterutrum ex illis sine dubio Georgium Theophanem intelligit, cuius historiam pluribus locis Baronius testem laudat, nisi forte (facillimum enim est in eiusmodi re labi) de uno eodemque homine accipienda sint quæ ex Theophanis siue Chronico sive Chronographia excerpta promit. Nec enim raro usu venit ut alicuius auctoris monumenta partim in lucem typis data sint, partim adhuc manuscripta premantur & delitescant.

Theophanis Presbyteri & Præpositi oratio in Exilium & translationem reliquiarum S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani extat apud Surium tomo 2. ad 13. Martii diem.

Theophilus Iustiniani Imperatoris præceptor scripsit vitam eius, è qua varios locos excerpit, & legendos exhibet Nicolaus Alemannus ad Procopii Anecdota.

Theophilus inter illos à Ptolomæo recensetur lib. 1. Cosmographiæ cap. 9. qui Æthiopicum mare navigarint & navigationis suæ Historiam scripto prodiderint & è quibus Marinus Tyrius Geographica sua compilarit. Ait illum ex iis unum fuisse qui in Azaniam soluissent, quod regionis alicuius in isto orientali Africæ tractu nomen fuit in Æthiopica ora versus Nili fontes, cuius licet apud Plinium non sit mentio Azanii tamen Oecani lib. 6. cap. 24. meminit, qui istius Æoj maris pars est, & Arabiam Æthiopiamque interiacet & sine ullo dubio à prædicta regione nomen suum sortitum est, quæ etiam in tabulis Ptolomaicis non est præterita. Notatu non indignum est quod Theophilum affirmasse ibidem

bidem Ptolomæus refert unius diei naturalis navigationem si secunda sit id est, ventis faventibus fiat, mille stadiorum esse. Licet vix ambigi possit ab Hollandis Lusitanis similibusque in navigandi arte exercitis hoc tempore non rarò spatium longè amplius superari.

Theorianus scripsit historiam Legationis Armenicæ sæpissime productus & delibatus à Meursio in Glossario suo, eundem adducit & testem laudat Leo Allatius in sœpius mihi citato de Consensu Ecclesiarum Opere.

Timon Apolloniates alio cognomine etiam NICAEUS Synchronus fuit Tiberii Imperatoris cui opus suum (Historicum ut arbitror) inscripsit. Tractavit in illo inter cætera de Homonymo suo Timone Phliasio Scepticæ Sectæ Philosopho quæ Pyrrhonem Eliensem conditorem agnoscit. Namque ex Apolloniate hoc refert Laertius lib. 9. quo patre qua patria fuerit, quem filium Medicæ artis Sectatorem & in secta sua successorem habuerit, prædictus cognominis eius Phliasius Timon reliquaque ad vitæ genus & peregrinationes eius Præceptores denique, quibus usus sit. Videtur autem principium illius vitæ Timonicæ, ubi, quæ retuli, traduntur quodammodo suspectum esse, & sive Interpretis, sive Librarii aut Typographi culpa vix mendo carere: Neque enim sensus eius ex omni parte sibi satis constat, nisi fatendum sit tam iuniorem hunc Timonem quam alterum antiquiorem Pyrrhonium Philosophum, Sillorum libros scripsisse. de quo hactenus non memini apud quemquam quid reperisse. Porrò Sillos à Laertio Diogene prædicto sœpissimè citatos & excerptos Phliasii non Nicæi Timonis esse tam certum est, ut à sani capitis nullo in dubium vocari possit.

Thomais Sanctimonialis & Præfecta in Parthenone Sibopolitana ad fines Assyriorum scripsit vitam S. Febroniæ eiusdem Monasterii sacræ Virginis sub Diocleciano Martyrio coronatæ. Habet illam Methaprastus & ex illo Surius tomo. 2.

Thomas Magister Grammaticus Græcus inter alia, quæ ad Philologiam magis spectant, scripsit, quæ & superest, Euripidis Poetæ vitam.

Thrasyalces sive is Philosophus, sive quod magis puto Historicus fuit à Strabone refertur libro 17. ubi de Nilo agit, inquirens autem de causis incrementi eius, ait, Eratosthenem tradere ab æstivis imbribus id provenire, qui ab Aristotele desumpserit, illumque vicissim à Thrasialce.

Timæus Locrus celeberrimus ille Italicæ Sectæ, Philosophus scripsit vitam Præceptoris sui Pythagoræ, ut auctor est Suidas.

Timagetus apud alios hactenus mihi non repertus ex Apolonii Rhodii in fallor Scholiastæ, refertur à Mausaco in Præfatione de fluminibus Plutarchi sive de scriptis huius Philosophi iudicio traditque de Portubus æquè ad Timosthenem qui longè notior auctor est scripsisse.

Timagoras inter cæteros quos magno numero Plutarchus eiusdem argumenti tractarores recenset, scripsit de fluminibus; uti auctor ille in testis est.

Timonides Leucaididus Philosophus Dionis Syracusani familiaris, videtur res ab illo gesta literis consignatas ad Posteros prapagasse. Colligere id videor è Plutarchi Dione qui inter cœtera de illo sequentia scribit è Xylandri versione: *Quamvis Timæus ab Areta matre Aretaum dictum tradat: sed arbitror in hac quidem re Timonidi amico & Commilitoni Dionis potius credendum.*

Timotheus Pergamenus scripsit de Philosophorum Fortitudine sive animi magnitudine ut videre est apud Clementem Alexandrinum lib. 4. Strom. è quo ut pleraque alia, quæ de eodem affert mutuatus est Theodoretus libro contra Græcos octavo.

Traianus Patritius qui sub Iustiniano Rhinotmeto Imp. vixerit, traditur temporum Epitomen sive Annales breves sripsisse, testibus Bejerlingio in Theatro lib. 8. pag. 60. & Sinilero in Bibliotheca sed ante utrumque dudum idem affirmarat Suidas in Lexico, qui virum hunc impensè laudat.

Troilus Orator Constantini Magni ætate vel paulò post vixit, & refertur à Georgio Codino, quem Curopalatam ab officio cognominant, inter illos, qui illius Principis gesta in literas miserunt. Addit multos illum honores cum laude gessisse, quæque oculis suis viderat accuratè conscripsisse.

Tyrannionem Geographum inter reliquos illius studii & scriptionis Coryphæos Eratosthenem, Serapionem & Hipparchum. Cicero recenset lic. 2. ad Atticum Epist. 6. Dubito autem an hic sit illius nominis Senior patria Amisenus qui Pompeii & Ciceronis ævo Romæ dives vixit & obiit, An vero discipulus & cognominis eius, quem iuniorem dixerunt patria Phœnix Terentiæ Ciceronis libertus quorum utriusque memoriam Suidas conservavit. Pro priori temporum ratio magis facit; alterum enim Cæsaris & Antonii bello primum captum Romamque ductum fuisse idem auctor scribit. Sed obstat quod ab illo quicquam scriptum & editum fuisse non constet. Nihil enim amplius de illo Suidas, quod huc faciat affert, quam quod ultra tricies mille librorum

Biblio-

Bibliothecam sibi compararit. Meminit quoque huius Plutarchus in Sylla agens illic de Aristotelis Operibus.

Zacharias Papa Romanus B. Bonifacii Moguntini Synchronus cuius approbatione ad familiam Carolingorum ut vocant in persona Pipini ejus stirpis primi Regis Francicum in Gallijs regnum translatum est, convertit in linguam Græcam opera S. Gregorii magni & inter cætera libros quatuor diologorum, qui sacram historiam, ut omnes novimus, & Sanctorum vitas complectuntur, quod è vita S. Gregorii Photius narrat in Myrobiblo tmn. 252. Verba eius hac de re infra in notis sive additamentis, quò lector remittitur, exhibebimus Fuit autem Zacharias ille natione Græcus ita ut linguæ cognitio & gentis suæ favor magna fuerint illius translationis adminiculum & incitamentum. Continet tamen Photij à S. Gregorio ad Zachariam usque temporis computatio aliquot annorum errorem. Nam ab obitu Gregorii usque ad initium Papæ Zachariæ anni sunt plus minus 138. ita ut ad minimum numerus Photianus viginti septnm annis verum tempus excedat. Ac præterea verisimile est Zachariam ante Papatum huius interpretationis laborem subiisse. Præter Photium autem huius translationis testem habemus Ioannem Diaconum lib. 4. vitæ S. Gregorii, è quo tam Photius quem retuli quam Sigebertus Cymblacensis cap. 87. de scriptoribus Ecclesiasticis sua mutuasse videntur.

Zacharias Rhetor, quem non nemo Eutychianum cognominat, cum potius contrariæ idest Nestorianæ factionis fuisse dicendus sit, circa Iustiniani Imperatoris tempora vel paulò ante vixit & Chalcedonensis Concilii Historiam scripsisse videtur. Egit certe, sive illum sive quem alium operi suo titulum præscripsit, de illius Synodi actis, ut constat ex Evagrio lib. 2. cap. 2. è quo mutuatus videntur esse quæ eadem de re commemorat Niceph. Callistus lib 15. cap. 2 Nicolaus etiam Alemanus ad Procopium suum semel atque iterum hoc teste utitur, sed quæ ex Evagrio de illo refert, locis designatis (lib. 4. cap. 2. & 3.) apud Latinum translatorem non reperio, ut necesse sit textum Græcum. quo ille usus fuerit, eo exemplari, quod secutus est auctor Latinæ versionis, locupletiorem fuisse, vel certè, ut subinde fit, quædam non satis bono exemplo Interpretem prætermisisse.

Zeno Myndius an inter Historicos locum suum tueri possit adminiculo sequentis è Clemente Alexandrino loci doctiores iudicabunt Ita autem Clemens in exhortatione Cap. 29. *Sed nec Lencophrynes monumentum ex auctoritate Myndij Zenonis hic prætermittendum est quæ templo Dianæ Sepulta est Magnesia.*

Zenodoti Ephesii obiter quidem inter plures homonymos meminit bl. 3. pag. 338. Vossius, sed ita ut inter historicos disertè non referat. Certe operis eius non facit mentionem aliquam, quod Suidas non subticet, qui auctor est, Sallustij histor. ab ipso fuisse in Græcam linguam traductam.

Zenophilus, quem Historicum fuisse suspicari possumus, ab Antigono Carystio in mirabilibus cap. 166. adducitur.

Zoticus discipulus Plotini Philosophi Pythagorici, ex illis est, qui poetico scribendi genere Historias composuerunt. Afferam de illo verba Porphyrii in vitâ Plotini pag. 5. ubi scribit. *Versabatur quoque cum eo Zoticus Criticus homo & Poeticus, qui & Antimachi opera emendavit Atlanticamque Historiam ritu valde Poetico in carmen transtulit, post hæc in caliginem incidit oculorum, & paulò ante Plotini obitum decessit è vitâ.*

Sed ut aliquando, donec nova cura succrescat, de hac tabula manum tollam, unum hoc Coronidis loco addo, non usque adeo certum esse, quod sequentes Augustæ Historiæ, sive Imperatoriarum vitarum Scriptores, quos Trebellius Pollio, Flavius Vopiscus, reliquique eiusdem argumenti, quorum lucubrationes ad nos pervenerunt, tractatores variè & passim commemorant, Acholius, Asclepiodotus, Encolpius, Mæonius Astyanax, & Onesimus, quos Vossius Latinis Historicis suis accenturiavit, Romana potius, quam Græcorum linguâ scripserint.



Incip.

INCIPIT NOVA HISTORICORUM GRÆCORUM Centuria.

Amice Lector.

CVm Paralipomena hæc mea, de Græcorum Historicis congerere ceptarem, necdum prodierunt Summi & immortalis viri Gerardi Ioannis Vossii de eodem argumento alia quam sola primæva excusio, quæ Ioannis Maire typis Lugduni Batavorum Anno 1624. in lucem data fuerat, Altera anni 1651. apud eundem recusa impressio auctior, meo etiam tempore, quo extremam manum putabam huic lucubratiunculæ imposuisse, necdum ad notitiam meam pervenerat, nec prius illam conspexi postmodum, quàm cum finitis Autumnalibus nundinis proximè elapsi anni 1655. Andreæ Binghii Coloniensis Bibliopolæ Amici mei è dicto mercatæ reducis beneficio, illius copiam nactus essem. Hæc causa est, quod aliquot auctores in hisce Centuriis meis nomen suum profiteantur, quos in posteriori istà editione reperiri notitiam meam effugerat. Ne igitur videar, vel Lectori illudere, vel Vossio, ab illo præoccupatos intercipiendo, iniuriam facere, alienisque plumis me ornatiorem facere voluisse, Vossianis illis à me imprudentè repetitis Scriptoribus asteriscum præfigi in Indice curavi, qui duplicatus pauculos reliquos insignivit, quos prior Editio complectitur, ideò autem quod in Indice omissi essent, per inadvertentiam, quasi in ipso etiam contextu desiderarentur, centuriati sunt, Constat interim, hac honoraria missione non obstante, promissis à me numeris integritas sua; nec opus habeo, tali circumventus ex inopinato necessitate, ad cœcorum, quæ vocant, nominum compendia, quibus hodierna militia subinde infamatur confugere Novo igitur delectu huic improviso casui medendum fuit, ac subipsum fer-

ventis prœli tempus, (si tamen supinior operarum Hipponacteo Iosephi Scaligeri in Epistolis præconio nobilitatarum procrastinatio illud elogiū admittit) satis liberaliter ad succenturiationem se obtulerunt, qui exauctoratorum, quos dixi, supplerent numeros, in subdium conscriptos hic lustrationi sistere redordior.

Acathus Argivus scripsit Ilij vastationem ab Atheneo memoratam lib. 13. in Illa recensūt plurimorum nomina qui se equo ligneo (quo Troia, ut habet Ilienfium sive Historia sive fabula, capta & expugnata fuit) incluserant.

Aeschylus Tragicæ poesos vel primus vel post Thespiri primo proximus conditor, scripsit, postquam solum vertisset, & patriam exilio commutasset carmine Elegiaco, historiam pugnæ Marathoniæ cui interfuerat & fortiter contra Persas patria pugnarat. Auctor eius rei Plutarchus lib. 1. Sympos. quæst. 10.

Agapius Cæsareæ Palestinæ Episcopus, ubi Eusebio Pamphili, cuius discipulus fuit proximè successit præter plurimos alios, quos edidit, libros, de vita illius etiam Doctoris & decessoris sui multa conscripsit. Auctor huius rei Sozomenus est, & ex illo Cassiodorus in Hist. tripart. lib. 4. cap. 3.

Aidimus dummodo genuina est lectio, scripsit peregrinam (ita titulus habet.) Historiam citatam ab Eusebio in Chronico ad Annum Mundi 3860.

Alexius Aristenius qui tanquam Græcorum Canonum doctus & laboriosus Collector à Leone Allatio producitur, ejusque beneficio haud ita pridem nominis celebritatem consecutus est, non immeritò sacræ Historiæ Illustratoribus associari putandus est, quod ex sequentibus Allatianis allegationibus & Excerptis comprehenditur ut credere convenit.

Amyrutius sive *Amyruzes* historiam Concilii Florentini, & à Ioanne Palæologo Imp. eius causa susceptæ in Italiam profectionis, contexisse videtur (titulus operis quantum animadvertere potui non proditur) quam etiam Demetrio, quem *Ducem* vocat inscripsit. Luculenta ex illo Excerpta depromit Leo Allatius lib. 3. cap. 1. è quibus constat, quod dictum Imp. comitatus fuerit navigantem Venetias, ut Synodo, quam dixi interesset, cuius etiam aulæ asseclam fuisse crediderim. Græci Schismatis sectator fuit, eaque de causa valde partialiter in præfati Concilij enarratione se gessit. Idem Allatius cap. 8. citati libri vocat Philosophum Trapezuntium, qui ex Christiano postmodum Agarenus factus sit pag. 1935.

Andocides scripsit librum ad Amicos in quo inter cœtera narravit reliquias Themistoclis fuisse ab Atheniensibus dissipatas, cui credendum non esse scribit in vita eius Plutarchus.

Anagallis Grammatica Corcyrea Suidæ memoratur, qui ex illa refert inventionem Sphæræ, quam ab illa adscribi ait Nausicaæ Alcinoi filiæ.] Repetit eadem in voce ἀρχηπις possitque res patrias scripsisse videri.

Antigonus qui de pictura Scripserit, refertur in Indice Plinianorum auctorum lib. 35. quod argumentum si non omni saltem potissimum ex parte potest historicè tractasse videri. Carystio hunc diversum esse puto, ac non alium, quam quem Laertius in Chrysippo de tabulis scripsisse narrat.

Antimachus Hieropolitanus Aegyptius scripsit versibus Heroicis 3780. Cosmopœiam, id est ortum sive conditionem Mundi, Suda teste.

Apellas Ponticus refertur à Suida in voce ῥοδώπις ubi eius probat testimonio Pyramidem Aegypti aliquam esse Rhodopes, quæ genere Thracia, Phrygiæ Aesopi apud Idmonem sive Iadmonem Mitylenæum conserva fuerit, quamque Charaxus Sapphus Frater redemerit. Huius non meminit Plinius lib. 36. cap. 12. ubi duodecim Historicos, qui de Pyramidibus Aegypti egerint, recenset, unde si non omnino planum fit, saltem conjectare datur, ætate posteriorem esse. Esse autem ab hac Rhodope tertiam Ægyptiacarum Pyramidum magnitudine quidem duabus inferiorem artificio tamen & pulchritudine præstantiorem extructam, etiam aliunde satis constat, eaque etiamnum superest & visitur, uti diversi orientalium itinerum Scriptores testantur.

Apollonius Tyaneus Philosophus Pythagoricus, seu potius, ut veteris Ecclesiæ Patres crediderunt, Magus & impostor inter cœtera, quæ scripsit, confecit Pythagoræ vitam, ut Suidas testatur, qui reliqua eiusdem monumenta refert.

Aratus Solensis, cujus Astronomica etiam nunc supersunt, Poeta Epicus, scripsit multa à Suida, qui satis accuratè de hoc Auctore tractat, recensita: ac licet forte Anthropogonia eius huc non pertineat, quamvis id præfactius negare temerarium esse possit, videntur tamen, quæ de Antigono scripsit, ac præterea de Phila uxore eius Antipatri filia, item Anatome in Pausaniam Macedonem, Epicedium Cleombroti & Odyssea correcta, ab Historico argumento non aliena fuisse. In ultimo memora-

moratorum operum non putarim Critici illum partibus functum esse, sed potius Homeri de Vlysse mendacia coarguisse.

Archelaus Cappadociæ Rex, inter Plinianos auctores Græcos, sub diversorum librorum lemmatibus refertur, & in ipso etiam operis textu testis adducitur. Vsus est illius ope in librorum suorum octavi, noni, decimi octavi & trigesimi septimi confectione, in quibus de Animalibus, piscibus agricultura & gemmis agitur, In huius ultimi libri capite tertio de Succino Indico locus eius refertur, ut satis inde (sicut ex ungue de leone recte iudicamus] constet, plurima Historica ab illo intertexta fuisse. Hunc præterire visum non fuit, eo quod etiam naturalium rerum Historicos memorandos arbitrarer.

Aristænetus scripsit libros aliquot de Phaselide, quorum primum Suidas affert in voce Gela, tractans de eius nominis urbe in Sicilia, eiusque origene & conditore. Est autem Phaselis urbs maritima Pamphyliæ in ipso Lyciæ confinio olim Cilicum piratarum receptaculum, ut Cicero in Verrinis testatur. Hanc insulam esse non solus Herodianus, ut Gesnerus ait, sed præter illum Suidas quoque asserit. Videtur autem Phaselidem condidisse, quantum ex prætacto Suidæ loco suspicari possumus, Laicus Antiphemi Gelæi conditoris frater.

Aristides Athenienfis quem de Animalibus, Arboribus & Agricultura similibusque scripsisse ex Indicibus Plinianis probabiliter inferre possumus, etiam Geographica attigisse videtur. refertur ad minimum inter auctores lib. 4. cuius cap. 12. ex illo legitur quod Melas insula, quæ è Sporadibus est, antiquiori nomine Byblis dicta fuerit.

Aristodemus, quem à relatis apud Vossium eiusdem nominis aliquot diversum esse suspicor, olim quam hodie clarior fuit, Thebanarum rerum historia, cuius Suidas memini in voce τελμίσια verbis sequentibus ex Hieronymi Wolffii versione *De Vulpe TemelsiaScriptores rerum Thebanarum prolixe scripserunt ut Aristodemus,*

Aristogenes in Pliniano Indice non alibi, quam istorum librorum, qui toti fere Historici sunt, quales sunt 33. & duo proximè sequentes de Metallis & pictura tractantes occurrit.

Aristonymus producitur a Plutarcho in libro de fluminibus in Tygri, referente illic ex libro eius tertio, quod Bacchi filius Medus fluvio isti novum istud nomen imposuerit, cum prius Sollax vocaretur. Theophilus lib. 1. de lapidibus ipsi Baccho apud Plutarchum adscribit. Videtur autem locus ille mutilus esse, & periisse titulus librorum istorum,

quos

quos Historicos fuisse vix dubitandum videtur, ac valde probabile est in illis de fluminibus actum esse.

Asclepiodorus reperitur apud Plinium indice libri 35 & videtur, quod non pauci argumentum frequentarunt picturæ sive tabularum scripsisse historiam.

Athanasius Cydonius conscripsit opusculum, ita namque Leo Allatius vocat, de separatione Romanæ Ecclesiæ à quatuor reliquis Patriarchis Vide illum si placet lib. 2. cap. 1.

Autodamastes memoratur Suidæ in voce *Pollio Grammaticus* aitque à quibusdam illi adscribi, quæ plures, quibus ille subscribit, ad Polum Agrigentinum deferunt, ut infra suo loco videre est.

Bartholomæus Monachus, qui S. Nili Iunioris vitam narravit refertur à Leone Allatio lib. 1. c. 6. pag. 121. excerpente locum illius de exceptione alicuius Magnatis à Nilo, & Confratribus suis facta, quem dictus auctor dicit fuisse Occidentis Imperatorem. Sunt autem tres, de quibus constet, quod in Palæstinam sacræ militiæ Duces profecti sint, nimirum Conradus tertius & Fredericus I. & II.

Baton producitur à Suida in Pythagora Ephesio crudelissimo patriæ Vrbis Tyranno, quem ex hoc Battone probat Cyro antiquiorem fuisse.

Bias Prienæus inter septem Græciæ Sapientes quintus scripsit duo millia versuum de Ionia patria sua, illius enim provinciæ Priene oppidum fuit, estque Laertius huius rei auctor in vitâ eius. Scripsit præterea quod aliò pertinet, quà ratione quis felix esse possit, dummodo hac in parte Latinæ Interpretationi fidere liceat: quod ideo memorandum duxi, ut dispiciatur an non duo fuerint diversi Biantes, nam translator Ambrosius Camaldulensis è duobus unum facere, & confusionem committere videtur.

Brachman eius gentis Rex, quæ à nomine illius appellationem suam sortita est. Scripsit Brachmanum suorum leges & Rempub. patria Dialecto sive lingua Brachmanica, quam lucubrationem eius postmodum in Græcam linguam translatam esse, eaque occasione à Suida referri, suspicari possumus. Addit ibidem Suidas, ubi relata scribit gentem hanc Oceani insulam habitasse ad quam Alexander Magnus accesserit ac in ea, expeditionis & rerum gestarum suarum meta, columnam erexerit Esse autem gentem hanc religiosissimam & pauperis vitæ studiosissimam, divino cultui continenter deditã, longævam multaque alia memorata:

morata digna Suidas subiungit quæ omnia an ex dicti Regis historia vel aliunde sumpserit non definiuerim.

Caddus Historiarum scriptor sequentibus verbis refertur à Suidâ in voce κεχαιρικότες *Caddus Historiographus ait, Leonem Macellum, qui post Martianum imperavit in expeditionem contra Baudalos infinitam pecuniam insumpsisse Fuerant enim, ut Quæstores indicarunt per Præfectos auri pondo quadragies mille & septingenta per Comitem vero Thesaurorum decies & septies mille & argenti pondo septingentes mille quippe quæ insumpta fuerit, explicat è publicatis principum bonis & ex Imp. Anthemii bonis.*

Callicrates lib. 3. & 5. apud Plinium, Indicis auctorum pars est, ita ut inter Geographiæ Scriptores referendus videatur Nullum huius nominis præter Tyrium, cuius in Aureliano Imp. illius enim vitam scripsit, Vopiscus meminit, apud Vossium reperi, qui cum Pliniano tanquam multo iunior nihil commune habet.

Callimachus Iunior patria Cyrenæus Poeta Heroicus alterius eiusque senioris inter Elegiacos Principis è sorore Megathyma Nepos scripsit versibus de Insulis, ut auctor est Suidas agens de memorato seniore Callimacho. Nam in ipso Nepote eius id præterit, quæ Vossio occasio fuit, ubi de hoc iuniore tractat, aliquid ex avunculi scriptis, sed non nisi per solam coniecturam, illi adiudicandi.

Calliphanes Plinio ut complures alii vitæ suæ debitor est cuius 3. libri, qui de Europa agit, indicem augere meruit.

Calliphoni eadem, quæ de Calliphane dixi, conveniunt, qui Catalogo lib. 5. de rebus Africanis & Asiaticis agentis insertus est. Fuit hoc nomine Philosophus, cuius Cicero & Lactantius meminerunt tanquam novæ Sectæ ex Stoicà & Epicureà in unum conflatæ una cum Dinomacho Commentoris, quem hunc ipsum fuisse dictu nimis temerarium sit.

Caneus à Laertio in Speusippo testis introducitur quem tamen ex eo inter Historicos pro certo redigere forte non possumus, licet à verisimilitudine ita facientes non recrederemus. Quæ autem de Speusippo prodiderit, in sequentem modum dictus auctor commemorat, *Primus item, quæ ab Isocrate dicebantur arcana edidit, ut Caneus refert, ac primus quo pacto ex gracilioribus lignis capacia & in ventrem tumentia vascula fierent, invenit.*

Cercidæ Megapolitani sive Cretensis, Milliambos Historici argumenti fuisse è Diogene Laertio cognoscimus in Cynico cognomine Philosopho.

Christianus suæ *christinus* topographiæ Ecclesiasticæ auctor apud Leonem Allatium in libris de perpetuo Orient. & Occident. Eccl. consensu non semel testis citatur. Videtur tamen ille libro 2. cap. 3. pag. 528 de auctore illius operis quodammodo dubitare, quando addit: *suè quisquis fuerit auctor topographiæ Christianæ.* Hinc lib. 1. pag. 65 ut Anonymum sub generali nomine auctoris de Topog. Christ. ab eodem allegatur.

Christodorus Poeta Heroicus Zeuxippi statuas de scripsit testante de illo Suida in voce Zeuxippi quod si hoc nomen alicujus statuarii fuerit posteriorum is temporum fuisse videtur, nec enim apud Plinium illius memoria est. Sciendum autem est non hominis sed loci nomen esse. Fuit enim Constantinopoli Hippodromus sive Circus Zeuxippi appellationem ferens, cuius Zonarras in historiâ Bizantinâ suâ & ex illo Cuspinianus in opere de Cæsaribus sub Philippico Bardane sive, ut ille vocat, Bardanio meminerunt idque sequentibus verbis: *Zenaras tradit, cum peracto equestri certamine in Zeusippo, usus balneo ad convivum Senatores quosdam, & victores equestris ludi vocasset, Senatores ipsum discumbentem comprehendisse, oculosque effodisse Sabbatho Pentecostes.*

Clinodemus hactenus apud unum mihi repertus est Plutarchum *in libro Bellone an pace (sive sapientia) clariores fuerint Athenienses*, ubi tamen nonnisi nudo refertur nomine, non additâ patria nec tempore quo floruerit, nec argumento, quod in historiâ suâ tractarit, nisi quod unum inde colligitur & constat, quod non proprias res (hanc laudem uni Xenophonti adscribit) sed ab alijs gesta scripserit: *Reliqui omnes*, inquit Plutarchus *Historici Clinodemi Diylli, Philochori, Philarchi, alienorum amorum tanquam fabulæ fuerunt Histriones imperatorum & Regum res gestas disponentes, ac sub eorum memoriam subeuntes, ut ab ea in partem aliquam splendoris & lucis collocarentur.*

Coluthus Lycopolites Thebæus, versificator tempore Imp. Anastasij scripsit Calydonica libris VI. Scripsit etiam Persica sed librorum numerus non additur, ac præterea Encomia ut titulus habet, Versibus, quod non de Encomiis tantum sed præcedentibus etiam intelligendum puto. Est autem Calydon Aetholiæ oppidum, de quo Coluthum in illis VI libris suis egisse arbitror, nec verisimile est à Calydonia Britanniæ Septentrionalioris Sylvià, quæ Scotici Regni magna pars est isti operi inscriptionem obvenisse.

Copas à Simlero in auctuario Bibliothecæ Gesnerianæ refertur, & de Olympionicis scripsisse ab illo traditur, cui rei probandæ Plinii auctoribus

ctoritas obtenditur, apud quem tamen neque inter Latinos neque inter Græcos auctores huius nominis scriptor occurrit.

Crates Atheniensis, quem non alium fuisse puto, quam nobilem illum Platonicum Philosophum, qui Polemonis auditor Præceptori in scholæ regimine successit, scripsit de Atheniensium sacrificiis, ut Suidæ referenti credere convenit in voce ἱεριτσιωνη licet illius operis Laertius in Cratetis scriptorum recensione non meminerit. Præterea de Legationibus volumen edidit & populares orationes post se reliquit, de quibus Laertium testem habemus.

David Monachus confecit relationem de dissidio Barlaami & Palamæ ex historia ut videtur & Theologia mixtam, cuius meminit Leo Allatius lib. 2. cap. 1838.

Demades unus ex Atheniensium Demagogorum numero, Demosthenis Oratoris æqualis, & Philippeæ sive Macedonicæ factionis Antesignanus scripsit Historiam Deliacam, & ortum Latonæ liberorum ut Suidas auctor est. Comparet Demades, sive hic sive alius inter Auctar. Plinianos libro 35.

Demetrium qui de numero quaternario scripserit, exhibet Plinius lib. 28. cap. 6. in quo, productis ex historia exemplis, ostendisse videtur numerum illum si non in omnibus, saltem in aliquibus infaustum & vitandum esse inter cœtera autem asservit non esse quaternis Cyathis & Sextoriis potandum. An hic fuerit aliquis ex viginti Demetriis à Laertii nomenclatura nobis cognitis temerarium sit sine teste, illo enim destituimur, ex solà imaginatione pro certò statuere. Certe ab est volumen hoc, ita enim Plinius vocat, à Catalogo operum Demetrii Phalerei à Laertio prædicto in vità eius relato.

Demodamas Milesius, videtur vel in genere Geographica scripsisse vel saltem res Indicas executus esse Refert enim Suidas de Antissa lesbi urbe in Lexico suo agens, ubi addit etiam inindia esse insulam eius nominis quam recenseant Philo & Demodamas Milesius. Hic locus Suidæ antea mihi inconspectus facit, ut persuadeor Lectionē in indice Auctorum lib. VI. apud Plinium mendo carere, quod in superioribus Demonactem referens suspicabar. Tractat enim ille eo in libro itidem de Indicis rebus de quibus Demodamantem scripsisse è mox adducto Suida loco non probabile tantum est, sed plane constat. Interim hoc non obstante minime retractandum censeo, quod illic de Demonacte è Plinio posui.

Democritum Suidas assert in voce Iudas, cui dum Historici cognomen

mendatur, ab homonymo Philoſopho expreſſim diſtingui & diverſos conſtitui videtur. Refert autem ex illo de Iudæis fabellam , qui ſoliti fuerint Aſini caput aureum adorare & tertio quoque anno hoſtem raptum illi immolare. Talibus de gente illa figmentis omnes fere gentilium Hiſtoriæ plenæ fuerunt, exhibetque illes largà ſatis manu Cornelius Tacitus in libro Hiſtoriarum ſuarum V.

Dinolochus Civeis Hiſtoricus, ſive quis alius fuerit, citatur à Suida in ὗς ὑπὸ ῥόπαλον :ſus ſub fuſtem, quod proverbium ex illo refert, & in ſtosquadrare ait, qui ſe in præſens periculum & perniciem præcipitant.

Diodorus Syracuſanus videtur Geographiam ſcriptis ſuis illuſtraſſe, eo quod lib. 3. & 5. inter Plinianos auctores locum invenerit, & occaſum effugerit. Non puto hunc eſſe huius nominis Periegetem, quem Voſſius lib. 3. refert, quem eundem cum illo quẽ Ptolomæus lib. 1. Geog. cap. 7. adducit, eſſe videri alibi dixi.

Diodorus Tarſenſis Epiſcopus monaſtici ante Præſulatum inſtituti inter Eccleſiaſticos Scriptores magni nominis & celebris exiſtimationis ſcripſit plurima apud S. Hieronymum in Catalogo Scriptorum Eccleſiæ & Suidam cognoſcenda. Inter cætera autem Chronicon quoq; congeſſit, quo præcipuæ id egit, ut Euſebii Pamphili commiſſos de Temporibus errores corrigeret, ut Idem Suidas auctor eſt.

Diogenianus ſive *Diogenes* Grammaticus Cyzicenus præter illa quæ ad literaturam & Philogogiam pertinent cuius generis ſunt, de literis vel Elementis de Poetica & de punctis librorum Scripſit; quoque Inſtituta Cyzici patriæ ſuæ Auctor eius rei Suidas eſt.

Diogenianus Heracleta ſub Hadriano Imp. vixit profeſſione Grammaticus de quo Suidas, qui illum refert dubitat, an ex Heraclea Ponti prodierit. an vero ſit eius nominis Medicus ex Albacæ Heracliæ Circia (ita Wolffius Interpres legit) quem dicit omni doctrinæ geuere eruditum fuiſſe. Scripſit hic præter alia ad rem Grammaticam pertinentia à Suida itidem relata de Fluminibus' lacubus, Fontibns, Montibus & Promontoriis. Prætereà brevem Epitomen de fluminibus ordine Alphabetico & collectiouem ſive tabulam omnium univerſæ terræ urbium.

Dionem qui Hiſtoriæ ſcriptor fuiſſe videtur, refert Suidas in proverbio: Ne Hercules quidem contra duos verbis ſequentibus: *Dion autem libro II. ſecundi Operis Herculem, Dactylum Idæum qui olympionices fuerit, tradit cum duobus pugilibus congreſſum ſuccubuiſſe.*

Dionyſii Stoici apud Laertium lib. 6 narratio legitur de Diogenis Cynici poſt Chæronenſem cladem captivitate & ad Philippum Regem

abductione, quoque modo libera & intrepida responsione dimissionem obtinuerit. An è philosophico vel historico scripto illa desumpta sit nec ego ut rem incertam definio nec cuiusquam super illa liberrimam coniectionem impedio.

Dionysius Historicus à Cuspiniano in Opere de Cæsaribus testis exhibetur, ubi de Gallo Hostiliano Imp. & filio ejus Vibro Volusiano ait, per quæ etiam tempora illum floruisse addit. Christianum fuisse ex sequenti eius ad Hermanionem cui Historiam suam in scripsisse videtur, allocutione constat. quam ex dicto Cuspiniano, cuius folius fide hunc Dionysium refero, huc transcribo: *At nec Gallus malum Decij aut videre potuit aut cavere, sed in eundẽ lapidẽ offensionis impegit. cuius cum regnum floreret initio, & cuncta ei ex sententia caderent, Sanctos viros, qui pro pace Regni eius Deo summo supplicabans, persecutus est, cũ quibus & prosperitatẽ suã pariter effugavit & pacẽ.* Est hic à Cuspiniano citatus Dionysius, quẽ minus rectè Historicũ vocat eius nominis Alexandrinus Episcopus, qui ante Cõstantini Magni ætatẽ sub Gentilibus Cæsaribus Ecclesiæ suæ multis annis præfuit & de quo plurima Eusebius Cæsarcensis cõmemorat l. 6. & 7. Eccles. Hist. è cujus posterioris cap. 1. desumptus est relatus à Cuspiniano locus. Operum huius Dionysij e usdem lib. VI. cap. 35. recensio extat, inter quæ non reperitur aliquod, quod ex professo historicum sit: quod tamen multa eius generis lucubrationibus suis amplexus fuerit, cum ex alijs Eusebianis allegationibus, tum ex proximè præcedenti 34. cap. liquet, ubi hæc habet: *Dionysius vero de hoc.* (Novato ejusque Schismate) *rescribens ad Suprad. Fabianum intexuit etiam hanc Historiam dignam memoria, dicens Serapionem quendam fuisse apud Alexandriam unum ex his, qui lapsi sunt, eundemquè sæpe deprecatum, ut susciperetur, nec tamen impetrasse.* &c.

Dorotheus Monumbasiensis eo usque differtur, donec ad Matthæum Cigalam ventum fuerit.

Dromocides præter unum Fulgentium in Mythologicis à nemine præterea, quod sciam memoratus auctor, ex illis est, qui de Dijs Gentilium scripserunt, quem idèo cum plerisquè alijs eiusdem argumenti tractatoribus prætereundum non putavi, quod hæc materia à Iacobo Philippo Maussaco ad illam referatur classem, quam scribit Historicè à *Grammaticis tractari.*

Duillius lib. 7. nec alibi præterea à Plinio producitur, quem eò vsque in dubio Historicis, donec ab aliquo evincatur, accenseo.

Epicteti (illius celeberrimi præ omnibus quod vix aliquis negaverit, Stoici Philosophi) Historiam reperias apud Stobæum testem

testem adduci, sermo de Ira de tempestiva oratione & de cognoscendo seipsum, nec tamen exinde omni ex parte certum esse videtur, quod Historicis sociari debeat; sunt enim merè philosophica quæ ex illo excerpuntur, ac forti latius apud Græcos se extendat Historiæ & verbi ἱστορεῖν significatio, quam ut solius rerum gestarum narrationis terminis concludi possit.

Epiphanius Vlpiani filius patriâ Petræus professione Sophista, qui & in patriâ suâ & Athenis docuit scripsit diversa ad rem oratoriam spectantia, ac prætereà opus composuit, cui inscriptionem dedit Tribuni plebis & aliud Polemarchici titulo, docente nos Suida in Lexico suo.

Eugenatorem incertæ Classis Scriptorem idem Suidas exhibet in voce Philagrius, quem ut & aliquot alios, de quibus certi non sumus, quæ scripserint, & quod Historici non fuerint, probabili coniecturâ præsumi nequit, ideo prætereundos non putavi, ut tantò proclivior occasio sit ulterius de illis inquirendi, an forte alicubi apud veteres scriptores illorum certior memoria supersit.

Euphorbium Historicum testem producit Eusebius in Chronico ad an. 429. agens de Homeri ætate quem huius auctoris fide natum fuisse ait, ante conditam Romam annis 124.

Eudicus allegatur à Plinio lib. 31. cap. 2. allato eius de fontibus duobus in Hestiæonide contrariarum virtutum possitque Historicus fuisse videri; quamvis tutius sit, amplius de illo inquirere.

Genethlius Petræus è Palæstinâ (rectius fortassis Arabiâ, est enim Petra regionis inde denominatæ quæ tertia Arabiæ pars est Metropolis.) Minutiani & Agapeti discipulus admodum celebris & singularis memoriæ, docuitquè Athenis, ubi Callinicum illustrem virum, ut Suidas prodidit æmulum habuit. Scripsit autem inter cœtera hæc sequentia, quæ quodammodo ad Historicum argumentum accedere videntur. Asclepiadem, Daduchum, & Panegyricos.

Georgius Aristenus apud Leonem Allatium, qui expressis verbis illum Historicum vocat, in testem adducitur à Iosepho Methonensi contra Græcos pro Latinis scribente prout lib. 2. cap. 6. de Ecclesiarum consensu dictus Leo videri potest.

Georgius Trapezuntius celeberrimi nominis Philosophus Aristotelicus, contra quem Bessarion Cardinalis Nicænus scripsit, auctor est Historiæ Martyrij S. Andreæ de chiò citatam à Leone Allatio lib. 3. cap. 3. de Ecclesiar. consensu. Contigit id Martyrium an. 1465. ut idem Allatius, cap. 7. eiusdem libri 3. tradit, ubi elegantem orationem vocat.

Harpocration Sophista, Romano nomine Ælius dictus, præter illa, quæ ad Rhetoricam & militarem rem facientia emisit, conscripsit etiam lucubrationem, quâ ostendere annisus est, ementitam esse Herodoti Historiam, cujus intuitu hic è Suidâ proferri prometuit. Alius est à Valerio Harpocratione, Rhetore Alexandrino, cuius Lexicon superest in decem Oratores Synchronos, quorum vitæ apud Plutarchum leguntur. Itidem diversus est à duobus alijs eiusdem nominis, quorum alter Sophista, fuit Caij prænomine, alter Argivus Poeta & Platonicus Philosophus, quem Suidas, qui omnes quatuor recenset, Cæsarum scribit familiarem fuisse.

Harpocration sivè is à prædictis diversus sive ex ijsdem aliquis fuerit apud Matthæum Raderum in Indice auctorum de Alexandri Magni gestis locum obtinere meruit, quod quo auctore factum sit, ipso tacente frustra coniectare coner. Suidas certè, qui omnes præfatos vel prænominibus vel patrijs ab invicem distinctos refert nullius meminit, qui hoc nomine fuerit, Alexandrini Scriptoris.

Helladius quantum è Plinianâ allegatione comprehendi potest, Historiarum Scriptor fuit. Affert illum indigitatus auctor lib. 4. Naturalis Historiæ cap. 12. ubi de Rheno Insulâ è Cycladum numero, agit quam antiquitàs Artemiten dictam fuisse eius testimonio comprobat. In indice auctorum huius libri Helladius non comparet, cuius loco Hellanicus illic positus esse reperitur nec tamen ausim exinde textus Pliniani sinceratem in dubium vocare. In Catalogo auctorum Plinianorum quem affectum habeo, inter cætera cognitù nec iniucunda nec infructuosa ostendere constitui, convenientiam & discrepantiam ipsorum Indicum cuiusque libri, qui operis illius primo libro comprehenduntur, eum cuiusque libri contextu.

Helladius alius Grammaticus Alexandrinus, qui vixit Theodosio Iuniore Imperante, præter Lexicon Alphabeticum in lucem dedit descriptionem balnei Constantiniani, Bacchum sive Musam & laudationem Theodosij Imp. ut Suidas testatur.

Heraclides, quem sine aliquo cognomine Plinius pluribus locis testem laudat, nescio an aliquem è relatis à Vossio esse firmiter statui possit. refert eum in indice lib. 4. ac prætereà lib 33 & 34. qui de metallis tractant, & lib. 35. quo tabularum & picturæ Historiam exequitur, inter reliquos auctores comparet.

Hesiodus Poeta Ascræus (ita etiam à loco domicilij quod Ascræ in Bœotiâ fixit, cognominatur, qui alias Cumis Æolicis in Minori Asiâ natus fuerat) cum ipso Homero de Antiquitate certans scripsit præter

Theogo-

Theogoniam, libros quinque, quibus Heroinarum enumerationem instituerat, ac præterea de Idæis Dactylis tractatat. Suidas de hoc videri potest meminitquè de Deorum Gestis Historiæ eius, Princeps Philosophorum Plato in symposio suo. Huius locus infra in Parmeride paucis relatus est.

Heraclitus à Laertio in vita Platonis, qua tertius absolvitur illius operis liber, testis producitur constatque ex illo loco illum Platone posteriorem Alexandro Polyhistore anteriorem fuisse. *Philosophari*, ita Laertius, *incepit* (Plato) *primum in Academia inde se in hortum, qui iuxta Colonem est contulit, ut Alexander in successionibus scripsit Heraclitum adducens testem.* Non est igitur hic Ephesius ille celeberrimi nominis Philosophus qui Darij Hystaspis coætaneus fuit & pridem ante natum Platonem obierat: nec videtur etiam ex reliquis illis esse homonymis, quos idem Laertius in Ephesio illo quatuor numero recenset, quorum non nisi unus reperitur Historicus fuisse qui Macedonica scripsit, cum Platonis rebus nil commune habentia. Nec obstat si quis obijciat non esse probabile fuisse illum à Laertio in Platonis vita citatum inter æquivocos, quos idem lib. 9. in Heraclito Ephesio refert præteritum. Ad huius enim obiectionis refutationem alijs etiam exemplis probari potest, id auctori isti insolens non esse. In Phaleteo enim lib. 5. viginti enumerat Demetrios nec tamen Magnesij, qui de homonymis scripsit & creberrimus occurrit apud Laertium testis illic memoria est. Videtur igitur idem à Laertio in recensendis cognominibus factitatum esse, quod S. Hieronymus in congerendis Ecclesiasticis Scriptoribus vsitatus est, qui non alios refert, quam quos apud Eusebium Cæsarcensem reperisset, quo eodem modo hozolos retulerit homonymos in suo de Philosophorum vitis opere Diogenes noster, quorum Magnesius ille Demetrius Nomenclatorem egerit. Forte suspicetur aliquis pro Heraclito Heraclidem, quem vitas scripsisse constat, quà de re varians Manuscriptorum lectio, si qua sit, consulenda fuerit.

Himilco inter proximicos Carthaginensium Duces magnà olim nominis celebritate vixit & floruit, videturque æque ac coævus eius Hanno scripto complexus fuisse navigationis suæ Historiam, cum à patri à Republicà eo tempore magis quam unquam alias potentia inclytà & rerum potiente classi Præfectus & missus fuit ad exploranda Europæ exteriora, ut legimus apud Plinium lib. 9. cap. 67. Hac occasione igitur Posteritati innotuit, ac, sive Punicà sive Græcà linguà scripserit inter auctores lib. 5. æque ac Hanno Collega eius ab eodem Naturalis Historiæ auctore

ctore refertur. De reliquis gestis eius Iustinus Trogi Abbreviator, ac præter illum, nisi me à Bibliothecâ hoc tempore absentem memoria fallit, Diodorus etiam Siculus consuli possunt.

Hipparchus Stagyrites Philosophus Peripateticus Aristotelis Civis discipulus & cognatus, dedit in publicum sub titulo de sexu Masculo, & fœmineo Deorum volumen, quod solus quantum scio, Suidas, cui tot egregia Antiquitatis Cymelia debemus, posteritati manifestavit.

Iason Menecratis filius, patria & ortu à parte patris Nysæus, à parte vero matris Rhodius, Philosophus Stoicus, discipulus & ex filia nepos Posidonij, eiusdemque in Schola successor, scripsit Illustrium virorum vitas & Philosophorum successiones, ac de Rhodo insula Præterea secundum quosdam de vita Græciæ libros 4. Suida è quo & reliqua præmisso-rum hausimus, teste, qui illi ipsi esse videntur, quos alij Iasoni Argiuò Grammatico adscripserunt simpliciter de Græcia inscriptos. Est autem Nysa huius Historici & Philosophi patria oppidum Cariæ, quæ Minoris Asiæ regiuncula fuit. Porro Posidonius, cuius Iason nepos fuerit, non alius esse potuit, quam Apameensis ille, quem Cicero Præceptorem habuit, & cuius ianuæ victor Mithridatis & Tigranis potentissimorum Regum Pompeius laureatos fasces submisit. Confirmantur autem hinc, quæ Vossius lib. 1. cap. 24. disputat de Posidonis huius provecta ætate eò. quod ipsi in scholæ regimine è filia nepos successerit.

Ioannes quidam, dummodo lectio sincera sit, affertur à Suida in voce διῆγε ubi de Antiocho & Annibale *agit* qui locus tamen non parum suspectus est, eò, quod inter illos aliquando bellum intercessisse, non meminerim à quoquam prodi. Præterea, quo tempore ad Antiochum Annibal venit tot iam tunc annos habebat, ut ipsi iuvenilis exultatio non potuerit obijci.

Ioannes Cuboclesius Caminiota vixit sub Leone Sapiente Imp. C. P. & Historiam obsessæ & captæ Thessalonicensis vrbis, quæ contigit Anno Christi 951. confecit teste Leone Allatio lib. 3. de Eccle. cons. cap. 3. cum elogio, quod non ineleganter scripserit.

Ioannis Moschi Epitaphium siuè oratio funebris in Lucam Notaram è primarijs Byzantinæ aulæ proceribus, qui post expugnatam Constantinopolim una cum filijs à Turcis trucidatus interijt, refertur à eodem Leone Allatio, lib. 3. cap. 4. qui etiam Notaræ istius constantem & intrepidum in morte animum impensè celebrat.

Ioannes Patriarcha P.[illegible] tractatum edidit de pace Ecclesiæ relatum & excerptum ab Allatio pag. 562. & 784.

Ioannes

Ioannes Phocas legitur Commentationem aliquam scripsisse de locis Syriæ & Palæstinæ, citaturquè è Leone Allatio lib. *1.* de cons. Eccles. pag. 9. ubi locum refert de Antiochia ad Orontem, quam, quod & plures alij faciunt, Theopolin vocat.

Ioannes Plusiadenus auctor est operis, quod superest, de Concilio Florentino, quos illius Historiam comprehendisse videtur, quantum quidem è Leonis Allatij Excerptis colligere licet. An autem id præstiterit tantum in Dialogo, quem dictus auctor pag. *617.* & *753.* excerpit, an vero alio prætetea scripto idem tractarit argumentum, necdum certus sum: locus enim lib. 2. cap. 5. exhibitus dubium hoc non dissoluit.

Ioannes Vecchus Patriarcha C. P. Michaelis Comneni Imp. *Synchronus*, pacis Ecclesiasticæ ad exemplum illius Principis studiosissimus fuit, eoque nomine varias à Schismaticis Græcis indignitates perpeti debuit, fuitque ad ultimum sede sua deturbatus. Scripsit de unione & pace Ecclesiarum veteris & novæ Romæ, quod an ad Theologicum censum vel historicum referendum sit, merito quis dubitet, qui ipsum opus, quod extat, necdum inspexit. Reliquit etiam orationem de iniurijs suis, quæ universam persecutionis eius tragœdiam continuisse videtur. Vtramque lucubrationem diversis locis Leo Allatius delibat, uti lib. *2.* cap. 10. & 14. ac alibi pluries.

Ioelus Chronographus non vno in loco apud Allatium de Ecclesiarum consensu occurrit.

Irenæus discipulus Heliodori, Grammaticus Alexandrinus, scripsit, ut Suidas refert, de Atheniensium supplicationibus & pompis, & alia ad Atticam dialectum, & ex illa originem habentem Alexandrinam, ferè pertinentia.

Isæus Rhetor, sive Sophista, cuius vitam Philostratus refert inter alia reliquit opus, cuius titulus fuit: *Amazonis Consecratio*, sive oratio, sive Historicus Commentarius fuerit Testis eius rei Suidas est, qui eundem citat in voce πόθυν**ᴓ**, qui fuerit locus in sacra via (fuit illa in Atheniensium sub vrbanis, eaque Eleusinam ducebat, vnde & nomen habebat.) Egregie hunc Isæum ab eloquentiâ laudat Plinius Iunior in Epistola quæ incipit: *Magnâ Isæum fama præcesserat, maior secreta est.* Venit enim Romani sub Traiano sive urbis splendor & celebritas illum invitarit, sive ob facundiæ præcellentiam vocatus fuerit.

Iulianus Chaldæus pater Iuliani cognomento Theurgi, scripsit de dæmonibus libros quatuor, quos Historicos fuisse facile subodoramur. Suidas illum refert & Philosophum fuisse ait. Meminit huius Iuliani & hi-

 storiæ

ſtoriæ eius idem Suidas etiam alio loco, ubi Porphyrium ſcribit, quatuor confeciſſe libros in illam hiſtoriam. Quamvis autem illic non addat illius operis argumentum, eſt tamen veriſimile, quod etiam eo loci de iſta Dæmoniaca hiſtoria agatur, cuius rei hanc duplicem coniecturam habeo. 1. quod non fiat alteriùs alicuius hiſtoriæ mentio, ubi de dœmonibus Iulianum ſcripſiſſe à Suida refertur; 2. quod ex numero librorum Porphyrij id elici poſſe dicendum eſſe videatur, ita ut ad ſingulos Iuliani libros totidem illi commentator eius addiderit.

Lamachus Myrenæus laudationem Philippi & Alexandri Regum conſcripſit, & in Olympia Panægyri publicè recitavit, qua in Thebanos & Olynthios multa probra complexus fuit, eamque ex tempore Demoſthenes, præter morem ſuum, refutavit. Meminit eius Plutarchus in vita Demoſthenis, & in altero tomo in Commentario de 10. Rhetoribus, quo poſteriori in loco Terinæus vocatur, qui in altero Myrenæus eſt.

Leontius Byzantius de ſectis ſcripſiſſe, id eſt, ſectarum, non quæ olim inter Græcorum Philoſophos ſed inter Chriſtianæ profeſſionis Theologos fuerunt, Hiſtoriam congeſſit, ut Leo Allatius teſtis eſt lib. 2. cap. 2.

Leonides à Ioanne Tzetze recenſetur inter Hiſtoricos de animalibus Scriptores. Chil. IV. cap. 128.

Leſches Lesbius ſcripſit parvam Iliada, neſcitur autem an Homerica imitatione fabuloſè, an verò ſecundum Hiſtoriæ leges ex rerum fide. Poſterius facile prætulerim, ne ſeipſum irriſioni expoſuiſſe, & contra proverbium peccaſſe videatur: *Iliada poſt Homerum.* Floruiſſe ab Euſebio in Chronico traditur, Olymp. *35.* atque ita duobus integris & amplius poſt Homerum ſeculis. Longè diverſus ab hoc eſt Leſchydes Poeta Heroicus, quem Suidas Eumenis Regis commilitonem vocat.

Libanius Sophiſta Antiochenus, cuius eloquentiſſimæ Orationes ſuper S. Ioannis Chryſoſthomi Præceptor & Iuliani Apoſtatæ delicium, ſcripſit inter alia Conſtantij, & memorati Iuliani Impp. encomia ſiue virtutum & geſtorum Panægyricas hiſtorias.

Linus Thebanus notiſſimus ille inter antiquiores Poeta & Sapientiæ ſectator ſcripſit Heroico carmine, uti tunc primitivis iſtis temporibus ante Pherecydis Syrij exortum moris fuit, mundi generationem, ſive conditi orbis Hiſtoriam, teſte Diogene Laertio in prooemio operis ſui. Quid præterea præſtiterit apud Suidam, qui huius operis non meminit, videri poteſt.

Logotheter ſive is Georgius, de quo dictum eſt, ſive quis alius diverſo præno-

prænomine fuerit scripsit vitam S. Marcelli, meminitquè eius Suidas in voce ἀλλαγα. Fuisse hanc Logothetis appellatiouem officij in C.P. aula nomen, notissimum est, ideoque dubitari non debet, non posse uni auctori omnia attribui quæ sub illo prodierunt, nisi de prænominis identitate appareat, quamvis illa quoque notio fallere possit.

Menuel Caleca vir doctus & pius, qui pro Latina Ecclesia contra Græcos Schismaticos præclarè scripsit, inter alia, quæ ab illo composita fuisse Leo Allatius lib. 2. cap. 57. recenset, confecisse reperitur librum singularem de antiquis hæreticis.

Marcellus quidam scripsit res Aethiopicas, quas adducit in Platonicis Commentarijs suis Proclus Lycius, illius dogmatis Philosophus, & Atheniensia Professor. Meminit huius Historiæ è dicto Proclo Marsilius Ficinus in argumento Athlantici Platonici, sive Dialogi Critiæ nomine inscripti, quo de Atlantica Africani, sive occidentalis Maris, quod etiam nunc à Geographis Atlanthicum vocatur, Insulà, vel Historia continetur, ut plerique Platonicorum, quibus Ficinus subscribit, opinati sunt, vel fabula, ut Origeni Porphyrio & Proclo potius visum fuit, refertur. Addit Proclus Platonis narrationem ex illa Marcelli Historia fuisse confirmatam, quod si verum erat & tale esse ipse credebat, tantò minùs de veritate istius rei dubitare, imo piane pro fabula illam habere non debebat. Sed de hoc alio loco (infra in Platone) plura affermus.

Matthæus Cigala scripsit Synopsin historiarum citatam à Leone Allatio lib. 2. cap. 15. qua tractavit inter cætera de Michaele Comneno Imp. & sepulturà eius, quo etiam loco dictus Leo erroris illum arguit & garrire scribit. Iungit illum cum Dorotheo Monembasiensi, cuius in præcedentibus suo loco obiter & remissive meminimus, ut certò sciri & internosci non possit, an vterque separatim, an vero ambo iunctim Historicum illud compendium concinnarint. Dorothei huius, quem Metropolitem Monembasiæ fuisse ait, ineptias iterum reijcit & subsannat, idem auctor l. 3, cap 4. ubi prætractam synopsin ipsi soli adscribit.

Melan sive *Melanes* ex Anæa Cariæ urbe, è regione Sami Iosulæ sità, originem habuit, quam Suidas *Menelai Peripatetici & Melanis Historici patriam* vocat.

Menophon in Indice lib. 4. apud Plinium, qui de Europa agit locum invenit.

Mnesigithon à Plinio lib. 1. inter auctores, è quibus septimum operis sui librum congesserit, refertur, quod primo intuitu per errorem factum esse videri possit, meminit enim dicti viri cap. 56. illius libri sed

non ut scriptoris, sed ut inventoris navis deciremis, aliarumque septem octo, & novem ordinum. Quia autem certum habetur, ipsum Plinium illius septimi reliquorumque omnium librorum Indicum auctorem esse (id enim tam apertè scribit in luculenta suâ ad Titum Cæsarem in Naturalem historiam dedicatoria præfatione, ut dubitare illâ de re sanus aliquis non possit) vix credibile videtur, potuisse ab illo in negotio, sibi facti, ut Iuris-Consulti loquuntur, proprij, tam notabilem & vix excusabilem errorem committi. Ac tantò magis id improbabile videtur quod non in solo Mnesigithone, quod dixi, contingat, sed cum Xenagora is illud commune habeat. Nam hunc quoque in dicto auctorum indice reperies, de quo in eodem capite paulò ante finem sequentia tantum habet: *Sex ordinum* (navem invenit) *Xenagoras Syracusius.* Videtur igitur dicendum, licet neutrum Plinius expresse dicat, vtrumque istius inventionis suæ narrationem & modum scripto complexum fuisse, indeque Plinio eorum, quæ tradit, notitiam obvenisse. Id autem sequentem ob causam eo magis fit verisimile, quod eodem in loco de similibus nauticis inventis auctores, vnde illa hauserit, commemorat, de horum vero non aliòs, quam ipsosmet.

Myro Rhodia Mulier Philosophiæ studijs erudita præter Chrias Reginarum, nobile Historicæ occupationis argumentum, scripsit etiam fabulas Suida teste. Idem aliam etiam Myronem refert Poetriam Byzantiam filiam Homeri Tragici & Andromachi cognomento Philosophi vxorem, quæ scripserit Heroica, Elegiaca, & Melica carmina.

Nicetas Nicænus Scevophylax sive sacrorum vasorum custos, scripsit tractatum (Historicum, ut ex eius constat apud Leonem Allatium Excerptis) de dissidijs orientalis & occidentalis Ecclesiarum. Videatur dictus auctor lib. 1. cap. 13. & 25. pag. 443.

Nicetas Seidus Theophylacti contemporaneus, scripsit pro Græcis suis contra Latinos librum hoc titulo: *Non simpliciter antiqua novis venerabiliora, neque nova vetus Romæ neque sedes sede.* Hunc passim in libris de Ecclesiarum consensu refellit Leo Allatius. Constat autem ex fragmentis, quæ ex illo refert & infercit, totum Historicum opusculum esse.

Nilum Damylam itidem scripsisse de dissidijs Græcæ & Latinæ Ecclesiarum, satis docet locus ex illo citatus & exceptus ab Allatio lib. 2. cap. 10. pag. 622. Quo titulo illud opus fuerit & an Historia vel Eristicum scriptum dici mereatur, vix aliter, quam ipso Nilo inspecto & expenso constare posse videtur.

Oenomaus Gadarensis Philosophus Cynicus natione Syrus, scripsit varia quæ Suidas refert: defecta Cynica sive Cynismo, de Homerica Philosophia, de Cratete, Diogene & cæteris. Ita Suidas, qui sine dubio per cæteros intellectos voluit reliquam sectæ suæ successionem & sectatorum eius vitas. Fuit Porphirij Platonici coævus pauci illum præcedens annis.

Oppianus Poeta Cilix, cuius Halieutica supersunt, Antonino Commodo Imp. inscripta, apud Ioannem Tzetzen inter historicos, qui de animalibus scripserunt locum invenit, de quo illum temerè excutere & deturbare abstineo. Scripsit præter memorata piscatoria, quinque libris constantia, rei Venatoriæ libros quatuor, & de Accupijs duos. Recitatis autem apud Imp. Carminibus eius, pro singulis versibus singulos accepit aureos, atque ita Viginti millium aureorum donativum non infelici piscatura lucratus est, nec sola aucupatione tenus ipsi stetit sat fortunata Venatio.

Orebantius Poeta Homero antiquior, quem Trœzenium patria fuisse ex eo suspicari possumus, quod trœzeniorum testimonio Ælianus lib. 11. variæ historiæ de antiquitate huius auctoris agens nitatur. Scripsisse traditur Iliadem Phrygiam ex Historica, ni fallor, fide, nam fabulosa Ilias Homericum sine dubio inventum fuit. Quare autem Phrygum illa appellatio adijciatur, non capio, eo quod de aliquo alio Ilio, quod altero nomine Troia dicitur (ea autem urbs Phrygiæ finibus continebatur) non constet. Posfit quis suspicari, id quod ideò ita vocari, quod lingua seu dialecto Phrygum scripta fuerit.

Orpheus Ciconaus, qui duabus ante Homerum ætatibus vixerit, adeoque Troiano bello longè antiquior fuerit, præter Epigrammata & Hymnos etiam fabulas, id est, fabulosam Historiam scripsisse traditur. Nec enim de Mythologicis animalium fictionibus, quas post aliquot demum secula Æsopi Phrygis sapiens festivitas commenta est, intelligi possunt.

Orphei Camerinæi esse dicunt (ita Suidas, à quo quinam illi sint non additur.) Descensum ad inferos. Hunc alij cognomini Thraci alij Herodico Perinthio ascripserunt.

Orpheus Crotoniatos scripsit præter alia quædam De cœteriam & Argonautica.

Parasius (videtur corrupta scriptura esse & nobilis ille inter Pictores artifex Parrhasius intelligi) affertur in indice Pliniano lib. 35. qui forte de picturà scripserit, nec solam artem sed etiam artis Historiam executus fuisse videtur.

Parmenides Æleates. Xenophanis Colophonij auditor, sectator autem Diogætæ Pythagorici, ut Laertius lib. 9. scribit propter sequentem Platonis in convivio sive de amore locum nequaquam prætermitti debet, ubi hic ait è Marsilij Ficini traductione: *Prisca vera Deorum Gesta, quæ Hesiadus Parmeni deque describunt necessitate potius quam amori adscribenda.* Ex prædictis patet, quod hic à Ficino prædicto inter Pythagicos recenseatur. quamvis à Laertio isti clasi ascriptus non fuerit: qui idem non alia ipsi opera tribuit, quam philosophiam ad exemplum Hesiodi Empedoclis & Xenophonis carmine expressam, cuius operis Deorum Historiam partem fuisse nec dictu absurdum nec à præsenti proposito contrarium est.

Paulus Florus, quem Græcè scripsisse arbitror, res gestas Iustiniani Imp. Hexametro carmine tractavit, sed illum non amplius extare, ait Cuspinianus, à quo refertur, Ponam ipsamet eius verbasquæ vix videntur cum dicta attestatione consistere posse: *Hic Florus primatum gessit apud Iustinianum Imp. inter omnes terræ suæ præsides generis gloria & divitijs amplissimis insignitus: sed cui præter opes & nobilitatem inerat mira eruditio & egregia eloquentia, qui multa peemata memoria & laude digua conscripsit, sed miro labore & arte singulari, de templo Sophiæ, quod insigni terræ metu vastabatur & ab Imp. reparabatur, carmin edidit, quo omnes nervos intendit ut graphice describeret, qua illud templum materie constet, quo ordine collocatum, quam decens vestibulum, quæ magnitudo, quæ altitudo, quæ figura, quantum auri quantum argenti, quot lapides habeat pretiosos, quam mira varietate ornatum. Ac ita omnia depingit, quasi oculis quispiam illud metiatur.* Hactenus Cuspin anus, qui vnde talia sumpserit, non fine causa mirum videatur, si opus illud, ut fatetur, interijt & ab ullo insspici non potuit. Saltē auctor eo casu nominari debuit, cuius fidem secutus fuerit.

Pausanias Empedoclis Pythagorici Philosophi familiaris non tantum, ut è Timæo Laertius refert, amico defuncto tanquam Heroi & divinos honores promerito statuam sive aram erexisse sed etiam vitæ & mortis eius historiam composuisse videtur. Id satis clarè è Laertio in Empedocle comprehendi arbitror; quæ enim illic de genere mortis Empedoclis contra Heraclidem Ponticum disputat, huius Pausaniæ potissimum fide refert. Cum autem is pridem obijsset (id enim è temporibus, quibus uterque vixit satis constare credo) antequam Timæus natus esset, non aliundè quam è scriptis eius hic depromere potuit, quæ ut creditu digna Lectoribus proponit. Ac veri valde simile est si præter Pausaniam Timæus adhuc alterius fidem secutus fuisset qui ex Pausania percepta lite-

ris

tis mandasset, quod nec illum tacitus prætermittere & indictum manere voluisset. Verba Timæi apud Laertium sequentia sunt: *Heraclidi vero nominatim contradicit* (Timæus) *Pysianacta Syracusanum neque uillam Agrigenti habuisse, verum à Pausania factum amico monumentum. Is enim huiusmodi vulgata fama* (de Apparitione & Apoheosi Empedoclis) *brevem statuam illi, nam dives erat sive aram ut* Deo *condidit. Quonam ergo pacto, inquit, se in Crateras iniecit quorum nullam unquam fecit mentionem & quidem cum prope essent? Mortuus igitur est in Petoponenso. Quod si illius sepultura non cernitur, nihil est, quod admiremur, nam & aliorum multorum sepulchra ignorantur. Ista & huiusmodi Timæus refert.* Hæc paulò longius excerpenda fuerunt, ut tantò firmius comprehendatur; omnia ex Timæi personâ non Laertij narrari. Verba igitur illa Timæi: *quorum nullam unquam fecit mentionem.* non ad alium aliquem trahi possunt sed ad ipsum Pausaniam pertinent quique ea ut dudum mortuus non locutus sit sed scripserit.

Periander Indicis Pliniani lib. 5. qui de Asià & Affricà tractat, pars est, ut videri possit Geographica scripsisse. Neuter illorum est, quantum coniectare, possumus, quos Laertius commemorat, Corinthium nempe & Ambraciotem; è quibus uter Sapientum in numero fuerit, inter veteres, licet pro Corinthio plerique faciant, non constitit. Hunc autem Plinianum Periandrum multò iuniorem fuisse suspicor.

Petosyris Aegyptius Sacerdos & Astrologus, cuius Iuvenalis in Satyris meminit scripsit citato Suidà teste, Græcà ut arbitror linguà de Deorum apud Græcos & Ægyptios delectu. Item de Ægyptiorum mysterijs & è sacris libris Astrologica. Reperitur idem inter auctores Plinianos librorum secundi & septimi, potestque de illo cap. 23 lib. 2. & cap. *49.* libri *7.* videri.

Phiietas Ephesius quem bona fide Historicis insero, & donec ab aliquo meliora afferantur assignato hic loco frui permitto, à Suidà refertur in voce. Bacis, qua Pisistratum ait cognominatim fuisse. Tradit autem ex illo tres reperiri, qui Bacidis nomen tulerint, unum ex Aelione Bœothiæ, alterum Atheniensem, tertium Arcadem ex urbe Aphyà, qui præterea Cydas & Alethes dictus fuerit.

Philistous memoratur Eusebio in Chronico ad annum mundi 3980. ubi ex illo tradit à Zaro & Carthagine Tirijs Carthaginem esse conditam. Reponendum autem illic est Philisti nomen, cum constet illum præter Siculas etiam Punicas sive Lybicas scripsisse. Non est quoque absurdũ dicere, quamvis de rebus Africanis Philisti nihil constaret, occasione op-

pugnatæ

pugnatæ à Carthaginensibus Siciliæ ortum & conditionem eius urbis Philistum obiter & incidenter ad minimum commemoraſſe.

Philonides, apud Plinium inter auctores 4. & 5. lib. repositus est, vndè satis patefieri arbitror, quod Geographica scripserit. Refert ex illo cap. 31. dicti 5. lib. Cyprum intar alia vetustiora nomina Cerastin etiam fuiſſe vocatam. An hic sit idem ille Philonides, quem ex Laertio pag. 52. retuli, nulla certi tudo est.

Phocion Peripatetici instituti Philosophus scripsit collectanea historica, quibus Græca ditione Cornu-copiæ inscriptionem dedit. Auctor eius rei Gellius est lib. 1. Noct. Attic. c. 8. ubi ex illo refert Historiam de Demosthene Oratore & Laide Corinthia. (*Ad cuius iacuit Græcia tota fores.* Vt de illa vetus Poeta cecinit) & originem proverbij: *Tanti pœnitere non emo.* Verba Gellij ita habent: *Phocion ex Peripatetica disciplina haud sanè ignobilis vir fuit. Is librum multa variaque Historia refertum composuit, ipsumque inscripsit.* Κέρας ἀμαλθείας. *Ea vox hoc ferè valet: Cornu-copiæ.* De hoc Phocione hactenus apud alios nil reperi: longè diversus enim censendus est, à magno illo Phocione ex Atheniensium Demagorum & Principum numero, cuius vitam Plutarchus scripsit; is enim Stoicos potius, licet secta illa eius ævo necdum prodijſſet, quam Peripateticos eloquentiæ Schemate & totius reliquæ vitæ tenore mores retulit.

Plato Philosophorum, ut veteres existimarunt, etiam ante Aristotelem princeps an inter Historicos referri debeat, Lectoris iudicio submitto. Cœpit enim scribere Athlanticæ Insulæ & belli ab Atheniensibus contra illius incolas gesti Historiam, sed non absoluit, eodem quo Solon, ut infrà patebit, fato, prius mortuus, quam cœptum opus perficeretur. Paucorum foliorum manens ille & fine carens dialogus est qui Critias inscribitur, eo de argumento agere cœperat; ac prætereà Historiamne an fabulam illic narret, antiquitus inter doctos non convenit, ut supra in Marcello videri potest. Meminit huius scripti Plutarchus in Solone. Verbis sequentibus: *Atqui Plato argumentum Atlanticum pragestiens, ut amœni loci aream desertam, qua proximitatis Iure ad ipsam rediret, excolere & expolire cinxit ingentibus vestibulis, septis & atrijs, qualia scriptum nullum aliud nec fabula nec pœma habuit, aditum: sed quia serò admovit ei manum opus letho antevertit & quò magis, quæ scripta sunt oblectant, eò gravius opere angunt non consummato. Vt enim vrbs Atheniensis templum Iovis Olymphij, ita argumentum Atlanticum inter Scripta multa præclara Solum reliquit Platonis sapientia imperfectum.*

Plutarchus Iunior occurrit apud Suidam non uno in loco, qui illum Geographica ſcripſiſſe affirmat. Puto autem hinc eſſe illum ipſum, cuius in Proclo Nicolao & Pamprepio meminit, quibus omnibus ab illo Præceptor datur.

Polus Orator Agrigentinus ſive Sophiſta. Licymnij Magiſter ſcripſit Genealogiam eorum qui ad Ilium militarunt tam barbarorum quam Græcorum, & ut eorum quiſque obierit ita Suidas.

Praxidamas eidem Suidæ memoratur in voce χιάζειν & videtur de re poeticà, ſivè id Hiſtoricè ſivè Philologicè præſtiterit ſcripſiſſe, refert autem ex illo dictus auctor Democritum Chium & Theoxonidem Siphnium primos in colore poeſin ſuam conſtituiſſe.

Proclus Lycius Philoſophus Platonicus, cuius etiamnunc Chreſtomathia ſupereſt, diſcipulus Syriani, & Plutarchi Iunioris, qui Neſtorij filius fuit, auditor, Athenis philoſophicæ ſcholæ præfuit & in eà Marinum Neapolitanum ſucceſſorem habuit, per multa à Suida ſcripſiſſe traditur, è quorum numero ſequentia ſunt: de conſenſu Oraculorum Orphei, Pythagoræ & Platonis, de Dijs Homericis, prætereà librum quem Metroacum inſcripſit de magnà Deorum apud Gentiles matre, de quo ſequens hoc ſuum ſubiungit Suidas iudicium: *Quem ſi in manus ſumpſeris non ſine divino afflato eum omnem Theologiam de Dea illà protuliſſe dicas, ut ne poſt hac perturbentur aures fletibus, qui in ea comparent.* Scripſit prætereà in Orphei Theologiam ſed in hoc culpatur, hic è Lycià Philoſophus, quod ad exemplum Porphyrij impiam & contumelioſam (verba ſunt Wolffij interpretis Suidæ) contra Chriſtianos linguam exacuerit. Magnum hunc vocat dictus Suidas in Pamprepio, quem itidem auditorem habuit.

Pythagoras Medicus quem Laertius eo in loco, ubi plures homonymos refert, de Hernià ſcripſiſſe tradit, etiam de Homero quædam commentus eſt, cuius ergò videtur inter Hiſtoricorum chorum recipi poſſe. Sanè unius Homeri ingenium multorum exacuit induſtriam & non paucis famam dedit.

Remeus dummodo lectio genuina ſit, & mendi ſuſpicione careat à Plinio citatur lib. 33. cap. 3. vbi monetariam Hiſtoriam tractat, ſuntque de hoc verba eius: *Servius Rex primus ſignavit as; anteà rudi uſos Romæ Remeus tradit.* Dubito Græcum an Latinum auctorem intelligat: poſteriùs ſi placeat videndum an forte Remmium Palæmonem celeberrimum ſub Tiberio Principe Grammaticæ artis profeſſorem intelligat, de quo Suetonius inter claros Grammaticos alijque agunt. Extat certe de ponderibus libellus eius, quæ materia cum metallicà magnam cognationē habet.

Rhodon putatus est antiquitus ab aliquibus esse auctor libri de Zoroastro magicæ artis Conditore, quem à Laertio alijsque Antistheni Socratico Cynicæ sectæ fundatori adscribi novimus, ab aliquibus etiam Aristoteli tributus fuit, ut Suidas scribit.

Ruffi Ephesij, qui cum Critone sub Traiano Imp. floruit liber de veteri medicinâ magnâ ex parte ad Historiam pertinuisse videtur, huius quoque Suidas meminit.

Saphanus quem Historicum fuisse nemo facilè negare velit adducitur à Plinio testis lib. 7. cap. 56. ubi ex illo refert inveutricem longæ navis fuisse Semiramin. (Reginam) cuius inventionem complures alios diversis adstripsisse ibidem videre est.

Serapion, prænomine Aelius, Orator sivè Rhetor Alexandrinus Synchronus, ut videtur, Hadriani Imp. à quo etiam Aelij appellationem consecutus videtur, præter alia ad eloquentiæ studium peculiariter pertinentia edidit septem Auscultationũ (ἀκροάσεων) libros qui videri possunt ad Historiam pertinere. Insuper modo dicto Imp. etiam Panægyricum dixit. Auctor horum Suidas est.

Severus Sophista Romanus in Arabiam ò Syrcâ & Palæstina venit & in Aegyptum superiorem navigio per Nilum ascendit, eamque totam paucis exceptis perlustravit. Nam Hethiopiæ confinia propter pestilentiam ingredi non potuit, omniaque etiam occultissima indagavit. Is enim erat, qui neque divinarum, neque humanarum rerum quicquam inpervestigatum relinqueret. Hactenus ex Hieronymi Wolffis interpretatione Suidas; quæ omnia ab illo scripto fuisse prodita admodum verisimile est, ad quid enim tam accurata inquisitio si illam secum mori debere constituerat? unde etiam Suidas de illa profectione & curiosa investigatione rescire poterat, nisi illam literis consignatam cognovisset? Quæ apud Suidam sequuntur primo aspectu videri possint contrarium probabilius facere, sed propius inspectâ longè aliud persuadent, quod iudiciosus Lector sine commentario & glossâ per se ipsum facilè animadvertit: *& Alexandri monumento*, ita pergit Suidas, *inclusit quo nec corpus eius quisquam cerneret amplius: nec libris inscripta legeret.*

Socratides maritus Pamphilæ doctæ mulieris & multis elucubratis literarijs monumentis inclytæ & ad posteritatem celebris à quibusdam sed nominatim non expressis traditur auctor esse illorum operum, quæ uxori eius tribuuntur, ut Suidas ait in dictâ Pamphila. Hoc ex parte saltem verum esse possit, præsertim cum tradatur, quæ scripsit, ex patre audivisse. Nam quem uno in loco Pamphilæ conjugem fuisse ait, loco in alio,

alio, ut ſolemne ferè habet ſibi ipſi ſœpius contradicere, patrem eius vocat, ſocians illi uxorem Soteridem.

Solon Salamirius in ordine ſeptem veterum Sapientum ſecundus, eodemque gradu Athenienſium poſt Draconem legiſlator non minus Hiſtoricis aggregandus eſt, quam in Poetarum chorum pridem admiſſus fuit. Quæ enim pro more illius primitivi ævi, quo vixit, carmine conſcripſit, partim Philoſophica, partim Hiſtorica fuerunt, & præter poemata moralia Elegiam, cui Salamis inſcriptio fuit, à Plutarcho in vitâ eius non ſemel allegatã & excerptã. Continebat illa ex Hiſtoria petitam deductionem illius controverſiæ, quæ de poſſeſſione & dominio huius Inſulæ inter Athenienſes & Megarenſes tunc temporis exarſerat & fervidiſſimè agitabatur. Inceperat prætereà ſcribere Athlanticum bellum ab Athenienſibus contra Barbaros ſuſceptum, quod tamen non abſoluit, ut ex ſequenti conſtat Plutarchi loco: *At Solon quum argumentoſam de Athlantico Sermone vel fabula inchoaſſet commentationem, quam ex Doctis Sai acceperat, convenientem Athenienſibus, elanguit non propter occupationes, vt Plato vult, ſed potius ex ſenio, operis magnitudine deterritus.* Ex hoc loco ſatis patet, non deductam eſſe illam Athlanticam narrationem ad finem & perfectionem ſuam, videtur tamen inchoatum opus ſuper fuiſſe, ita ut probabile ſit, Platonem qui Critiam, illius Critiæ, qui Solonem Patruum habuit, è filio nepotem de Athlanticis rebus loquentem introducit, eaque quæ narrat, ſe ab avo accepiſſe fatentem facit, è dicto Solonis fragmento ſumpſiſſe.

Sotades non alibi quam in Indice 5. lib. apud Plinium extat ut videatur vel de Aſiaticis, vel Affricanis rebus aliquid compoſuiſſe, quem cum apud reliquos Scriptores hactenus nullibi reperierim tanto brevius expediendus fuit.

Speuſippus qui cognominis Academici Philoſophi Civis & cognatus fuit, reliquit de Arſinoe defunctâ (videtur illius nominis Regina fuiſſe,) orationem, quæ Arſinoitica inſcripta fuit. Auctorem huius rei Diogenem Laertium habemus in Speuſippo. Euis generis Panegyrici vitam Illuſtrium & laudes bene geſtorum continentes ab Hiſtoriâ non multum abeunt; ideo illorum Scriptores inter Hiſtoricos recenſeri merentur, niſi quis quod abſurdum & anomalum eſſe videtur, dicere audeat, non æque ſub oratorio ſcheamate quam in Dialogi formâ & carminis charactere res geſtas condi & conſignari poſſe.

Speuſippum de philoſophis librum ſcripſiſſe. Laertius lib. 9. in Parmenide auctor eſt quem putarim non alium eſſe quam Platonicum eius

nominis Philosophum ipsiusquè Platonis auditorem in schola Successorem, & ex sorore nepotem. Refert autem citato loco ex hoc Speusippo Laertius, Parmenidem civibus suis leges tulisse. An prædictus de Philosophis liber sit alteruter illorum, quos Philosophum & de philosophiâ inscriptos fuisse, idem Laertius commemorat; pro certò non affirmaverim. Scripsit autem prætetea unum librum de Dijs & ad Amartirium Platonis laudes eodem Laertio auctore.

Spinthari mentio reperitur apud Laertium in Heraclide Pontico, ubi ait Dionysij Heracleotis, cognomento Metathemeni opus, Parthenopœi titulum habens ab aliquibus huic adscribi, de quo præterea hoc quoque insertum est, ad quod genus Scriptorum illud referri debeat, Historiam sc. Grammaticã aut Philosophiam. Probabile autem est, loqui Laertium de huius nominis Poeta Tragico, qui itidem Heracleotes fuit, eaque possit causa videri, ob quam, quod unius sit, alteri Synpatriotæ adscribatur. Refert illum Suidas, & fabulas illi tribuit Herculem conflagrantem, & Semelem fulmine ictam. Ad istam autem classem Parthenopœum non posse redigi, locus è Laertio adductes satis indicat, nec novum aut insolitum est Tragicos aliosq; Poetas, etiam quæ Poetica non sunt, pangere.

Stilbides ex illis est auctoribus, qui de antiquis scripserunt oraculis, quod Suidas sequentibus commemorat: *Stilbides vates optimus inter illos, qui oracula vetera enarrant, probatus & celebris.*

Strato Philosophus Peripateticus, Theophrasti discipulus & in scolæ regimine successor, cui ob præ ipuum rerum naturalium studium Physici cognomen inditum fuit, videtur Historicis etiam accenseri posse intuitu Scriptorum eius more referendorum. Meminit eius obiter Vossius lib. 1. cap. 20. occasione Stratonis alterius, bellorum Macedonicorũ à Romanis Philippũ & contra Perseum Reges gestorum scriptoris, sed ex scriptis illius non nisi solius de rebus inventis operis ex Clemente Alexandrino meminit. Inter illa autem fuerunt, libri tres de Dijs, totidem vel duo saltem de Magistratibus, de vitijs, & de fabulosis animalibus eique affine opus aliud de Animalibus de quibus dubitatur. ut ex Laertio cognoscimus, qui eodem loco eiusdem etiam lucubrationis, quam ex Clemente audivimus, recensionem facit, vocans de inventis Elenchos duos.

Syrianus patria Alexandrinus, qui Platonicæ Athenis scholæ præfuit Procli Lycij præceptor & decessor scripsit varia partim ad Philologiam partim etiam ad Historiam pertinentia, è quibus fuerunt de Oraculis libri decim, in Orphei Theologiam libri duo de Dijs Homericis, ut de illo Suidas refert, apud quem sequens Isidori Philosophi de illo iudicium est:

Isidorus

Isidorus Philosophus , ut ait Damascius , exactissime scripta veterum examinare non desinebat , sed post Platonem Iamblicho maxime studebat & Iamblichi amicis & comitibus , quorum optimum esse affirmabat civem suum Syrianum Procli Magistrum.

Tauron inter auctores libri septimi in Pliniano Indice recensetur, quique de illo capite eius libri secundo legitur Plinij locus, ignorare nos non sinit Historicum fuisse : *Choromandarum* , inquit , *gentem vocat Tauron Sylvestrum, sine voce, stridoris horrendi , hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis.* Videtur hic Scriptor non alius esse quam qui hoc nomine Alexandri Magni commilito fuit & inter militares Præfectos eius refertur narrarque lib. 5. Quintus Curtius agens de oppugnatione vix expugnabilis castelli & oppidi montani Vxiorum (populus fuit prope Tygris fontes) eiusque per deditionem occupatione; quo tempore Tauron hic levi armaturæ præfuit, eamque prius occupatis imminentiū montium summitatibus obsessis superve immisit. Occasione igitur istius Asiaticæ expeditionis & Alexandrini commilitij illarum regionem descriptionem confecisserit , ita ut relati ab illo Choromandæ ex illius tractus Tauricis vel Caucasijs gentibus fuerint.

Theano diversa à Pythagoræ uxore , patriâ Cretensi eiusdem nominis Philosopha & altera patria & cognomine Locrensi , Poetria Lyrica, filia fuit Leophronis , uxor sive Carysti sivè Crotonis sive Brontini Pythagorici, origine vel Thuria vel Metapontina , ipsa quoque Pythagoræa scripsit vitam Pythagoræ & Scitè dicta Pythagoreorum, aliamque ad eandem Philosophicam sectam spectantia , apud Suidam invenienda.

Theodorus Poeta , præter alia , quæ Suidas speciatim non recenset, scripsit de Cleopatra versibus Hexametris.

Theomenes apud Plinium lib. 7. Hist. naturalis cap. 2. auctor laudatur agentem illic de origine succini, de quà viginti ad minimum differentes diversorum Scriptorum affirmationes recenset & de hoc sequentibus meminit : *Theomenes dicit, iuxta Syrtim magnam hortum Hesperidum esse, ex quo in stagnum cadat* (succinum) *colligi vero à Virginibus Hesperidum.*

Theophylacti Bulgarorum Archi-Episcopi & Ecclesiastici Scriptoris oratio Encomiastica in Alexium Comnenum Imp. C. P. refertur ab Allatio lib. 2. cap. 10. pag. 630. de Ecclesiar. consensu , ubi ait in Bavaricà Bibliothecà superesse.

Tiberius Philosophus relatus in Suidæ Lexico non tantum de Historià volumen edidit , quod possit Philologicum potius , quam Histori-

cum videri, sed præterea de Demosthene & Xenoponte deque Herodoto & Thucydide scripsit. Potuerunt tamen illic quoque pleraque intrasse Critica.

Timagoras scripsit de Fluminibus teste Plutarcho in eiusdem tituli libello in Cayco, ubi primum illius operis librum affert.

Trasybuli Historiæ meminit auctor magni Etymologici in voce Δωδωναῖος.

Tribonianus Sidetes Iuris-Consultus & Cæsareus Consiliarius, ita enim accipio, quod de Dicægoro Hypparcho Suidas ait, præter reliqua à dicto Auctore in Lexico suo relata ad, poeticam Mathesin & Astrologiam pertinentia, scripsit vitam Theodori Philosophi libris. 3. Metaphrasin Homerici Catalogi navium, orationes duas de Iustiniano Imp. quarum priorem Consularem alteram Imperatoriam inscripsit. Quantum ex isto Suidæ loco comprehendi potest, diversus est à Triboniano Iuris Iustinianæi primario Collectore, cui tamen coævus fuisse, & æque acille sub Iustiniano Principe vixisse videtur.

Triphyllius Episcopus, discipulus Spiridonis (alijs Spiridion volatur) Cyprij itidem ut ex Eusebio constat, Episcopi miraculis clari, illa ipsa eius Sancti Patris miracula descripsit, ut Scriptum est in vitâ eius, versibus Iambicis, *quæ cognoscenda sunt* (inquit Suidas, è quo refertur) *ut valde utilia.*

Tyrtæus Poeta & Tibicen, quem Suidas ait septem Sapientibus, vel synchronum vel antiquiorem fuisse, scripsit præter carminum militarium libros quinque, & præcepta vivendi carmine Elegiaco, de Lacædæmoniorum quoque Republicâ eodem charactere. Cleombroti filius fuit patriâ Spartanus, vel ut alij volunt Milesius, sed Athenis, ubi tunc temporis agebat, accersitus fuit, cum Lacones ab Apolline Delphico sibi belli ducem dari petijssent; fuitque nobilis Spartanorum contra Messenios victoriæ auctor capta ab illis huius classico & Pæanibus excitatis, vrbe ipsorum post vigesimum obsidionis annum.

De *Xenagora* videte qui tanti putat, illa potest, quæ in præcedentibus suo loco in Mnesigithone de illo obiter relata sunt.

Xenagoras, alius, ut videtur, quem cum præcedenti eundem fuisse affirmare non ausim Plinium adiuvit scriptis suis in concinnandis Geographicis suis, uti ex 4. & 5. librorum auctoribus, quos Index refert, cognoscimus. is posterioris istius libri 31. cap. hoc teste nixus commemorat, Cyprum Insulam antiquitus, Aspaliæ, Amathusiæ & Macariæ nomina habuisse.

Xenarchus

Xenarchus. Cuius meminit Plutarchus in Nicia, videtur mihi Historicus, sed non primæ notæ fuisse. Tractans enim illic de Timæo, eumque acriter satis perstringens, quod sperare ausus esset, se Thucydidis in conscribendâ Historiâ eloquentiam superare posse, & Philistum probris incessere & ruditatis insimulare non abstinuisset, videtur illum inconstantiæ & de sultoriæ alicuius levitatis arguere, quod qui tam altum saperet, ac tam superbum & sublime graderetur, postmodum ad Xenarchum vsque se dimitteret, cuius ineptias, quarum Timæus imitator fuerit, videtur mihi sequentibus depinxisse: *Subinde ferè ad Xenarchum delabitur, ut cum omen factum Atheniensibus narrat existimare se ex eo, quod Dux, qui à victoriâ nomen habebat, repugnaret, ne sibi mandaretur bellum, atque ex statuarum mutilatione præsignificari à Dijs clades illas, bello ab Hermocrate Hermonis plurimas accepturos. Ad hæc verisimile fuisse Syracusanis Herculem Proserpinæ gratia à qua acceperat Cerberum, suppetias venturum & infestum fore Atheniensibus, quod Aegestæos Troianorum sobolem tuerentur, cum iniurijs ipse ab Laomedonte lacessitus funditus evertisset vrbem Troiam.*

Præter octo illos Xenophontes, quos ex Plinio Laertio & Suida Vosius refert nonus adhuc superest, dummodo tamen, quod incertum puto, aliquis è Vossianis non fuerit, quem de senectute scripsisse Valerius Maximus nos docet lib. 18. cap. 14 cuius verba appono: *sed multo liberalius Xenophon, cuius* περὶ γήρως *legitur. Is enim Latinorum Regem octingentis vitæ annis donavit: ac ne pater eius parum benignè acceptus videretur ei quoque sextentos assignavit annos.* Possent hæc ex opere à Laertio memorato de prodigiosis fabulis sumpta videri, nisi de libri titulo constaret.



NOTA

NOTÆ SIVE ADDITIONES

Ad Græcorum Historicorum Paralipomena.



Pag. 2. *Elius Dionysius.* Huic Atticistæ cognominationem tribuit Suidas sine dubio è scriptis de Attica dialecto libris.

Pag. 3. *Agathyrsis.* Veteri cæpi his iam scriptis & inpressis, an sufficiens sit argumentum à diversitate patriæ ductum pro assertione Agathyrsidem ab Agatharchyde diversum esse, eo quod rarum non sit eiusdem hominis duplex cognomen esse, unum originis, alterum domicilij, prout in Democritò ab alijs Abderita, rursus ab alijs Milesio dicto, in Apollonio præterea qui & Alexandrinus & Rhodius vocatus fuit, denique in Possidonio Philosopho alijsque eius rei exempla habemus. Quia tamen nulla certitudo est, in hoc Agatharchyde idem obtinere Criticorum foro hanc rem dijudicandam relin quo.

Pag. ead. *Alexander Magnus.* Præter epistolam ad Antipatrum eius generis adhuc alias, quæ ad Asiaticam eius expeditionem & Persicum bellum pertinent, apud Plutarchum in vita huius Regis reperire est.

Pag. 4. *Alexander Myndus.* Nequis putet quæ ex vità Marij hic referuntur ad rem non pertinere obiter indicasse non nocuerit, Plutarchum illa ex hoc Alexandro sumpsisse.

Pag. ead. *Alexander Monachus.* Refert Vossius in altera, quæ priore auctior est, Græcorum Historicorum recusionem è Gretzeri libris de Cruce scripsisse huius nominis & ordinis aliquem de S. Crucis inventione, qui an cum hoc altero à me relato idem sit, necdum pro certo dicere possim. Citat eundem Leo Allatius lib. 1. cap. 25. de Eccles. cons. Apud quem de inventione S. Barnabæ inscriptio est.

Pag. 6. *Antiochus Aegæus.* Diversus ab hoc fuisse videtur uti aliquanto iunior, quamvis mordicus affirmare non ausim alter ille itidem Silicia homonymus, quem Suidas recenset, qui sub Severo & Antonino

(Car:

(Caracalla) belli Dux opibusque & honoribus ab Impp. donatus ad Parthos defecit, cum anteà Cynicam Sectam profectus esset.

Pag. 7. *Antisthenes.* Dubium facere possit singularis hic apud Laertium numerus, an non Philosophicè potius quam Historicè hoc de victoria argumentum tractarit. Videntur autem è reliquis etiam hujus Antisthenis operibus non pauca si non in totum saltem aliqua ex parte ad Historiam pertinuisse; qualia sunt: 1. De Helena & Penelope. 2. De Telemacho, sive virga Minervæ. 3. De Protio. 4. De Vlysse. 5. De Circe. 6. De Amphiarao. 7. De Vlysse & Penelope. Tradit etiam Suidas egisse eundem de Zoroastro Magiæ Conditore.

Pag. 8. *Arginote.* Hæc apud Suidam Agrinote vocatur, dummodo is de hac ipsa & non de alia agat, qui sequentia de illa tradit: *Arignote Samia discipula Pythagoræ majoris & Theanus Philosopha Pythagorica, scripsit Bacchica atque etiam Cerialia sive Epigrammata de Cereris mysteriis. Inscribitur id opus & sacer Sermo. Scripsit & initia Bacchi & alia Philosophica.* Hic Suidæ locus scrupulum mihi movet an non erratum sit à Clemente Alexandrino usque de Dionyso (ita enim Bacchus à Græcis cognominatur) ab illa scripta sunt, hic perperam de Dionysio intellexerit. Id quo magis credam hoc quoque me movet, quod tempora non admodum convenire videantur, & Aginoten Dionysio aliquantò anteriorem fuisse Chronologica supputatio persuadeat.

Pag. 9. *Aristæum.* Fortè hic sit iste Aristæus Poeta, cujus quædam Pisandro Caminæo, adscribi Suidas ait.

Pag. 11. *Artuasdes.* Quæ de hoc ex Plutarcho retuli, in vita M. Crassi habentur, cui Sinchronus fuit. Filiam ejus Parthorum Rege Orode (ita Tacitus nominat, apud Plutarchum Hyrodes vocatur,) progenitus Pacorus, qui posteà temporis à Romanis Ventidio Duce cæsus est, uxorem habuit.

Pag. 12. *Babrius.* Idem Suidas ejusdem meminit in voce εὐλαὶη & ex illo refert genus mortis Pheretymæ Cyrenæorum Reginæ. Rursus illum citat in σελαιὸν, è quo loco constat illum versibus scripsisse.

Pag. 13. *M. Brutus.* Polybianam Bruti Epitomen Græco potius quam Latino idiomate fuisse elaboratam ex illo etiam tantò minùs à veri abest similitudine, quod illius linguæ peritissimus fuerit, quod cum aliunde tum ex Laconicis Epistolis ejus abunde constat, quæ non supersunt tantum sed etiam propter admirabilem elegantiam maximo in precio habentur. Idem constat ex Philosophicis studiis ejus & Græcis in illo eru-

 ditionis

ditionis genere Doctoribus; essetque multò adhuc evidentius, si præclarum ejus de virtute liber tum à Quintiliano in summo pretio habitus, tum ab ipsomet etiam Cicerone æstimatus ad nos pervenisset.

Pag. 14. *Cercidas.* Hunc etiam Laertius l. 33. testem adducit, refertque ex illo Historiam mortis Diogenis Cynici, de quo auctores variant. Vocant illic carmen hujus Poetæ Meliambos ac de patria ejus dubiè scribit, dum vel Megapolitanum vel Cretensem fuisse dicit.

Pag 16. *Constantinus.* An erret Labbeus vel verum scribat quando hujus de imagine Christi Historiam ipsi Magno Constentino attribuit, ipsius manuscripti inspectio omnium optimè dijudicet.

Pag. 17. *Corinnus.* Traditur ab eodem Suida scripsisse Trojano adhuc durante bello, fuisseque Palamedis discipulum, cujus inventa literis Doricis descripserit; præterea ipsius opus fuisse historiam belli à Dardano contra Paphlagenas gesti.

Pag. ead. *Cotas.* In Glandorpio hîc erratum est; nam is quoque Cotam de Græcis scripsisse putat, qua in re, vereor, ne uterque falsi simus. Decepit me, quæ fortè & illi imposuit, non improbabilis conjectura, eò quod necdum mihi aliquis alius inter laudatos ab Athenæo auctores, qui sanè admodum numerosi sunt, occurrisset, qui aliter quam Græcè scripsisset, ita ut minimè arbitrarer verisimile, si is constituisset Latinam etiam literaturam excutere, quod Varrone, Cicerone, ac tot aliis eloquentissimis doctissimis & celeberrimis viris neglectis solum & unicum hunc Cottam minùs notum & nullis Latinorum memoratum, nisi is quoque Græcè scripsisset, Athenæus fuisset producturus. Sed cum Syllam quoque Dictatorem ab eodem allegari postmodum animadverterem, isque itidem patrio sermone scripsisse à citante diceretur, quem non Græcè sed Latinè scripsisse constat, mutare sententiam coactus sum, & exinde Cottam quoque de Cæsare suo scribentem Romana lingua usum fuisse potius habui. Nec tamen propterea (id præterea serum etiam erat) exauctoratum alio amandare, ut vel sic quamvis alieno loco in lucem protraharur volui.

Pag. 19. *Damiates.* Citat hunc eundem etiam Plinius lib. 7. cap. 48. sed non ex alio quam hoc ipso Valerio Maximo, uti ex indice auctorum istius libri constat, è quo eandem de longævis historiam refert. Variat tantum in nomine Lectio, quique apud Valerium Litorius est, apud Plinium Pictoreus dicitur.

Pag. ead. *Damophilus.* Hunc in Indice Vossiano prioris editionis prætertum

teritum imprudens retuli, necdum compertum mihi illum lib. 1. cap. 24. exhiberi.

Pag. 20. *Demon.* Refert ex hoc auctore idem Suidas originem proverbii; Risus Sardonius.

Pag. 21. *Dion Prusæus.* Suidas auctor est, hunc Dionem decem composuisse libros de Alexandri Magni virtutibus, è quo Beeylingius sua sumpsisse videtur. Hos nonnisi octo numero Simlerus refert, qui etiamnum in Italiæ Bibliothecis supersint. Facit etiam ad rem historicam & notitiam antiquitatis ejusdem oratio, qua evincere persuadere laborat Ilium nunquam esse captum. Prætereà idem Simlerus in præfatione Bibliothecæ suæ tradit, scripsisse etiam de Poetis libros (numerum non addit) sed in ipso opere in singulari librum vocat. Meminit ibidem Herculis & Plutonis encomiorum. Porrò è reliquis Dionis orationibus huc etiam pertinent, Lybica, Boristhenica & de suis erga patriam gestis, &c.

Pag. 1. *Acilius.* Nodum in scirpo quærat, si quis dubitet, an Quadrigarius sit Claudius ille, quem Acilii libris usum esse *Livius* scribit. Nullius enim Claudii nomen à quoquam proditum est inter antiquos annalium sive historiarum scriptores præter unum hunc.

Pag. ead. *Diocles tres.* Ex hisce tribus à Vossio recensitis Carystius Medicus fuit & ad Historicos non pertinet. Quæ igitur de rebus Persicis dixi, nonnisi ad Rhodium & Peparhetium referenda sunt.

Pag. 23. *Eanthes.* Vossius in posteriori editione Historicorum Græcorum suorum, pag 364. hunc Euanthem vocat, sed etiamnum verisimilior mihi videtur conjectura mea de mendo Hierominiano & corrigendo textu ejus.

Pag. 24. *Eleusius Diaconus.* Hunc & reliquos à Codino relatos potius Historias quam Panegyricos scripsisse etiam inde magis fit verisimile, quod omnimodam scriptis eorum fidem se adhibere idem dicat, quod Historicis magis conveniens est, quam Panegyristis. Quamvis enim non æque sit Oratorum quam Poetarum fingere & mentiri, summa tamen istius Rhetorici artificii in hoc consistere videtur, ut *de magnis majora loquantur.*

Pag. 26. *Euphorbius.* Hujus & Apollodori Grammatici testimonio probat Eusebius designato loco, p. 42. Homerum floruisse illo tempore, quo undecimus Albæ novæ Rex Agrippa Sylvius Latinis imperavit, ante

urbem conditam 124. & 100. annis ante primam Olympiadem, idque Cornelium Nepotem tradidisse subjungit.

Pag. 27. *Entychidas.* Hujus auctoritate Plutarchus Lycurgi prosapiam ab Hercule deducit, à quo ille undecimus fuerit, à Patrocle vero septimus.

Pag. 29. *Gregorius & Georgius Cyprii.* Ejusdem hominis videtur geminum nomen esse. Scribit enim Leo Allatius lib. 2. cap. 15. de Eccl. conf. pag. 778. Cyprium hunc, cum prius Georgius vocatus esset, cum Patriarchatu, quod non minus in Nova quam Veteri Roma & olim moris fuit & etiamnum usurpatur, novum nomen assumpsit, & deinceps Gregorius dici voluit.

Pag. 30. *Gregorius Nycenus.* Quæ hic referuntur de narratione Gregorii Presbyteri de trecentis 18. Patribus supra pag. 28. jam posita sunt, ubi auctorem hunc Labbei auctoritatem secutus Georgium vocavi. Superest igitur inquirere hic an Surius rectius hujus viri nomen retulerit.

Pag. ead. *Georgius Presbyter.* Hic Cæsareensis à patria cognominatur, apud Labbeum in Bibl. sua pag. 73. ubi manuscriptum superesse affirmat.

Pag. ead. *Hegias.* Diversus ab hoc utpote longè posterior est Philosophus Hegias, quem Suidas refert Proclique discipulum fuisse dicit.

Pag. 31. *Heraclides Mopseates.* Vtitur citato loco Athenæus hujus testimonio ad probandam Polemonis Historici & Periegetis patriam quam Athenas fuisse aliis dissentientibus hic scripsit, cui etiam Plutarchus subscribit lib. 5. sympos. quæst. 2. ubi tamen Latinus Interpres patriæ nomen malè omittit. Conciliationem huius dissensionis Suidas nobis subministrat, qui origine Ilietem sive Iliensem, Athenis in civitatem adscriptum esse addit. Quod igitur compluribus aliis illud huic quoque Polemoni accidisse animadvertimus, ut ratione originis & domicilii duplici fuerit cognomento, cujus generis exemplis alibi jam relatis Herodorum Halycarnasseum, qui Thurius præterea dictus fuit & Pherecydem non minus Atheniensem quam Lerium à patria dictum adjungo.

Pag. ead. *Hermachus.* Non Polyæni, sed ipsius Epicuri successor hic fuit, meque decipit, propter ambiguitatem malè intellectus, Laertii textus.

Pag. 32. *Hermodorus.* Nomen est dubitandum, esse hunc eius nominis Platonicum Philosophum cujus idem Laertius in proœmio historiæ philosophicæ suæ meminit & *de disciplinis* librum scripsisse ait. Chronophica in illo inter cætera tractata esse, ille ipse Laertii locus indicio est.

Pag ead.

Pag. ead. *Herodes Atticus.* Refertur hic Iulius Herodes in vita M. Aurelii Philosoph. Imp. inter præceptores ejus.

Pag. 33. *Horapollo.* Scripsit præterea τεμένικα, de Lucis & Templis teste Suida, qui eundem Alexandriæ & Constantinopoli sub Theodosio Imp. docuisse ait, addito sequenti elogio: *Fuisse hominem ob artem celebrem, nulli veterum doctissimorum Grammaticorum secundum.*

Pag. 35. *Ioannes Hierosolymitanus.* Scripsit hic præter S. Ioannis Damasceni, Sancti etiam Epiphanii Cyprii vitam, quam utramque Parisiis manuscriptam superesse Labbeus in Bibliot. auctor est.

Pag. ead. *Ioannes Laurentius.* Meminit hujus Suidas, ac præter illa quæ Vossius recenset, de aliis etiam Mathematicis argumentis scripsisse ait, quæ Gabrieli cuidam Præfecto, quem loquentem interduxerit, dedicasse addit. Porro hic idem ille est, quem mox pag. 39. è Simo catta breviori nomine Lydum voco.

Pag. 36. *Ion* Suidas in voce Siphnii citat Ionis opus de præsidiis.

Pag. 37. *Iulius Maternus.* Vixit circa eadem quibus Ptolomæus, tempora Advocatus aliquis provincialis hujus nominis, qui in dubio non magis aliarum provinciarum, quam ipsius Africæ (hanc Satyricus *Causidicorum nutriculam* alicubi vocat) fuisse præsumere possumus, quamvis, quod hic relatus fuerit, certò sciri nequeat. Meminit ejus Vlpianus Iuris Consultus in Lege *1.* §. *10* ff. de Extraord. cognit. referens Marci Aurelii & Commodi Imp. de illo rescriptum.

Pag. 38. *Lasus* Videtur hic esse ille ipse quem Laertius lib. *1.* à quibusdam inter veteres Græciæ sapientes relatum fuisse scribit.

Pag. ead. *Leo Car.* Leonem Grammaticum Labbei cum Leone Care Cedreni eundem esse postmodum primum animadverti.

Pag. 39. *Lycophron.* Libet de hac Satyra ipsum Laertii referri locum: *Ea omnia memorat Lycophron in satyra, quam scripsit ad Menedemum, Philosophi conscribens laudes*

Pag. 39 *Lesches Pyrrhæus.* Esse unum & eundem quem Pyrrhæum Pausanias Eusebius Lesbium vocat, titulus operis, quod utrique commune est, satis ni fallor ostendit. Accedit isti argumento aliud à patria ductum. Nam fuerunt quidem plures urbes Pyrrhæ nomen ferentes una in Lycia, altera in Caria, quarum Plinius meminit lib. 5. cap. 28. & 29. tertia Locrensium ut ex eodem constat lib. 4 cap. 3 quarta Mæotidis, de qua is libro 2. cap 29. agit & à ponto ablatam esse dicit; quinta Magnesiæ apud Thessaliam, idem lib. 4. cap. 9. sed alia hujus nominis olim Lesbii Insulæ Civitas quam postea à mari haustam esse scribit supradictus

 auctor

auctor lib. 5. cap. 31. hunc auctorem progenuisse videtur; ita ut à natali oppido Pyrrhæus ab ipsa insula, in qua illud situm fuit Lesbius dictus sit.

Pag. 43. *Metrophanes.* Fortè hic idem ille sit, quem ex Suida Vossius refert l. 3 pag. 306. ac præterea dubius sum an non hunc paulò ante proximè præcedenti pagina per errorem Menophanem vocaverim.

Pag. ead. *Metrodorus Figeticus.* Videtur hic esse m quem Vossius refert lib. 3 & Periegeticum cognominat, nam eundem, quem ego, auctorem citat, ita ut suspicer me in corruptum Lutatii Placidi in Thebaidem Statii exemplar incidisse.

Pag. ead. *Michael Syncellus.* Hunc Suidas Corderio subministravit, qui encomium vocat, quod de S. Dionysio scripsit. Fuit autem Hierosolymitanæ Ecclesiæ asscriptitius.

Pag. 45. *Nicephorus Blemmyda.* Scripsit præter recensita etiam de dissidio Arsenii & Iosephi Patriarcharum, teste Allasio lic. 2 cap. 14. de consens. Eccles.

Pag. ead. *Nicobule.* Reperimus Nicobulum inter auctores Plinianos lib. 12. quo arborum historiam exequitur.

Pag. 47. *Orion.* Hujus Suidas etiam meminit, qui Alexandrinum Grammaticum vocat, aitque scripsisse de Etymologia & Atticarum dictionum florilegium. Refert idem cognominem ab hoc diversum itidem Ægyptium, patria Thebæum, qui tribus libris scripserit ad Eudociam Theodori II. Imp. uxorem, collectanea sententiarum, itidem florilegium inscripta.

Pap. ead. *Oenopides.* Meminit Laertius lib. 9. in vita Democriti Oenopidæ, qui illi & Archelao Philosopho æqualis fuerit, qui & ipse Philosophus fuisse videtur.

Pag. ead. *Orapion.* Videndum, an hic forte sit Apollonides ille cognomento Horapius quem Theophilus non Alexandrinus ut ait Vossius sed Antiochenus lib. 3. (ad Auctolycum) refert quique illum inrer alia de Ægyptiorum Diis scripsisse auctor est.

Pag. 48. *Orpheus.* Locus Laertii suo loco per incuriam omissus ita habet: *Qui autem illius* (Philosophiæ) *inventionem Barbaris assignant Orpheum quoque Thracem in medium adducunt Philosophum fuisse & quidem antiquissimnm. Equidem is qui de Diis talia commentus est, an Philosophus appellandus sit nescio. Videant certe, qui ita volunt, quo sit censendus nomine, qui Diis vitia, quæ raro à turpibus quibusque & flagitiosis hominibus aguntur,*

aguntur, ascribit. Hactenus ille, præ quo mitius & honoratius Orpheum tractat Suidas, qui insigni elogio celebrat, fuisse *virum præstanti sapientia, multorumque arcanorum peritum*, qui etiam genus ejus ex Atlante Lybico deducit & plura ejusdem scripta refert, sed pleraque controversa & à diversis ad alios delata.

Pag 49. *Panætius.* Scripsit idem libros aliquot de Socrate, quibus inter cætera mores & vitam ejus videtur contra calumniatores tutatus esse. Meminit illorum Plutarchus in vita Aristidis, ubi refert fuisse à Panætio refutata, quæ alii, inter quos Demetrius Phalereus, Hieronymus Rhodius, & Aristoxenus Musicus fuerunt, de Socratis bigamia & nepte Aristidis, cui Myrtho nomen fuerit, altera ejus una cum Xantippe uxore illi affinxerant, ut mirum sit Peripateticos potissimum (omnes enim illi à Plutarcho relati ejus sectæ fuerunt) ista in re contra illum conspirasse. De ipso autem Aristotele, qui idem tradiderit, paulò timidius scribit, eo, quod dubium esset, an qui sub illius nomine circumferretur de Nobilitate Liber, inter legitima & genuina Aristotelis opera referendus esset.

Pag. ead *Pantoleon.* Superest Parisiis in Regia Bibliotheca, ut Labbeus pag. 75 testatur, qui Pantaleonem vocat, Diaconum & Cartophylacem Operis inscriptio apud illum est: *In S. Michaelem.*

Pag ead. *Paxamus.* Refert hunc auctorem etiam Suidas, qui præter alia ad hanc nostram non facientia materiam (nimirum libros duos de re rustica & totidem alios de arte tingendi) rerum Bœothicarum libros duos illum scripsisse tradit. Idem addit, quæ de arte culinaria ab ipso scripta sint ordine Alphabetico fuisse digesta.

Pag. 50. *Persæus.* Hic historicum etiam argumentum tractasse videtur in alio opere suo de Laconum Republ. cujus idem Laertius meminit, eo in loco ubi lib. 7 lucubrationes Persæi enumerat.

Pag. ead. *Phantasia.* Non facile mihi persuadebitur, ante Homerum Græcorum studia in Ægypto floruisse, quæ illuc demum una cum Macedonica potentia & Ptolemaico imperio introducta esse videntur, & exinde æque Alexandriæ ac Athenis, imo verius longe adhuc excellentius floruerunt. Non tantum igitur suspecta sunt, hujus versificatricis & patris ejus Græca nomina, sed etiam ipsius rei tractatæ materia, de qua nec patria lingua sua illam scripsisse verisimile est. Fuit enim obsessæ & eversæ Trojæ seu fabula seu historia Græcum commentum, & antiquioribus Ægyptiis omnium ferè gentium superstitiosissimis longe diversi generis mendacia & figmenta curæ erant. Extat inter opera Dionis Chrysosthomi

sosthomi oratio sive declamatio ejus, *Ilium non esse captum*. Putarim autem non prorsus absurdam & omni ex parte improbabilem fore oratoriam exercitationem si quis sequens paradoxum Dionis imitatione defendendum suscipiat: *Trojam nunquam fuisse.*

Pag. 52. *Philiscus*. Dubitari non debet esse hunc, illum ipsum cujus Plutarchus meminit de decem Rhetoribus, in Lysia, cujus illum socium & Isocratis auditorem fuisse dicit, referens ejus carmen in Lysiæ laudem conscriptum. Fuit circa eadem tempora ejus nominis Philosophus Cynicus, patriâ Ægineta ipsius Diogenis cum fratre Androsthene & patre Onesicrate discipulus, quem crediderim ab hoc diversum esse.

Pag 54. *Photius*. Ad historiam etiam pertinere videtur ejusdem Photii libellus de Synodis citatus ab Allatio lib. 1. de Eccles. cons. cap. 36. An eundem libellum intelligat, quando meminit *Synodici tempore Photii accuratissime confecti*, necdum ausim affirmare. Citat illud idem auctor, l. 1. cap. 27.

Pag. ead. *Pisander Camiræus*. Heracleam hujus auctoris, id est, de Herculis laboribus opus, duobus tantum libris constitisse, Suidas auctor est. Addit idem, alia, quæ illi tribuantur, non ejus sed aliorum esse, & inter reliquos Aristæum Poetam illorum aliqua composuisse. De ætate ejus variant auctores; quidam Eumolpo Poetæ æqualem faciunt, quidam etiam Hesiodo antiquiorem, alii ad Olympiada 33. referunt. Hæc è Suida. Porrò Camirum Pisandri patria Rhodi insulæ oppidum fuit, teste Plin. l. 5. c. 29.

Pag. 55. *Pisander Larandeus*. Hunc è Suida Beierlingus mutuatus esset si auctoris sui meminisset. Sunt autê sequentia illius de hoc verba ex Hier. Wolffii versione: *Pisander Nestoris Poetæ filius Larandensis aut Lycaon fuit sub Alexandro Imp. Mammææ filio versificator & ipse. Scripsit Historiam variam versibus, quam inscribit*: Iunonias nuptias. *Scripsit & alia oratione prosa*. Quod autem Suidas ait, hunc Pisandrum Lycaonem vel Larandensem fuisse primo intuitu videtur distinctionem & contrarietatem sapere, quæ tamen abest, & utrumque simul consistit. Fuit enim Laranda Lycaoniæ municipium vel oppidum, subticitum quidem à Plinio, sed non prætermissum à Ptolomæo. Idem tamen Suidas in Nestore Larandam Lyciæ tribuit, nisi forte illic quoque Lycaonia legi debeat.

Pag. 56. *Procopius*. Hujus testimonio sua roborat Leo Allatius lib. 1. de cons. Eccles. cap. 12.

Pag. 57. *Scylax*. Scylacem testem producit apud Allatium l. 2. c. 9. Manuel Caleca, è quo loco colligi videtur tractasse illum inter reliqua res gestas Constantini Monomachi Imp.

Socra-

Pag. 59. *Socrates*. Rem facit dubiam & ſuſpectam, quæ de Grylli laudibus à Socrate ſcriptis traduntur, quod ante pugnam ad Mantinæam, in qua Gryllus fortiter pugnans occubuit, Socrates jam obiiſſet.

Pag 60. *Thaſcius Victorianus*. Poſſit non nemini in mentem venire Latina potius quam Græca hunc ſcripſiſſe lingua; ſed tacente Sidonio rem obſcuram temerè non affirmaverim.

Pag. ead. *Theodatus*. Videndum an hic forte idem ſit cum Theodoro Ilienſi, de quo pagina ſequenti agitur.

Pag. 69. *Anagallis*. Sphæra iſta, quam hæc reperiſſe ſcribitur non videtur de Aſtronomico illo inſtrumento, quo orbes cœleſtes ſeptem Planetarum exhibentur intelligenda, ſed ad illud ſaltationis genus pertinere quod Sphæram ſive Sphæriſcam appellabant, & in quo Ariſtonicum Caryſtium Alexandri Magni ſaltatorem excelluiſſe paulò ante citato loco Suidas præmiſerat.

Pag 88. *Plato*. Quicquid de Atlantica hiſtoria olim Platonicorum plerique ſenſerint, qui illam pro vera narratione non autem pro figmento ingenioſo habuiſſe dicuntur, videtur mihi, quod cum bona Platonis ejuſque ſequacium gratia fiat, fabulæ potius quam hiſtoriæ ſpeciem habere idque unicuique non obeſæ naris facile ſuboleſcere perſuaſiſſimum habeo. Origo namque ejus eſt à fabuloſiſſimis Ægyptiorum Sacerdotibus quorum ementita antiquitas nil aliud, quam meriſſimam vanitatem & jactantiam ſapuiſſe & ſpiraſſe noſcitur. Deinde infinita illa Athlanticorum per Europam & Africam potentia, & unius iſtis antiquiſſimis temporibus vel adhuc tenuis & imbecillæ, vel etiam fortè necdum conditæ urbis cum tam vaſto imperio non tantum bellum, ſed de illo etiam victoria & triumphus, quo colore & artificio, cum veritate conciliabuntur & in concordiam redigentur? Ejuſdem farinæ eſt vaſtiſſimus commentitiæ iſtius inſulæ diſtrictus & ambitus, cui in toto Atlantico Oceano vix ſatis ſpatii ſit nec poteſt illa pro novo, ut hodie vocamus, orbe haberi. Accedit omnium fabuloſiſſimum, quod de totali iſtius inſulæ interitu & abſorbtione à Platone additur.

Sequens Historicorum Tetras sive quaternio suis locis inseri poterit.

CHristodulus à Ioanne Baptista Egnatio inter illos producitur, quos in conscribendis Romanis Principibus sive Cæsaribus suis securum se esse & excussisse profitetur; præter Zonaram enim Gemistum & Nicetam Choniatem hunc quoque memorat. Affirmare pro certo non ausim esse hunc eundem cum illo, qui ab aliis Christodorus vocatur, & suo loco à me relatus est; quod ex eo suspicari quis possit, quod apud alios de hoc auctore silentium sit. Videtur autem ejusmodi conjectura ex eo tantò majoris ponderis & firmioris fundamenti esse, quod Christodorus ille, licet expressè non tradatur, vitas Imperatorum illorumque gesta scripsisse, inter cætera tamen res Constantinopolitanas libris duodecim composuerit. Sed cum Egnatius Christodulum suum post Zonaram & Choniatem recenseat, illique Plethonem Gemistum, quem recentiorem esse & post captam à Turcis Constantinopolim scripsisse constat subjungat, soleatq; ab ordine temporis probabilis argumentatio inferri, rem incertam & in utramque partem disputabilem in medio relinquo, possumusque suspicari Commentarios Christoduli in reipubl. Venetæ Bibliotheca, qua Egnatium fuisse usum vix dubitem, adhuc superesse, ubi codicis ipsius inspectio hujus ambiguitatis decisio fuerit. Fuit hujus nominis aliquis Photii Patriarchæ coævus, pro quo ille Epistolarum suarum quarta Bardam patritium deprecatur & à Secretis vocat, sed quis dicere ausit, esse illum eundem cum Egnatii Historico? & jam dixeram mihi hunc è posterioribus videri.

Timocles Hyperbolicus & fabulosissimus Historicus refertur à Photio Patriarcha Epistola 55. cujus verba, uti de homine ab aliis, quantum hactenus compererim, immemorato adscribere lubet: *Timoclem fortè aliquem, cum vel puer vel adolescens disciplinarum scholas adires audivisti, Ophicianorum* (ita vertit interpres in Græco est ὀφιοχανῶν.) *quos sibi confinxit, nationis naturam, politiam, pugnas victorias, vitæ secula ætates, felicitates, neque hominum tantum sed & plantarum animalium maris & terræ aërisque hyperbolicè mentientem & prodigiosè persequentem.* Non est hic Timocles ille Atheniensis Comicus, cujus fabulas Athenæus refert, sed alius illi homonymus, qui historico charactere & prosa

prosa scrisipt, ut idem Photius satis apertè ibidem insinuat, alicujus magni mendaciorum architecti exagitationi falsè admodum & mordaciter insistens, omnesque poëtas tanquam in ista arte in comparationem cum illo veniendi prorsus indignos rejiciens cum ait: *Neque enim persuaderi ipsi possit, ut cum Poetis vel amantißimis fictionum, ne dicam Comicis aut Tragicis comparetur, multo magis, qui res Heroum gestas metro Paronymo persecuti sunt. Cum vero Poetas omnes in extemporalibus figmentis transgreditur, idque cum supercilio, Historicus quispiam aut prosâ Scriptor hic opus est, ut in memoriam revocetur ei, & ex adverso componatur strenuus quispiam mendaciorum sartor, ut ita magnum & dubium subeant certamen.* Deinde Timoclis hujus exemplum subnectit. Non est autem putandum hunc nugatorem tantæ æstimationis fuisse, ut in scholis juventuti prælegeretur, sed videtur hæc Photii relatio similitudinem & affinitatem habere cum M. Grunnii Corocottæ testamento cujus S. Hieronymus alicubi risus captandi causa ludicram allegationem instituit.

Pyrrhus Epirotarum & Molossorum Rex scripsit Regiorum Commentariorum libros, quibus videtur Politica & Historica pariter fuisse complexus, idque satis nos puto ex Plutarcho cognoscere, qui illos in Vita hujus Regis citat.

Hippocrates qui de Cnidiæ sive ut puto Gnidi sacris scripsit, teste Iulio Polluce, videtur sacris Græcorum Historicis accenseri posse.

AMice Lector, debuerat hic subsequi pars altera derelictorium meorum quæ continet Annotationes ad Historicos Græcos à Ioanne Gerh. Vossio recensitos, illasque jam ante integrum biennium ad prælum paratas habebam. Eadem enim opera, qua ab illo prætermissos velut aliud agendo per variam lectionem collecta fuerant, enotata etiam erant, quæ illis, quos retulit nec inutiliter, nec citra Lectoris talium curiosi delectionem addi posse videbantur. Quia autem ex inopinato supervenerunt, quæ hoc propositum mutare coëgerunt: nec enim ex solo privato nutu nostro in rebus nos attinentibus progredi & agere conceditur, sed usque adeò etiam externa interveniunt, ut ipsimet exercituum ductores, ut habet è veteri memoria præpotentis alicuius Regis querela, mulorum & iumentorum pabula in castris locandis & expeditionibus instituendis respicere cogantur: superest, ut hunc defectum meæ non imputandum culpæ hactenus saltem, de cætero enim re tanti non est, ut vel populus, vel studiosa cohors illam curare velit, excusem, ne quis subsannet, quod secundum Lucilium oblonium mantissa vineat, & ut Itali-

cum proverbium habet: *L'aggionta sia maggior che la derrata.* Nec tamen priori proposito & promissis auctor deerit, dum aliis de causis tum ad magni huius, cuius mentio facta est, Scriptoris honorem, cuius se non perfunctorium & superficialem fuisse Lectorem hinc constare cupit, profiteturque se omnia illius utpote universalis ferè & stupendæ eruditionis viri plurimi facere, idque tantò magis & libentius, quod illam pari modestia & libertate sapidissime condierit. Nec novum est, hoc honoris aliorum operibus dari, prout publicè constat, & infinitis exemplis, si opus & , probari potest; inter quæ Tiraquelli in Alexandri Neapolitani res antiquarias Commentaria quibus Genialium dierum inscriptionem dedit speciminis ergo hac vice produxisse satis sit; dato tamen unico collega Thoma Dempstero Scoto natione, & Bononiensis Vniversitatis professore , cuius extant in Ioannis Rosini Romanas antiquitatis eruditissimæ additiones.

Index Historicorum hisce Centuriis contentorum.

Anti-

Diony-

Hereas

Lyco-

Tribo-

Auctores in Paralipomenis citati.

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

Rade-

Coro-

COronidis loco monendus mihi eſt in hac operis calce benevolus & candidus Lector, tam ante impreſſionem exhibitum eſſe ad reviſionem & cenſuram manuſcriptum ejus, quam etiam poſt excuſionem ejuſdem typis deſcripta exemplaria. Quia autem, quam non uno è loco expectavi, & à diverſis petii, fruſtra longo tempore præſtolatus ſum approbationem, nec eius loco, vel ex toto vel parte reprobatio aliqua ſecuta fuit, putavi mihi licitum fuiſſe pro innocentia præſumere, nec de viris doctis, Chriſti Sacerdotibus & Theologis vel in minimo ſuſpicionem aliquam concipere debui, quod illorum ſilentium vel mihi vel Typographo fraudi eſſe poſſit, præſertim cum ex oralibus reſolutionibus nihil adverſi vel præjudicialis percipi potuerit. Ac tantò minus affectatâ anxietate etiam tuta timere mihi opus fuit quod conſcius mihi eſſem, me quam potuerim adhibuiſſe operam, ut quæ è Theologica penu ſapidioris condituræ ergo in hoc philoſophico quantulocumque apparatu depromere viſum fuit, Catholicæ fidei aſtruẽdæ & bonis moribus promovẽdis potius ſervirent, quam vel in minimo illis adverſarentur, & quẽquam verè pium offendere poſſent. *Illorum* enim ſententia mihi placet, eorumque veſtigiis inſiſtere in hac lucubratiuncula mea ſtudui, qui ore & opere aſtruunt Chriſtianis hominibus non admodum conveniens & parum proficuum eſſe, potioribus neglectis nonniſi gentilium placitis per profanum tantum philoſophandi cacoëthes inſiſtere, & ſalubrium frugum obviâ & parabili copiâ faſtiditâ ſolis glandibus veſci. Omnia autem & ſingula, quæ vel in hac de ſummo bono diatriba mea vel antehac de quocumque argumento ſcripſi, aut deinceps etiam permittente Deo & vita ſoſpite ſcripturus ſum, S. Apoſtolicæ Sedi & Eccleſiæ Catholicæ ejuſque ſummo in terris Capiti, reliquiſque Eccleſiaſticis Superioribus Paraſtatis & Doctoribus humillimè & reverenter ſubiicio, & ex illorum trutina & deciſione vel ſtare vel concidere volo.

Lynceus

DISCVRSVS
De SVMMO HOMINIS BONO, IN HVIVS VITAE MISERIA.


AVCTORE.

BERNARDO à MALLINCKROT
DECANO MONASTERIENSI
& Electo Coadjutori Mindensi, nec non Seniore Canonico ibidem.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Typis PAVLI METTERNICH,
Anno M.DC.LVI.



SVMMARIA DISCVRSVS DE SVMMO BONO.

QVia visum non fuit hunc Discursum in Capita dispescere, eò quòd nec propositum, nec opinionem sub initio habuerim, quòd illa successura esset in quam excreuit prolixitas, vt aliquâ ratione illorum vice Lectoris commoditati seruiretur, hæc summaria ei præfigere placuit, idque institutum nec alijs displiciturum esse confiditur.

1. *Historia Proconsulis Romani volentis componere Atheniensium Philosophorum controuersias.*
2. *An desperata res sit talis compositio, præsertim Stoicos & Epicureos quod attinet.*
3. *De Stoica Philosophia quinam nuper scripserint.*
4. *Gassendi duplex de vita & moribus Epicuri & de Philosophica doctrina eius opus.*
5. *E Socratica Philosophia diuersæ Sectæ enatæ.*
6. *Sectæ Philosophicæ ante Socraticam, Barbarica, Pythagorica, Ionica.*
7. *Heurnij liber de Philosophia Barbarica.*
8. *Pythagoram non minus ac Socratem Ethicæ Philosophiæ conditorem esse.*
9. *Barbarica Secta omnium antiquißima.*
10. *Socrati quantenus laus debeatur introductæ Moralis Philosophiæ.*
11. *Græci ad dissensiones facillimi.*
12. *Pythagoricos non fuisse in hæreses dissectos.*
13. *Non in Philosophia tantùm, sed etiam Historia lasciuisse istam Græcanicam contradicendi libidinem.*
14. *Socratis discipuli, alijque Sectarum auctores.*
15. *Sectæ Potamonis Alexandrini, Eclectica siue Electitia.*
16. *Academica Secta.*
17. *Antiochus Ascalonita veteris Academiæ restaurator.*
18. *Porphyrius nobilis Platonicus.*
19. *Marsilius Ficinus Platonicæ Philosophiæ præcipuus illustrator.*
20. *Clemens* VIII. *volens Philosophiam Platonicam in scholas reducere Bellarmini dissuasioni acquieuit, & ab incepto destitit.*
21. *Aequè Peripateticæ, quàm Platonicæ Philosophiæ abusum esse posse.*
22. *Secta Peripatetica siue Aristotelica.*
23. *Stoica Secta.*
24. *Cynicorum Secta.*
25. *Secta Epicurea.*
26. *Docti aliquot viri, qui dogma hoc in sano sensu probârunt.*

63. No-

100. *Dionysius Heracleotes.*
101. *Panætius & Posidonius Apameensis.*
102. *Cyrenaici, Aristippus, Hegesias, Anniceris & Theodorus Atheus.*
103. *Cicero an peculiarem sectam introduxerit.*
104. & 106. *Omnium antiquissima Moralis philosophiæ origo.*
105. *Græcos per vanitatem sibi ferè omnia arrogâsse.*
107. *Adamus eiusq; filij & nepotes Ethices primi Doctores.*
108. *Quæ ab Abrahamo postmodum propagata.*
109. *Omnes in vniuersum mortales inuitantur ad nouum, idq; admodum populare philosophandi genus.*
110. *Aristoteles quantopere se ipsum deceperit, volens & satagens populare & plausibile de summo bono dogma introducere & persuadere.*
111. *De Abrahamo quinam auctores consulendi sint.*
112. *Moyses magnus & cœlestis morum magister.*
113. *Moralis philosophia ab Hebræis ad alias gentes propagata.*
114. *Peregrinationes philosophicæ.*
115. & 119. *Socrates quatenus conditor Ethices dici mereatur.*
116. *Veteres ante Socratem philosophos non fuisse virtutum osores.*
117. *Illis videri magis virtutum actiones, quàm de illis disputationes placuisse.*
118. *Socratis philosophandi ratio, tanquam tempori conueniens laudata,*
120. *An verum sit Physicam & Astronomiam à Socrate fuisse neglectas.*
121. *Socraticus rerum naturalium contemptus quatenus excusari possit.*
122. *Studium physicum & Astronomicum ad pietatem & reliquas virtutes vtile esse remissiuè.*
123. *Socratem contemplatiuæ philosophiæ vtiliter fuisse aliquid temporis impensurum.*
124. *Socratem rerum naturalium scientiam potius dissimulâsse, quàm contempsisse.*
125. *Præcipua totius operis pars, de quæstione summi boni, deq́ue illo diuersorum doctrina cum propositione & partitione deinceps dicendorum.*
126. *An sit aliqua huius vitæ felicitas & beatitudo.*
127. *Ipsam experientiam testari, plurimas esse huius vitæ miserias.*
128. *Poëtarum testimonia, Solonis sapiens monitum & Hegesiæ suasio.*
129. *Ex animi potius firmitate, quàm è morte quærendum esse malis remedium.*
130. *Quid S. Augustinus senserit de huius vitæ beatitudine.*
131. *Miserias præsentis vitæ non auferre nobis felicitatis fruitionem.*
132. *Vera huius temporalis vitæ beatitudo, æternæ gloriæ & felicitatis conciliatrix est.*
133. *Huius seculi beatitudinem ab ipso Christo Domino testimonium habere.*
134. *E sacra scriptura pro eadem aliæ attestationes, ac nominatim Regij psalmistæ & Gentium Doctoris.*

135. I-

135. *Ipsum dolorem non carere voluptate suâ, quòd in pœnitentiæ lachrymis maximè verificetur.*
136. *Examen Sectarum de summi boni dogmate, facto à Peripateticis initio.*
137. *An fuerit Aristotelis de summo bono doctrina, quæ Peripateticis tribuitur.*
138. *Nichomachici Moralium libri an sint Aristotelis?*
139. *Quid de Peripateticorum circa summum bonum dogmate sentiendum sit.*
140. *Peripateticorum sententiam non conuenire Christianis.*
141. *Multò minùs Monachis alijsq; Religiosis.*
142. *In coniunctione Stoicæ & Epicureæ Sectæ consistere victoriam de summo bono controuersiæ.*
143. *Hanc esse Calliphonis & Dinomachi Sectam à Cicerone relatam.*
144. *Calliphonem & Dinomachum apud antiquos non admodum celebres fuisse.*
145. *Callipho quo tempore vixerit & floruerit.*
146. *Virtutem sui ipsius præmio contentam esse.*
147. *Felix dici non meretur, qui, quam consecutus est felicitatem, non agnoscet.*
148 *Confessarios Catholicæ Ecclesiæ optimos esse de Calliphonis sententia Iudices.*
149. *Periculosum esse de commissis criminibus plus æquo anxietate & cruciatu se affligere.*
150. *Esse tamen nimiam seueritatem excessiuâ anxietate nocentiorem.*
151. *Ipsum S. Paulum non esse ausum conscientiæ suæ acquiescere & fidere.*
152. *Catholicos malè à Sectarijs reprehendi, quasi de salute sua incertos.*
153. *Spem & Charitatem in negocio Iustificationis malè à fide auelli.*
154. *Quid per solorum operum saluationem intelligatur.*
155. *Fidem ad Thesin & concretum, spem ad Hypothesin & abstractum pertinere.*
156. *Indiuiduorum siue particularium hominum saluationem non esse fidei articulum.*
157. *Calliphoniam philosophiam præ alijs veterum Sectis saluificæ fidei & Christiano instituto conformiorem esse.*
158. *Ethnicorum philosophia quatenus cum Christianorum conueniat, & comparari possit.*
159. *Philosophos Gentiles neq; nimiùm vituperandos, neq; plus æquo laudandos esse.*
160. *Ioannis Baptistæ Crispi & Antonij Posseuini ista de re iudicium.*
161. *Calliphonium de Bono dogma etiam à Platone probari.*
162. *Marsilij Ficini ea de re locus.*
163. *Chrysippi pro Calliphone & Epicuro testimonium.*
164. *De veris Calliphonis & Dinomachi nominibus.*
165. *Stoicæ philosophiæ de summo bono examinatio.*

199. Quo-

119

199. Quousq; & quo intuitu similes in quæstionibus veteribus Scepticis videntur esse Theologi nostri.
200. Stoicos in studio adipiscendæ virtutis non malè constituisse felicitatem suam, siue bonorum fines.
201. Theophrastus an verè dicatur in fortuna statuisse summum bonum & an rectè in rerum humanarum regimine fortunam prudentiæ prætulerit.
202. Quæ causa omnibus seculis homines ad rerum futurarum diuinationem impulerit.
203. Hieronymi Rhodij, & Dionysij Heracleotis sententiæ ponderantur.
204. Corporis dolores præ alijs maximum facessere in hac materia negotium.
205. Non esse à Stoicis in hac quæstione recedendum, ne ipso Epicuro peiores simus.
206. Quid videatur Hieronymus propriè sensisse de corporis doloribus.
207. Dolores corporis non eripere veram homini felicitatem.
208. Corporis dolores nihil imaginarij continere, esseq; sæpius incurabiles.
209. Aristippi & Cyrenaicorum sententia examinatur.
210. Carneadis opinio expenditur.
211. Cicero quatenus dicendus sit Carneadem secutus esse & probâsse.
212. An in enumeratione Sectarum Cicero eam, quam amplexus fuit, rectè prætериêrit.
213. De Democriti Euthymia.
214. De Diodori Peripatetici doloris vacuitate.
215. De Euclidis sententia.
216. De Diodori Iassij augmento siue auctione remißiuè.
217. De illis, qui in sapientia, prudentia, vel scientia summum bonum situm esse dixerunt.
218. In quo propriè illi differant inter se.
219. De Anniceride & Hegesia Cyrenaicis.
220. De Eratosthene, Panætio & Posidonio.
221. De Pittaco Mityleneo & Plotino Platonico.
222. De veterum philosophorum in plerisq; logomachia.
223. Quâ ratione illa tolli & inter ad speciem dißidentes concordia fieri poßit.
224. Peripateticam inter omnes deteriorem esse de summo bono doctrinam.
225. Graduum felicitatis differentiam plurimum facere ad veteres Sectas conciliandas.
226. Peripateticos & Stoicos in duobus extremis perstitisse & vtrimq; contrarios amplexos fuisse errores.
227. Quid nobis mißis veterum Sectis de felicitate hominis sentiendum sit.
228. Partitio huius membri & deinceps dicendorum propositio.
229. Præsentis vitæ beatitudinem ex futura felicitate metiendam esse.

230. Quæ

258. Vir-

258. *Virtutes aciei bellicæ similes esse, cuius prudentia dux, fortitudo tergiductor sit.*

259. *Prudentiam & fortitudinem à reliquis virtutibus seiunctas in vitia degenerare, & in calliditatem & immanitatem conuerti.*

260. *Indolis naturalem bonitatem variè deprauari posse.*

261. *Tribus rebus constare & perfici humanum intellectum, reliquasq́; duas animæ facultates: Genituræ felicitate, experientiâ & eruditione.*

262. *Genituræ felicitatem in ingenij, Iudicij & memoriæ bonitate consistere, reliquis autem duobus Iudicium præstare.*

263. *Experientia vsus & necessitas: illam eruditione potiorem esse.*

264. *Eruditionis commendatio & insignis vtilitas.*

265. *Varias esse eruditionis seu partes seu species: ad virtutem & felicitatem hominis moralis philosophiæ studium & historiarum cognitionem præ alijs conducere.*

266. *Naturalis philosophiæ scientiæ, quam præbeat ad virtutes ac inprimis ad pietatem commoditatem.*

267. *Physicarum rerum contemplationem humilitatis & modestiæ magistram esse.*

268 *Loci & temporis circumstantiarum exemplis id probatur.*

269. *De sensus visus verissimo naturæ miraculo.*

270. *De dierum & noctium per vniuersum terrarum orbem ratione.*

271. *De proportione locorum siue partium vniuersi.*

272. *Naturalis ratio & causa proportionis inter cœlum & terram.*

273. *Solis exemplo res ista illustratur.*

274. *An omnes stellæ à sole habeant lumen suum.*

275. *De proportione temporum, anniq́ue mensium & dierum ratione.*

276. *Philolai & Copernici de motu terræ opinio reiecta.*

277. *An cœlum terrâ, vel hæc illo præstantior sit.*

278. *Rerum varietate cœlum à terra multum separari.*

279. *In terræ vsum cœlum creatum esse.*

280. *Cœli pulchritudinem, qui intueri velit, in terra consistere debere.*

281. *Bellarmini libellus asceticus: de Ascensione mentis in Deum, per scalas rerum creatarum.*

282. *De multiplicibus eruditionum abusibus sub hoc & sequentibus numeris 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292.*

283. *Auctores, qui super ista materia adiri possunt.*

293. *Res externæ quatenus faciant ad hominu beatitudinem.*

294 *Circa illas frequentes & magnos esse hominum errores & deceptionẽs.*

295. *Non minus externa mala eſ àn bona ad felicitatem facere eò, quòd vtraque sint virtutum materia & obiectum.*

*** 296. Iu-

332. De

362. Lucius Seneca contra Cardanum defensus.
363. Petrarchæ & Heinsi de morte contemnenda scripta.
364. De Autochiria eiusq; in mortuorum corporibus pœna.
365. Memorabilia voluntariarum mortium punitarum è Gellio & Plinio exempla.
366. Vtrum satiùs sit nunquam fuisse felicem, quàm felicitate excidere.
367. Progressus ad diuersa parerga huius de summo bono discursus.
368. Laurentij Vallæ de voluptate librorum carptim & compendiosè instituta refutatio.
369. Bonum an in medijs vel finibus consistat.
370. Virtus an sui ipsius proëmium sit.
371. Rectè docuisse Epicurum, quòd præteritorum recordatio & meliorum in futurum spes corporis doloribus remedio & solatio sint.
372. Sortem communem in aduersis efficacem consolationem esse.
373. Rarissima esse ab omni æuo felicitatis vulgò credita exempla.
374. Res aduersas non tantùm virtutis incitamentum & experimentum esse, sed etiam ad nominis celebritatem facere.
375. Adulationem & calumniam Christi fideles & literarum cultores præ omnibus reliquis maximè dedecere.
376. Quomodo intelligendum sit Diuinæ voluntati obediendum esse.
377. Cum vulgò non paucos alios de consilijs & actionibus aliorum ex euentu iudicare.
378. Non esse diuinæ prouidentiæ contrarium, quòd malis benè & bonis sæpè malè sit.
379. Non esse cum Deo rebus aduersis nos flagellante disputandum, quod exemplo S. Iob illustratur.
380. Iusta esse Dei iudicia, & omnia ab illo benè disponi.
381. Nulla tam grauia à Deo nobis infligi posse, quin grauiora nos promeruisse agnoscere debeamus.
382. Pœnitentiam Christianarum virtutum maximam esse.
383. Suauissimam esse humilis & pœnitentis cordis hilaritudinem, quoq; frequentior sit contritionis & pœnitentiæ reiteratio, eò maius gaudium progenerare.
384. Iaculatoria peccatorum confessio.
385. Non tam nostra referre, quid antiqui philosophi de bonis & malis senserint, quàm quid nobis de illis tenendum sit.
386. In coniunctione bonæ conscientiæ & status gratiæ summum bonum consistere.
387. Frequentissimam fieri in Psalmis Dauidicis nec Emphasi singulari carentem misericordiæ & veritatis sociationem.
388. Diuinam misericordiam solidum esse humanæ securitatis fundamentum.
389. Sacras consolationes & instructiones reliquis longissimè esse præferendas.

390. Nec

390. *Nec tamen has omnino repudiari oportere, ideoq; Ethnicorum de moribus scripta non inutiliter cum Diuinis & Ecclesiasticis coniungi.*

391. *Theologicam veritatem non esse à philosophica diuersam.*

392. *Quantum noceat gentiles scriptores pluris à nobis fieri, quàm æquum & bonum est.*

393. *Petri Pomponatij exemplo eius rei veritas illustratur.*

394. *Ita iuuentutem instituendam esse, ne postea dedoceri opus habeat, quæ paulò antè didicit.*

395. *Adducitur eius rei desumptum ab hodierno Iuris studio exemplum, quod tamen non æquè noceat quàm illud, de quo hic agitur.*

396. *Epilogus referens doctrinam & exemplum S. Pauli de perferendis aduersis & Deo adhærendo.*

QVamuis fortassis apud paulò iniquiores æstimatores ostentationis speciem prœbere possit, quòd auctorum, quos passim citaui, syllabum exhibeam, intermittere tamen illum nolui, tum quòd pridem tralititij inter multos eruditorum moris sit, & iam inde ab antiquo ante tot seculorum euolutionem naturalis Historiæ scriptor eius rei luculento exemplo nobis præiuerit, & potius mo[illegible] ingenuitatis quàm arrogantiæ ali[illegible] ius & vanitatis specimen esse monstrauerit; tum ve[illegible] sa, ne occasionem negligerem, beneuolis me Lect[illegible] vberiùs & splendidiùs, quàm factum sit, tam nob[illegible] cum non exornâtim, à quibus aliàs commissa à me ieiunitas iustissimè culpari merebatur. Atque hâc ratione magis facit ad confusionem meam, quàm quicquam aliud, quod cuiuis hinc pateat, quàm mihi fuerit in hoc tractatulo instruendo & concinnando curta suppellex. Abstineo tamen hanc, quâ circumuentus fui, penuriam per meam à Musico Lařario absentiam pluribus excusare, ne audire cogar, quod olim Albino Romano homini, Græcè historias scribenti, priscus ille Cato, non sine seueriori supercilio & Censoria grauitate, obiecit. Cœterùm ipsam rem quod attinet, non putârim me hac in parte singularem esse, cui operum editiones, quæ auctorum allegatorum Catalogum exhibent, præ alijs plenius satis faciunt; vt tantò magis confidere possim, hoc institutum meum plerisq; improbatum non iri.

Hegesias

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

S


T

V.

X.

DIS-

DISCVRSVS
DE SVMMO BONO.



MEMORIÆ proditum est fuisse risum antiquitus & lu- 1
dibrio habitum, nescio quem Romanum Procerem in
Græciam missum, vt cùm Imperio Achaicæ Prouin-
ciæ præesset, cuius Mandatis pro solenni illius Rei-
publ. etiam sub Principibus seruato more, cùm con-
tineretur, vt paci & quieti Prouincialium consuleret,
putauit ille ad officij sui rationem pertinere rixosos
Athenarum Philosophos in concordiam reducere & Scholasticas illo-
rum Controuersias sectarumque studia abolere. Eandem subire aleam 2
potero fortè nonnullis videri, dum aliqua saltem ex parte idem molior,
præsertim cùm præcipua mihi cura futura sit, vt Stoicos & Epicureos,
qui vel maximè omnium ab inuicem dissidere putantur, conciliare co-
nor, quod tamen non prorsus infeliciter tentatum iri spero, præsertim si
patientes, attentos & æquos Iudices consequar, qui priusquam auditus
sim, me condemnare nolint, ac rationum & testimoniorum momenta &
merita iustâ lance expendere dignentur. Certè deferbuit pridem inter
nominatas Sectas earumque Consectaneos rabidus ille, qui quondam
sæuijt altercandi æstus intermortuis ferre partium vtriusque tam duci-
bus quam gregarijs, vsque adeò vt apud alios, quid olim scripserint &
docuerint, potius quærendum sit, quam vt ex ipsis, qui propriam cau-
sam egerunt, & de Horti ac porticus placitis hodie quærentibus respon-
deant, aliquis supersit. De Stoica enim Philosophia extant Lipsij & Sci- 3
oppij Latina, Guilielmi Vairij Galliarum Cancellarij & Lexouiensis E-
piscopi Vernacula opera, qui omnes nostrâ memoriâ scripserunt, & in-
termortuam compluribus seculis sectam, si non pristinæ dignitati resti-
tuerunt, saltem ab interitu & obliuione asseruerunt. De Epicuri vita, mo- 4
ribus & doctrina neotericus & adhuc, quantum scio, superstes auctor
Petrus Gassendus itidem Gallus Diniensis Cathedralis in Prouincia Ec-
clesiæ Præpositus, doctissimus hoc tempore post Salmasij obitum Gallo-
rum scriptor præclarè tractauit, qui dicti Philosophi vitam decem libris,

Philosophiam & dogmata duobus iustis voluminibus copiosissimè executus est. Priusquam autem altius hoc pelagus intrem, de dignitate & vsu propositæ quæstionis, obiter aliquid præmittendum videtur. Satis
5 constat diuersas fuisse apud antiquas Philosophorum scholas & dissidentium ab inuicem acriterque inter se altercantium sectas, maximè postquam Socrates Moralis Philosophiæ parens & conditor, Philosophiam è cœlo, vt adagiale eius Encomium habet detractam, propius hominibus applicuit, & ad mores traduxit.

6 Fuerunt quidem etiam antea inter sapientiæ studiosos aliquot sectarum genera, quæ apud Diogenem Laërtium in Proœmio librorum suorum de Vitis Philosophorum, in tres potissimum classes distinguuntur, Barbaricam, Ionicam & Italicam, quarum hæc vltima à Pythagora, media à Thabete, prima ab ipsis Moyse, Noacho & Adamo initium habuerunt, scripsitque de hac postrema peculiari libello doctè & insigniter Ottho
7 Heurnius Medicus & Philosophus Batauus. Verùm de illis pluribus agere
8 non est huius loci, nec opus est post prædictos actum agere. Vnum hoc præterire nolim nonnihil iniuriæ fieri prænominato Samiorum sapienti Pythagoræ, qui Socrate antiquior fuit, ac non minus quam ille Ethicam Philosophiæ partem præclarè excoluit, id quod vel sola eius Symbola, quæ supersunt, probatissimum faciunt; dum huic priuatim asscribitur, quod non tantùm cum altero commune habet, sed à quo etiam præuen-
9 tus fuerat. Sed & ipsa Barbarica, vtrâque prætactorum longè antiquior Philosophia non minus moralia quàm Astronomica & Naturalia tractauit, è qua etiam Ionica & Italica Philosophorum Scholæ originem suam repetunt, quòd nemo vel obiter in antiquitate literaria versatus inficias iuerit, & ex ipsis sacris literis ac Flauij Iosephi Iudaicarum rerum libris
10 vnicuique euidens est. Quod igitur de Morali Philosophia, à Socrate originem suam habente auctores tradunt, ad Ionicam Sectam quæ prius in Minoris Asiæ maritimis, vnde ab Archelao Socratis præceptore propagata fuit, postmodum Athenis potissimùm floruit, peculiariter referen-
11 dum est, quæ res nouis rursus & quidem numerosioribus scissuris materiam subministrauit. Ac nullibi ferè magis quàm apud Græcos verum esse reperitur, quod alicubi scribit Domitius Vlpianus Iurisconsultus: *Naturalem esse hominum ad dissentiendum facilitatem.* Vix enim vestigia super-
12 sunt inter Pythagoricos illosque, quos more suo Barbaros Græci vocant, & in hac materia de lingua potius quàm moribus capi debet tales enatas & exercitas fuisse de dogmatum veritate dissensiones, quales statim post Socratis mortem, vel potius viuo adhuc illo Athenis exortæ sunt. Nec so-

lum hoc in Hellade Philosophiæ fatum fuit, sed ad alia etiam se extendit, maximèque Historiam, in qua vix aliquid tam certum apud Græcos & exploratum habetur, quòd non dissentientes & contradictores inuenerit, cuius generis documentis auctorum lucubrationes passim plenæ sunt, pertinetque eodem maxima ex parte illud Poëtæ. 13

Et quicquid Græcia mendax, Audet in Historia, &c.

Factum igitur à Socratis discipulis initium est, nouis illis Moralis Phi- 14
losophiæ sectis, Platone, Aristippo & Antisthene, quibus postmodum post non longi temporis intercapedinem successerunt Zeno Aristoteles, Epicurus, Arcesilas, Carneades alijque ac demum paulò ante Diogenis Laërtij tempora Potamon Alexandrinus, qui sectam electiuam Græcis ἐκλεκτικὴ vocatam commētus est. De hac Potamonica Hæresi in antecel- 15
sum obiter attingere licebit, non immeritò illam à Lipsio in libris de Stoica Philosophia valdè probari; eò quod sine studio partium & factione, id quod veriùs apud diuersos repererit, & hincinde collegerit, secuta sit, nec in cuiusquam Magistri verba iurare sustinuerit. Iudiciosum admodum & salutare sine dubio hoc Lipsij pronunciatum est, attamen tantò minor istius laudis participatio ad Pontamonem pertinet, quod in eo, quod præcipuum est, optimam partem non elegerit, sed in hac de summo bono quæstione Peripateticum potius sensum satis infeliciter secutus fuerit, quàm masculos virtutis sectatores probârit.

Fuit igitur primò secta Academica, cuius auctor Plato eiusque disci- 16
puli Spensippus & Xenocrates, è qua postea duæ aliæ suo tempore enatæ sunt, media quæ Arcesilam & noua quæ Carneadem seu veriùs Lacydem conditores nactæ sunt; illisque deinceps alij post alios longâ serie & magno numero successerunt, donec Luculli, Ciceronis & Varronis æuo Antiochus Ascalonita à Philone præceptore suo diuertens veterem illam 17
& genuinam Platonis Academiam reduxit, & nobiliter propugnauit, cuius etiam dogma L. Lucullus, apud quem familiariter aliquamdiu vixit, & Varro Romanorum doctissimus, prætereque illos ipsemet etiam M. Brutus probârunt & secuti sunt, vti ex Ciceronis Philosophicis inprimis Academicarum primo libro & Lucullo (libri nomen est) qui teste Nonio Marcello illius operis quartus vocatur, euidens est; cùm ipse Cicero mediam Academiam, quam Arcesilas commentus est, amplecteretur & præferret. Hanc ante Constantini Magni Imp. tempora Porphyri- 18
us præ cæteris egregiè illustrauit, cuius nomen apud posteros gloriosius esset, nisi illud per Christianismi oppugnationem infamasset. Eandem 19
sub seculi decimiquinti finem Laurentij Medicis, Cosmi (qui patris pa-

triæ reipublicæ ſuæ teſtimonio nomen conſecutus eſt, & in ſepulchrali
lapide in præſens vſque ferre meruit) è filio Nepotis tempore liberaliſſi-
mâ magnificentiâ eius excitatus, mirificè excoluit, & cum æterna nomi-
nis ſui fama illuſtrauit Marſilius Ficinus, ciuis, Philoſophus & Canonicus
Florentinus, quem non dubitem Platonicorum omnium Principem vo-
care, quod nec ipſemet Longinus, ſi reuiuiſcat, inficiari ſuſtineat. Ean-
20 dem Platonicam Philoſophiam Clemens VIII. Pontifex Maximus in
ſcholas, vti propoſitum habebat, reduxiſſet, niſi vnius Cardinalis Bellar-
mini dehortatione abſtentus fuiſſet: quæ tamen repulſa, ſi cauſam illius
& rationes, quibus illa perſuaſa fuit, perpendamus, plus gloriæ quàm
ignominiæ Platonico dogmati conciliat, vti apud Fuligattum & Sylue-
ſtrum de Petra-ſancta in vita prædicti Cardinalis videre eſt. Nec enim
vel ipſe Bellarminus præ Ariſtotelea auſus eſt Platonicam Philoſophiam
contemnere, ideoque non alio contra eius in ſcholas introductionem ar-
gumento vſus eſt, quàm quòd præ alijs Gentilium Philoſophorum ſectis
ad Chriſtianæ Religionis placita proximè accederet, ideoque ad ſedu-
cendos homines & ſimplicitatem fidei corrumpendam, maius ab illa pe-
21 riculum immineret. Acquieuit igitur, vt ex euentu præſumi poteſt, iſtis
Bellarmini monitis prædictus Pontifex, quamuis videatur res iſta nec-
dum omni carere dubio, & probabiliter etiamnunc in vtramque partem
diſputari poſſit, an ex Ariſtotele vel Platone, ſi quis illorum doctrinâ ab-
uti, nimiſque pertinaciter illis adhæreſcere & inſiſtere velit, maius &
pernicioſius contrahi poſſit Chriſtianæ profeſſioni diſcrimen. Iſta de re
vti paulò prolixiori non eſt huius loci agere; facit autem ad illius penitio-
rem cognitionem, Lateranenſis ſub Iulio II. & Leone X. celebrati Oe-
22 cumenici Concilij hiſtoria. Secunda ſit Peripatetica, quæ Ariſtotelem
Conditorem agnoſcit, omnium viuaciſſima, vtpote quæ etiamnunc ſu-
perſit, & reliquis fere intermortuis non viuat tantùm, ſed etiam in ſcho-
lis ſine aliqua æmula & concurrente principatum teneat. De hac præ-
ſtat tacere, quàm pauca dicere; tanta eius celebritas eſt, totque præclara
reperit ingenia, quæ illam certatim excolere, indieſque glorioſiorem
reddere anniſa ſunt. Diſſimulari tamen, materiâ & propoſito ita exigen-
tibus, ſuo loco minimè debebit, quantum huius Sectæ Princeps & con-
ſectanei eius, à vero receſſerint, in quæſtione de Felicitate, ſiue ſummo
23 bono. Tertio loco, dignitatis ordine Stoicam referemus, à Zenone Cit-
tiêo Antiſthenis diſcipulo commentam, omnium, quoad dogmatum ſe-
ueritatem & rigorem, præcipuam, niſi quòd Cynica, quæ ab Antiſthene
modo dicto primordia ſua repetit, cultus & victus aſperitate ſuperata ſit,
ideo

ideoque vel hoc nomine in ordine quartos recensere Cynicos placet. Nam quoad ipsam doctrinam & placita, eadem cum præcedenti fuisse videtur, teste Iuuenale Satyrarum Poëtâ, qui dogmata Stoica nonnisi tunicâ à Cynicis distare scribit. Atque hac de causa dubitatum iam inde ab antiquo videtur, an Cynicum institutum peculiarem in Morali Philosophia Sectam faceret, quod tamen Laërtio lib. 6. de vita & placitis Philosophorum in Menedemo potius videtur, cui facilè assentior & subscribo. Tantò minus autem Cynolargi præ Stoa sectam constituendi, & numerum in hac materia faciendi honos denegandus videtur, quod Antisthenis potius, quàm Zenonis inuentum fuerit (nisi tamen, quod potius arbitror, ipsi Socrati diuini istius dogmatis laus competat) in sola virtute humanam in hac vita felicitatem consistere, & quærendam esse. Nec enim quicquam, quod hactenus compererim, è Cynicorum Decretis Citticus hic repudiasse legitur, quàm quod naturâ verecundior, Cynicæ impudentiæ imitator & sectator esse non sustinuit, atque ideo perá & baculo repudiato, vitatisque in propatulo obscœnitatum exercitijs Antisthenicam nuditatem, & vilioris tunicæ pannosos centones in ciuiliorem habitum commutauit. Quintum locum teneat Epicurea, quam multis seculis magnâ apud plerosque inuidiâ laborantem ac publicâ explosione propè infamem, & superiori seculo & hoc nostro tempore diuersi graues nec probitate minus quàm doctrinâ excellentes viri non tantùm omni ex parte improbandam non esse censuerunt, sed etiam patrocinium & defensionem eius apertè & directò suscipere dignati sunt; eamque rem quasi sibi dedecori & rubori foret, nullatenus extimuerunt. Inter illos, quantum in præsentia memoriâ recolo, Laurentius Valla, Baptista Platina, & Erasmus Roterodamus fuerunt, quorum primus tres integros scripsit de voluptate libros, de quibus mihi infra nonnulla dicentur; Secundus idem tractauit sub pari titulo argumentum. Tertius elegantissimum concinnauit sub Epicuri lemmate de Christiano Epicurismo Dialogum, non minùs doctrinæ pietate quàm dictionis elegantiâ omni laude superiorem. Nostro autem hoc tempore omnium fusissimè id præstitit Petrus Gassendus, de quo iam in præcedentibus re ita ferente mentio facta est, qui in memoratis illis operibus suis ijsque in folio, vt vocant, iustæ magnitudinis tomis duobus, quantum ego quidem comprehendere possum, non inutiliter sed ad mentem veræ & genuinæ Philosophiæ dogmata huius Sectæ ostendere & ab æmulorum calumnijs, quantum Veritas & Christianæ fidei principia permiserunt, propugnare conatus est. Erit nobis quoque pro instituti ratione hac de re in Epicuri seu veri-

ſtatis potius & ipſius Philoſophiæ fauorem dicendum; Veniet enim &
hic, quod fortè nonnullis mirum & primâ fronte paradoxo ſimillimum
videbitur in hoc de veterum Philoſophorum diſſenſionibus & conflicti-
bus aliqua ſaltem ex parte in victoriæ conſortium, vt ſuo loco in ſequen-
tibus, qui volent, non videbunt tantùm ſed etiam permiſſu & rogatu
meo tam nobilis controuerſiæ iudicioſos quæſitores & cenſores agent.
27 Cyrænaicam ſexto loco colloco, inter omnes ſine dubio, ſi id, quod vul-
gò putantur, verè ſenſerunt, longè viliſſimam; vtpote, quæ in corporis
voluptate apicem Summi Boni abſurdiſſimâ electione conſtituerit, quæ
res tamen necdum omni videtur carere dubio, eò, quòd monſtri ferè in-
ſtar habendum ſit, repertos aliquando eſſe, nedum Philoſophos, & præ
imperita plebe eruditionis beneficio ſublimiorem ſcientiam ſibi vendi-
cantes, quos vſque adeò conditionis ſuæ & humanæ excellentiæ obliui-
ſci ipſisque beſtijs & brutorum gregi ſe coæquare puditum non ſit. Cu-
piam enim, ſi poſſim non tam in Ariſtippi gratiam, quàm ipſius Philo-
ſophiæ honorem euincere, omnibusque probatum facere, non minus
hunc, licèt paulò duriùs & contemptibiliùs locutus fuerit, quàm ipſum
Epicurum in animi voluptate, id eſt, virtutis fructu & tranquillitate
mentis felicitatis humanæ ſummam collocaſſe. Puto certè ad ipſius Phi-
loſophiæ infamiam pertinere, ſi vnquam in Sapientum conſortium rece-
pti & docti alicuius refutatione digni habiti fuerint, qui in eo, quod o-
mnium maximum eſt, tam turpiter hallucinati ſint, & in fœdiſſimis ſen-
ſualitatis lacunis ſcientiæ pariter & conſcientiæ lamentabile naufragium
28 fecerint. Hactenus tamen & non vltra tum Ariſtippi, tum Epicuri cau-
ſam agere conſtitui, quàm vt, quà fieri poteſt, accuratione caueam, ne
meas faciam alienas lites iſtas; ideóque quæ pro Cyrænaicis dicturus ſum,
nonniſi problematicè intellecta volo; Epicuri defenſio, vti verè eſt, non
mea ſed aliorum erit, qui, ſi iſta in re humani quid paſſi fuerint & in erro-
re, quod tamen vix putârim, verſentur, id, ne mihi fraudi ſit, lectorem,
29 ad cuius æquitatem prouoco, deprecatum venio. Septimus dari locus
poteſt Pyrrhonijs ſiue Scepticis, qui à Pyrrhone Elienſi Dryſonis, qui
Stilponis Megarenſis filius fuit, & Anaxarchi diſcipulo fundati & co-
gnominationem ſortiti, ipſi quoque, quid Summum Bonum eſſe cenſe-
rent, profeſſi ſunt, quamuis non tam de quacumque re certi aliquid aſſe-
rerent, quàm aliorum ſententiam improbarent, & acerrimè Dogmati-
cos impugnarent, qui contra illos diſputantes, vix ad particularem diſ-
quiſitionem contra hos Aporheticos & Zeceticos in arenam deſcende-
re poterant, eò quod deficeret omnis diſputandi contra illos materia,

dum

dum nihil comprehendi posse mordicus tuerentur, ideoque videtur omnis cum illis Dogmaticorum disputatio non de ipsis Dogmatibus particularibus sed generalis tantummodò de toto illorum philosophandi genere fuisse. Nihil enim incidere & proponi potuit, de quo contenderetur, cui non vniuersalia illa Pyrrhoniæ Philosophiæ principia de incomprehensibilitate opponerentur & obstarent; contra quos tamen quique dogmaticorum, vt vocantur, doctrinam & decreta sua tueri debuerunt. Interim summoperè mirandum est, quomodo in eo, quod omnium maximum habetur, Sectæ suæ fundamento è diametro contraire, suique planè obliuisci potuerint, dum, qui in reliquis rebus omnibus ἀβλεψίαν amplecterentur, in summi boni assertione, ad dogmaticorum castra transfugas agerent, de quo infra, vbi sententia illorum examinabitur, videre est. Hanc Scepticam sectam Laërtius tum in proëmio operis sui, 30
tum libro 9. in vita Pyrrhonis proponit & explicat, & superest de eadem Sexti Empirici insigne opus & à doctis valde æstimatum. Quamuis au- 31
tem vniuersaliter sumpta absurditatis difficillimè absolui possit hæc Sceptica fluctuatio; in vniuersum tamen sectam hanc non tantùm repudiari non posse, sed etiam in plerisque à Christiana doctrina abhorrentem non esse, per salutaria Catholicæ Ecclesiæ instituta, suo loco pro instituti ratione breuiter ostendetur. Fuerunt præter has recensitas aliæ quoque 32
sectæ, sed quæ vel citò defecerunt, vel etiam minus frequentes sectatores habuerunt, adeoque præ reliquis obscuriores permanserunt, quales dici possunt fuisse, Aristonij, ab Aristone Chio Stoicæ sectæ desertore ita vocati; Theodorei, à Theodoro Atheo cognominato nomen & originem habentes; Elienses & Eretrici à Phœdone & Menedemo fundati & à patrijs illorum ita dicti; Megarici, qui Megarensi Euclidi adhæserunt, & si qui præterea peculiarium opinionum commento scissuram facere, & adhærentiam sperare ausi fuerunt. De quibus omnibus, rem præsentem & institutum nostrum quod attinet, ordine dicetur, omniumque & singulorum circa Summi Boni doctrinam causa ad trutinam vocabitur, postquam tamen veterum, qui Socratem præcesserunt, ratio prius habita fuerit. Nam & illorum plerique à tam nobilis argumenti tractatione alie- 33
ni non fuerunt, hancque tanquam speciosissimam sponsam certatim ingeniosissimi quique & φιλομαχέστεροι ambiuerunt, vtque hunc ferè vnicum & inæstimabilem thesaurum inuentione & fruitione suum facerent, continuâ totius vitæ meditatione constantissimè anniti sunt. Antequam autem ad antiquissimos illos transitum faciam, operæ pretium esse videtur, prius ex S. Augustino & Diogene Laërtio referre, quidnam illi de

philo-

philosophicarum sectarum numero vel ipsimet senserint, vel ex aliorum
34 mente & ingenio prodiderint. Laërtius igitur, vt ab antiquiori incipia-
tur, Ethicæ Philosophiæ sequentes refert sectas; Academicam (hæc
in tres sectiones subdiuiditur) Cyrænaicam, Eliacam, Megaricam,
Cynicam, Eretricam, Dialecticam, Peripateticam, Stoicam & Epicure-
am. Addit singulorum auctores, quos iam vidimus præter vnum Clito-
machum Dialecticæ sectæ fundatorem, patriâ Carthaginensem, siue vt
Græci vocabant Carhedonium, Carneadis discipulum. Hæ an omnes &
singulæ in Quæstoine de summo Bono, quæ materia hic sub manu est,
sectam faciant, & ab inuicem discordent, mox ordine suo videbimus.
35 Hâc autem sententiâ suâ proposita sequentia ex alterius mente subiungit:
*Hippobotus in libro de Sectis nouem ait fuisse Sectas siue Instituta. Ex his Megari-
cam primo loco ponit, secundo Eretricam, tertio Cyranaicam, quarto Epicure-
am, quinto Anniceriam, sexto Theodoriam, septimo Zenoniam eandemq; Stoi-
cam, octauo Academicam veterem, nono Peripateticam: Cynica autem & Elia-
ca atque Dialectica nullam mentionem facit.* Ita Laërtius, qui addere debu-
isset Scepticam etiam ab Hippoboto præteriri, sed illam ipsemet quoque
omittit. Vter illorum rectiùs sentiat, & quot sint propriè de summo Bo-
no contrariantes, sibique inuicem contradicentes Sectæ suo loco dice-
36 tur. Venio ad Sanctum Ecclesiæ Doctorem & Hipponensium præsulem
Augustinum, cuius è Marci Varronis de Philosophia libro memorabilis
admodum est de numero Sectarum locus lib. 19. de Ciuit. DEI Cap. 1.
vbi tamen non id propriè agitur, vt quot sectæ sint aut fuerint, sed quot
esse possint, ostendatur. Prolixior eo in capite S. Augustinus est, quàm vt
huc omnia eius transscribi debeant, aliqua tamen inde excerpenda sunt:
*Fines, ait, itaq; isti sunt Summum Bonum & Summum Malum, de quibus inue-
niendis, atq; in hac vita Summo Bono adipiscendo, vitando autem summo Malo
multùm, sicut dixi, laborauerunt, qui studium sapientiæ in huius seculi vanitate
professi sunt; nec tamen eos quamuis diuersis errantes modis, naturæ limes in
tantum ab itinere veritatis aberrare permisit, vt non alij in animo, alij in corpore,
alij in vtroq; fines bonorum ponerent & Malorum. Ex qua tripartita velut gene-
ralium distributione Sectarum Marcus Varro in libro de Philosophia tam multam
Dogmatum varietatem diligenter & subtiliter scrutatus aduertit, vt ad ducentas
octoginta octo Sectas, non quæ iam essent, sed esse possent, facillimè perueniret.*
Hæc Augustinus. Apud quem, cui libet, videre potest, quâ viâ & quâ ra-
tione ex differentijs vitæ vel solitariæ vel socialis, habitus Cynici, vel ali-
orum Philosophorum, certitudinis veteris & nouæ Academiæ incertitu-
dinis, vitæ denique vel contemplatiuæ vel actiuæ, vel ex vtraque mixtæ

&

& compositæ computum istum scrutetur & ineat doctissimus ille Romanorum omnium Varro; qui tamen in fine veluti seipsum corrigens immensum illum sectarum numerum improbat, & ad longè pauciorem hasce Philosophicas Hæreses retrahit, vti ex sequenti eiusdem Capitis apud S. Augustinum loco comprehenditur: *Remouet ergo* (Varro) *prius illas omnes differentias, quæ numerum multiplicauerant Sectarum, quas ideò remouendas putat, quia non in eis est finis Boni. Neq; enim existimat vllam Philosophiæ Sectam esse dicendam, quæ non eò distet à cæteris, quòd diuersos habeat fines Bonorum & Malorum, quandoquidem nulla est homini causa philosophandi, nisi vt beatus sit. Quod autem beatum facit ipsum, est finis boni: nulla est ergo causa philosophandi nisi finis Boni. Quamobrem, quæ nullum bonum finem sectatur, nulla Philosophiæ Secta dicenda est.* Hac ratione non remanent nisi duodecim Sectæ, quæ, quomodo constituantur, à quo meliùs, quàm ipsomet Varrone doceamur maximè internuncio & parario tam Sancto & Excellenti Doctore, qualis Hipponensis Præsul est, cuius ex illius mente hæc vlteriora verba sunt: *Hæ autem vt fiant duodecim Sectæ, illa quatuor triplicantur: Voluptas, quies, vtraque, & prima natura, quæ primogenia Varro vocat. Hæc quippe quatuor, dum sigillatim virtuti aliquando subduntur, vt non propter seipsa, sed propter officium virtutis appetenda videantur; aliquando præferuntur, vt non propter seipsam, sed propter hæc ipsa adipiscenda vel conseruanda necessaria virtus putetur; aliquando iungantur & propter seipsa & virtus & ista appetenda creduntur, quòd ternarium numerum triplum reddunt, & ad duodecim Sectas perueniant.* Non contentus autem enormem illum & exorbitantem variè multiplicatarum Sectarum numerum, quem vidimus ad duodenarium contraxisse, deinceps eundem de nouo arctat, & ad ternarium restringit, quod itidem S. Augustini verbis referendum est, quia insequentibus vsui erunt & aliunde, quod sciam, hæc Varroniana doctrina desumi nequit. *Ex illis autem quatuor rebus Varro tres tollit, voluptatem scilicet & quietem & vtramq; non quòd eas improbet, sed quòd primogenia illa natura & voluptatem in se habeant & quietem. Quid ergo opus est ex his duabus tria quædam facere, duo scilicet, quum sigillatim appetuntur, voluptas aut quies, & tertium cùm ambæ simul: quandoquidem prima natura & ipsas & præter ipsas alia multa contineant? De tribus ergo sectis ei placet diligenter esse tractandum, quænam sit potius eligenda. Non enim veram plus quàm vnam, vera ratio esse permittit, siue in his tribus sit, siue alicubi alibi, quod pòst videbimus, interim de his tribus, quomodo vnam Varro eligat, quantum breuiter aperteq; possumus, differamus. Istæ nempe tres sectæ ita fiunt, cùm vel prima natura propter virtutem, vel virtus propter prima naturæ vel vtraque, id est, & virtus & prima natura propter seipsa sunt expetenda.* Ista

quidem Varronis de sectarum numero, quando de summo bono quæritur, S. Augustini testimonio sententia fuit, qui tamen, si liberè, quod sentio, proferre licet, magis ad id respexisse videtur, quid esse debuerit, quàm quid fuerit, nec tam dedisse operam, quæ nobis hoc loco proposita est, vt, quid quisque Philosophorum de hac materia & nobilissima totius philosophiæ quæstione sensisset, proderet, quàm quid per proximum ad veritatem accessum illos docere & tenere oportuerit, lectoribus suis ob oculos ponat. Non immorabor autem hoc loco morosiùs huic disputationi, eò quòd infra, vbi indagandum & ostendendum erit, an ex antiquis Sapientibus reperiantur, qui singulas illas Varronianas de beatitudine sententias professi & amplexi fuerint; vbi etiam hæc ex S. Augustino modò relata fortè retractari debebunt. Sed & eiusdem Varronis æuo
38 contemporaneus & magnus amicus eius M. Cicero eodem ille modo & methodo de sectarum numero inquisiuit, licèt in constituendo illarum numero minùs prodigus & longè parcior fuerit, ita vt nouenarium non excedat, earum septem introductas fuisse, & auctores suos habuisse, duas indefensas mansisse ait. Imitatus autem fuit, vt ipsemet asserit ea in re Carneadem, qui idem, quod ille, fecerat: *Carneadea nobis* (verba sunt
*lib. 5. de Fin. Ciceronis *) *adhibenda diuisio est, quâ noster Antiochus libenter vti solet. Ille enim vidit, non modò quot fuissent adhuc Philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententiæ.* Modus hic non videtur improbari posse, ita enim etiam futuris temporibus consulitur, ijsque errores, qui necdum sunt, sed aliquando exoriri possunt, refutantur, vel saltem à volentibus
39 refelli possunt. Hâc imitatione nostris temporibus Bellarminus Cardinalis noua pro Sectarijs non pauca, licèt illis necdum ipsimet vti cœpissent, profert argumenta, ijsque respondet; quâ diligentiâ & sollicitudine suâ effecit, vt, si fortè talibus fidem Catholicam oppugnare aliquando conentur, in promptu habeamus, quibus illa euertantur, solutiones. Nouem igitur, vt dixi, eo loco enumerat Cicero sectas, quarum septem fuerint, duæ adhuc esse possint, qui locus eius tantò memorabilior est, quòd non tantùm quatuor referat ab alijs præteritas sectas: 1. Hieronymi Rhodij, 2. Carneadis, 3. Calliphonis & Dinomachi, 4. Diodori; sed etiam de Stoico dogmate penitiora nos doceat, quàm quæ ab alijs de illo traduntur; denique Academiam veterem & Peripatum vnam sectam faciat. Ordo ab illo talis tenetur, vt nouenarium istum sectarum numerum in tres distribuat terniones; vnum illorum, qui summum bonum quærant; alterum, qui iam tenere & assecutos esse opinentur; tertium mixtum eorum, qui singulis præcedentium, qui simplices sint, aliquid aliud

iungant.

fungant. Ex illius primi ternionis duæ priores eò vsque doctorem & assertorem non habuerunt, quas propterea indefensas vocat. Prima illarum est, vel certè aliquando esse poterit, quæ voluptatem sectatur & consequi nititur, secunda, quæ hoc agit & molitur, vt dolores effugiat, illorumque molestiâ careat, & vacuitate fruatur; tertia, quæ primogenia naturæ obtinere studet, quam Stoicis assignat; quæ Ciceronis singularis vt puto, & valde notabilis narratio cum reliquorum traditis amussatim suo loco conferenda est. Atque hic est ternio bonum quærentium, sed eius possessionem necdum adeptorum; Sequens circa eadem versatur bonorum genera, sed in eo differt à priori, quod hic iam se tenere Sectatores autumant, quod in præcedente adhuc quærebatur. Quarta igitur hæresis illorum est, qui voluptatem ita amplexantur, vt se illâ iam frui putent, eamque Aristippo, à quo Cyrenaici sunt, tribuit. Quinta doloris vacuitate se venditat, estque Hieronymi Rhodij; sexta primogeniorum naturæ possessione censetur, diciturque à Cicerone Carneadis esse. Tertius isque vltimus ternio sectas complectitur compositas, quæ ad præcedentium bonorum aliquod honestatem adiungant, atque istâ ratione septimam sectam faciunt, qui voluptati sociant honestatem, quæ Calliphonis & Dinomachi fuerit; octaua eandem conbinat doloris vacuitati, eaque Diodoro adscribitur; nona naturæ primogenijs honestatem copulat, quam Cicero vult veterum Academicorum & Peripateticorum fuisse.

Hæ sunt à Cicerone recensitæ Philosophorum sectæ, qui non addit, an aliquem in isto computo suo & dogmatum distributiua assignatione sequatur vel propriam & nouam sententiam commentus sit ac proposuerit, vbi diuersa insunt dubia. 1. Non agam hic speciatim, licèt hoc quoque 40
dubitatione non careat de Scepticorum prætermissione, quod alibi *ex *pag
penditur, nam non tantùm à Cicerone sed etiam à Laërtio & Hippoboto *p. 8
*prætereuntur. 2. Epicureos & Cynicos an rectè omittat, maioris quæstionis est, quanquam Cynici sectam propriam habeant nec ne, pro diuersitatis respectu probabiliter tam negari quàm affirmari potest. Epicurei sine omni dubio peculiaria habuerunt & ab alijs diuersa dogmata, quos si non volebat Cyrenaicis in voluptatis assertione coniungere prout fecit in Academicis & Peripateticis, potuit illis alteram indefensarum, quas vocat sententiarum defendendam committere. Cùm enim constet illos eam asseruisse voluptatem, quæ in animo consisteret, & per corporis dolores non auferretur, non alteram illam, quæ simul in corporalium ægritudinum vacuitate (hæc Cyrenaicis magis placuit) consisteret, non absurdè illis, si non omnimoda saltem aliqua ex parte concredi

 potuit,

potuit, prior illa ex indefensis à Cicerone propositis sententia, quæ in
studio assequendæ voluptatis occupatur. Licèt enim fortè dici non debe
at, & probari nequeat Epicurum in solâ voluptatis captatione suum con-
stituisse bonum etiam ante assecutionem; attamen cùm certum sit quòd
corporis dolores non sit passus, aliter ac Aristippo longè delicatiori vi-
sum fuit, felicitatem, quam asserebat, sibi extorquere, illis autem libera-
ri non tantùm, vt facilè coniectamus, curam & diligentiam adhibuit,
sed etiam in istius liberationis spe & expectatione partem summi boni
sui constitutam habuit, verisimiliter inde inferri videtur, quod hactenus
saltem priorem illam indefensam Ciceronis sectam propugnârit. At-
que has illi partes tribui longè satiùs puto, quàm soli ignauiæ & pingui-
ori otio relinqui, adeòque è philosophico territorio quasi cum sapientiæ
professione nihil commune habentem ignominiosè expelli; præsertim
cùm id sine cuiusquam iniuria fiat, & in vacuam mittatur possessionem.
41 Hæc autem de necdum habita sed quæsita tantùm & suo tempore ali-
quando obtinenda voluptate doctrina siue illa antiquitùs Epicuri, vt su-
spicari possumus, siue nullius, vt Ciceroni magis placet, fuerit, pulcher-
rimè & pijssimè Christianismo nostro applicari posse videtur, in quo
Creatori, Redemptori & Sanctificatori nostro in sacrosancta illa indiui-
sa & inconfusa, per solam fidem comprehensibili triade inter huius cor-
ruptibilis seculi ærumnas famulamur, vt illam futuram, ad quam nunc
anhelamus, speique alis tendimus infinitis modis superantem omnes
terrestres delicias cœlestium voluptatum vberrimam affluentiam, æter-
nam, inquam, felicitatem & parem ipsi angelicæ animarum beatitudi-
nem in vera Dei visione re ipsâ post secularium temporum euolutionem
teneamus. 3. Præcipua in Ciceronis de sectarum numero traditis diffi-
cultas, quantum quidem ego capio, in Peripatetici & Academici dogma-
tis identitate consistit, quæ etiam suo loco tantò propiùs inspicienda, &
quantum cum aliorum de sectis illis conueniat opinionibus paulò cura-
tiùs expendendum est, quod suo loco volente Deo & tempore permit-
tente fiet, quo etiam exemplo quartò & vltimò nouas istas à Cicerone
constitutas sectas Hieronymianam, Carneadeam, Calliphoniam & Di-
42 odorianam ad sua quamque loca reijcio. Videamus igitur, quid veteres
illi, qui Socratem moralis philosophiæ primum auctorem & inuentorem
vulgò creditum præcesserunt, de hoc capitali humanæ felicitatis negotio
senserint; facto initio ab illis famosis & satis inuidioso nomine decantatis
43 septem Græcorum Sapientibus vbi tria veniunt expendenda. 1. An An-
tiqui isti de summo Bono inueniendo solliciti fuerint, & quam de eo
quisque

quisque opinionem habuerit. 2. Ostendetur, longè anteriorem & omnium antiquissimam de beatitudine doctrinam illorum fuisse, qui à Græcis præ se reliquos omnes paulò contemptiùs habentibus, vulgò Barbari audiebant, atque adeò huius sublimioris philosophiæ principatum, & primordia ad ipsos non Israëlitarum tantùm, sed totius etiam humani generis Patriarchas, ac inprimis Abrahamum fidelium omnium conditorem & mysticum parentem referri oportere. 3. Præterea superest expendere, quatenus istis & quæ deinceps de Pythagora & eius in Italica secta sequacibus, deque Thalete, alijsque Ionicis subsequentur stantibus, Socrates Ethicæ sapientiæ primus fundator & commentor, sine cuiusquam prædictorum iniuria veraciter censeri & dici mereatur. Primum quod attinet, non ab alio, quàm à Thalete Milesio incipiendum est, quem omnis antiquitas in isto Sapientum καθ' ἐξοχὴν ita nominatorum consessu, proëdriæ prærogatiua honorat, quique insuper præ reliquis hoc quoque eximium habet, quòd scholam, & successionem post se reliquerit, & Ionicæ disciplinæ conditor fuerit; quem denique vel inprimis super omnes reliquos extollit, & ad omnem posteritatem summè admirabilem efficit, quòd primus (de Græcis hoc, si verum est, intelligi debet) scribatur esse, qui animas humanas immortales esse asseruerit, quanquam id alij Pherecydi Syrio tribuant. Eo ipso enim, quòd id credidit, siue primus siue alios secutus ita persuasus fuerit, qua in re summum hominis bonum collocârit, videtur satis euidens esse, & infallibiliter consequi. Qui enim intelligit esse post hanc vitam aliquam aliam multò durabiliorem & nunquam finiendam, sine dubio simul concedit, esse illic non minus malè gestorum pœnam, quàm virtutum & vitæ laudabiliter actæ præmia, ac per consequens hic ita viuendum esse, vt illic verè beati simus, & melioribus associemur. Huius, vti rebus cœlestibus & astronomicis speculationibus præcipuè intenti moralia aliqua non memorantur, præter vnum illud: *Nosce te ipsum*, idque præter Laërtium à plurimis etiam alijs illi adscribitur, quod tamen idem auctor ab Antisthene Phœmenoni tributum esse, imò Chilonem etiam sibi vsurpasse addit. Vnum hoc ad veræ felicitatis assecutionem sufficere quis negare audeat? de quo fortè suo loco datâ occasione pluribus dicetur. Quid Plutarchus de Thaletis circa boni quæstionem sententia senserit, satis ex eo comprehenditur, quòd in conuiuio septem sapientum, cùm ex eo quæreretur, quid optandum esset, illum respondentem introducat: *Virtutem*; Illam enim efficere, vt reliqua omnia sint vtilia, Solonem, qui dignitatis ordine secundus est, omnibus alijs rebus virtutem prætulisse, adeòque in illo, vt vero & vnico bono sapienter

Margin numbers: 44 (at "Primum quod atti-"), 45 (at "quòd primus (de Græcis hoc"), 46 (at "occasione pluribus dicetur. Quid Plutarchus"), 47 (at "sint vtilia, Solonem").

acquieuisse, ex Elegis eius quos haud parcâ manu in vita eius Plutarchus
48 interserit, patentissimum est, qui vsque adeò isti Chæronensi Academico
placuerunt, vt non tantùm memorato loco, sed in tribus præterea diuer-
sis alijs philosophicis tractatibus suis illos retulerit. 1. Quomodo quis vir-
tutum suarum profectum cognoscere possit. 2. De vtilitate capienda ex
inimicis. 3 De animi tranquillitate. Eidem Soloni tribuitur etiam, quod
alienis verbis refero, nam apud Plutarchum paulò aliter eodem tamen
fere sensu refertur: *Ob iniurias fortunæ omnibus impendentes felicem inter*
49 *mortales vocari posse neminem.* Hanc illius sententiam cum reliquis Philo-
sophorum principibus probè consentaneam esse, cùm satis certum habe-
amus, admodum procliuè & facillimum est, illam à nuperi magnæ cele-
britatis scriptoris calumnia vindicare, quod breui post per occasionem,
nam bona ad id commoditas dabitur, fiet. Cùm autem, vt idem Plutar-
50 chus in vita eius narrat, in Physicis mirè simplex & antiquus esset, ex E-
thicis politica præcipuè amplexus est, ac non minus quàm hunc reliquos
etiam huius septenarij Sapientum chori consortes, è ciuili potissimùm
vita & reipublicæ cura sapientiæ famam aucupatos esse ait, cui hac in
parte apud Laërtium Dicæarchus Peripateticus, astipulatur, sed ita vt,
quod maximæ laudis est, fere in suggillationem, & philosophici honoris
dispendium conuertat, quâ aspergine illos maculari indignum est, atque
ideo ab his quoque illos emundari, vti mox faciam si non in tra laudem,
51 saltem extra culpam erit. Chilo Lacædæmonius, quid de summo Bono
senserit, expresse quidem non reperitur; illud tamen æque ac prædictos
in virtute hunc quoque collocâsse è sequenti sententia eius, cuius generis
diuersas easque præclaras reliquit, constat, quando ait: *Damnum potiùs,
quàm turpe lucrum eligendum: nam id semel tantùm dolori esse; hoc semper.*
Hanc ne longior sim, in specimen vnicam refero, possunt enim reliquæ,
quæ similiter nonnisi meritissimas virtutes, & ipsam veræ sapientiæ medul-
lam spirant, in vita eius à volentibus legi. Quartus in ordine Pittacus,
52 quem Lesbi Metropolis Mitylenæ tulerunt, itidem finem boni virtutem
statuisse, cùm ex reliquis sententijs eius, quas pulcherrimas reliquit,
tum vel maximè ex hac sequenti liquet: *Prudentium esse virorum, priusquam
aduersa contingant, prouidere ne veniant; fortium verò, cùm illa contigerint, æquo
animo ferre.* Eidem par est & respondet hæc altera, si non & illam vincit:
*Pietatem colas, frugi esto, pudicitiam ama, virtuti stude, fidem, peritiam, dexteri-
tatem, amicitiam diligentiamq́ custodi.* His & reliquis huius & aliorum
prolixiùs insistere, extra propositum est: vnum de illis dicere sufficit to-
tam morum disciplinam, & sacratissima quæque veræ philosophiæ adyta.

istis;

istis, quantumuis, si verba spectes, minutis sententiolis, tanquam pugillo
comprehensa contineri, & diuinorum potius oraculorum quàm humani
commenti & prophanorum effatorum instar esse. Bias Prienæus, cui Sa- 53
tyrus vetus vitarum scriptor inter septem primas detulit, non minùs
quam præcedentes in virtute summum bonum constituit, vti ex illis,
quas collegarum exemplo, sententias edidit, absque aliqua ambiguitate
comprehenditur; è quibus prudentiam sapientiam, constantiam & forti
tudinem ab illo plurimi æstimatas esse constat: *quicquid boni*, inquit, *egeris,
in Deos refer: viaticum ab adolescentia vsque ad senectutem sapientiam compa-
ra, ea quippe sola est certaque possessio: prudentiam dilige: si quid agere instituis,
lentè id aggredere. Cæterum in eo, quod elegeris firmiter perseuera: infelix est,
qui ferre nequit infelicitatem; & animæ morbus impossibilia amare & petere:
difficile est fortiter ferre mutationem rerum in deterius: ita vitæ tempus metien-
dum, quasi & diu & parum victuri simus: duo maximè contraria sunt consilio
ira & festinatio.* Emoriar, ni vel ex hoc solo, si reliquorum nihil habea-
mus moralis sapientiæ, si funditus extirpata sit, restitui & reflorescere
possit, ideoqúe non est, vt quis miretur ipsum etiam mordacissimum
Hipponactem non tantùm huic pepercisse, sed etiam continentiam &
integritatem eius valde celebrasse, ac præterea Heraclitum (nam de Sa-
tyro iam dixi) quantumuis Philosophorum omnium tristissimus Pit-
tacum, quòd præ cæteris illustriori opinione fuerit, commendâsse. Cùm
autem iuxta virtutem altera Ethices pars in amicitia consistat non absti-
neo, etiam de hac tanquam pulcherrimam & fragrantissimam è suauissi-
mis floribus corollam Pittacanas sententias innectere: *Diu deliberatos a-
micos elige, eosq; vno affectu non vno habeas merito: Amicos sequere, quos non
pudeat elegisse: Amici vitam, tuam puta gloriam*: De Cleobulo Lindo idem 54
dicendum est, cuius, quæ ad nostrum propositum faciunt, illustriores
sententiæ sunt: *Proprium virtutis esse, alienum à vitio iniustitiam fugere: dum
secunda fortuna arridet, superbire noli, aduersâ perstrepente noli frangi: Mutati-
ones fortunæ fortiter ferre disce: Voluptatem frœna.* Vltimus in ordine è Græ 55
ciæ Sapientibus Periander Corinthius collocatur, quam sessionis humi-
litatem minori adhuc dedecore pateretur, si illum quoque locum sine li-
te & turbatione tueri posset. Nec enim vllus de septem est, cuius vita
cum doctrina (quæ ex sententijs colligenda est) minùs conueniat, quàm
huius, ita vt non parum sapuisse princeps ille, vt Cicero vocat, ingenij
& doctrinæ Plato videatur, qui in Prothagora prætorito Periandro, eius
loco Mysonem reposuit, ac præter illum Hippobotus clarus auctor, et-
iamsi sapientum numerum ad duodecimum vsque extenderit, è septena-
rio

rio tamen tantoperè priſcorum encomijs nobili hunc etiam vnum & ſo-
lum exemit. Sententiæ eius ſunt: *Voluptates corruptibiles ſunt, honores im-
mortales: inter ſecundas res eſto moderatus, in aduerſis prudens: Amicis fel ci-
bus & infelicibus eundem te prabe: quodcunque pollicitus fueris, ſerua.* Ex illis
ſatis apparet, hunc quoque virtutem præ rebus alijs quibuscumque do-
gmaticè ſaltem eximiam habuiſſe & præcipuâ veneratione coluiſſe, nec
aliter in iſto Sapientum ſanctiori ſenatu conſiſtere potuiſſet. Exempla
diſcordantium morum eius à præceptis duo appono. Quamuis enim di-
ceret (è Laërtio hæc æque ac præcedentia mutuatus ſum) *His, qui tutò vi-
uere vellent, ſummâ ope intendendum, vt beneuolentiâ non armis ſtiparentur.*
Primus tamen *fuit, qui armatis circumſeptus incederet & magiſtratum ad ty-
rannidem transferret.* Deinde licèt fateretur populi adminiſtrationem eſſe
tyrannide præſtantiorem nihilominus tamen inuitis ciuibus non tantùm
violentum principatum inuaſit, nec quoad vixit, vnquam deponere ſu-
ſtinuit. Cumque interrogaretur, cur in tyrannide perſiſteret, reſpondit:
quia ſponte & inuitum cedere æquè periculoſum eſt. Maluit igitur violatâ ſen-
tentiarum ſuarum maieſtate propriæ potius ſecuritati, quod vel inprimis
tyrannicum eſt, quàm communi reipubl. & ſubiectorum ſaluti conſule-
re; vt vel hinc clarè pateat illum malas iniuſtè dominantium artes ſatis
vafrè & nequiter edoctum fuiſſe. Hunc quoque Suidas, ſeu quis alius in-
nominatus apud illum Rapſodum auctor è Sophorum conſeſſu eliminat,
cui (ſed Platoni quem dixi inprimis) vel ideo facilè ſubſcribo, vt hoc no-
96 bili exemplo omnes tyranni tyrannidisque fautores & Adminiſtri doce-
antur nihil ſibi alijsque ſcelerum ſuorum complicibus cum Sapientibus
commune eſſe, vtpote qui ſapientiæ monita & Sanctitatem auerſentur ac
violent.

Hactenus de ſeptem Sapientibus in particulari dictum ſit, de quibus
in genere & in vniuerſum magnam olim inter doctos fuiſſe diſſenſio-
97 nem in vita Thaletis non ſubticet præcitatus auctor; nec fuiſſe aliquem
de omnibus quem, cùm de philoſophis ſcriberet, Damon non carpſerit,
& variè traduxerit; Anaximenes, vt poëticæ deditos perſtrinxerit, Dicæ-
archus, de quo ſuprà quoque dicebamus, neque Sapientes, neque Phi-
loſophos, ſed tantùm cordatos planè viros & legum latores fuiſſe aſſeru-
erit; qui tamen omnes, quantum ex illis, quæ Laërtius hoc de negotio re-
fert comprehendi & ex aliorum, qui de hoc vetuſtiſſimo ſeptemuirali
collegio poſterorum memoriæ aliquid prodiderunt, ſcriptis cognoſci
poteſt, Hos omnium reliquorum pleniſſimis laudum præconijs decanta-
tiſſimos magnâ iniuriâ affeciſſe, veriſſimaque ac nullatenus excuſabili ca-
lumniâ.

lumnia defœdasse videntur, a qua illos obiter saltem, dum ad reliqua propero, tutari liceat. Ac Damoni quidem, de quo Laërtius nonnisi generalia refert, nec quarum Sapientes istos rerum insimulârit, specificè addit, vti responderi aliquid nequit, ita nec contra communem, vt Iuris Consulti vocant, credi debet, & in dubio pro innocentia ex eorundem doctrina præsumere conuenit. Anaximenis accusatio merè cauillatoria 58
est, nec enim omnes, quos poësis, & sacratiores illæ Musæ delectant, vanitatis & ineptiarum damnari digni sunt; ac vt satis constat, ante prosaicæ dictionis inuentionem, quæ ab omnibus ferè Pherecydi Syrio, Pythagoræ magistro adiudicatur, ad vnum omnes vetustissimi Scriptores illi, nonnisi mettrico schemate sua pangebant. Ac si sapientiæ professioni, & Philosophorum ordini poëtica dictio disconueniens & contraria sit, quid Empedocli multisque alijs apud Græcos, quid Lucretio apud Latinos fiet, quos eodem charactere sanctiorum studiorum (quid ni ita vocem philosophica Adyta,) sacraria? adhuc longè sacratiora fecerunt. Sed non attinet, nec huius loci est, Poëtarum, quos omnis antiquitas admirata est, nec posteritas vnquam mirari & exosculari desinet, contra obtrectatores partes agere, nec liber, in causa facili disertum esse: afferam tantum è delitijs amœniorum ingeniorum Nasone, quem meliori fortunâ & exitu dignum, meritò Poëtarum ingeniosissimum, imò ingeniorum omnium compendium vocamus, vnum atque alterum huius sacri studij elogium, qui scribit,

At sacri Vates & Diuûm cura vocamur,
Sunt etiam, qui nos Numen habere putant.

& alio loco in eandem sententiam:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Sedibus æthereijs Spiritus ille venit.

Dicæarchum quod attinet, in eodem is cum Anaximene luto hæret & 59
vix stigmosum illud kappa declinare posse videtur, tantum enim abest, Nomothesiam & Reipubl. administrationem sapientiæ contrariam esse, vt potius talem vitam professis philosophiæ principatus debeatur. Certè Vlpianus Iuris Consultus Tyrius & in Romano Palatio Prætorio Præfectus, hoc est summæ rerum Præpositus, ita verè sensit, quando sequentia elegantissimè scripsit: * *cuius* (Iuris) *meritò quis nos sacerdotes appellet. Iustitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solùm metu pœnarum verùm etiam proëmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram, nisi fallor, Philosophiam non simulatam affectantes.* Hæc si de ICtis, id est, Legum Interpre-

* l. 1 ff. de iust. & iure.

terpretibus, de quibus Vlpiano ibi ſermo eſt, vera ſunt (& ſunt certè, quoties officio ſuo rectè funguntur veriſſima) quis dubitet eadem de ipſis legum conditoribus & rerumpubl. quæ per illas reguntur, fundatoribus pariter & adminiſtratoribus firmiter affirmare, imò his applicata multa adhuc veriora arbitrari? Eadem diuini Platonis, quantumuis ipſemet tanquam heroicæ hac in re non promiſcuè cuiuis conuenientis & ſectandæ virtutis cultor, à regendis populis perpetuò abſtinuerit, ſententia fuit, *qui tum demum beatas Reſpubl. fore* pronunciauit, *quando vel à Philoſophis regerentur, vel rectores illarum ad philoſophiæ ſtudium ſe conuerterent.* Vt igitur tantò luculentiùs pateſcat iſtius Dicæarchici elenchi fallacia, dum ideò ſapientes illos, vti dicebantur, fuiſſe negat, quòd legum latores fuiſſent; iſtum arietem contra ipſum iaculatorem inuerto, & concludentiſſimè decerno: ideo ſeptem ſapientibus inter Philoſophos, primas cathedras deberi, quòd leges tulerint, Rempubl. adminiſtrârint, & ciuitates genteſúe rexerint, adeòque cordati viri fuerint, quorum inter Philoſophos quamplurimos eſſe ſummè optandum eſt.

60 Atque hactenus ſapientum cauſam egiſſe ſuffecerit, ac verè piaculum arbitratus eſſem, ſi tam luculentam famam & honorem illorum aſſerendi occaſionem neglexiſſem: nihil enim, quod nunquam diſſimulauerim, libentiùs facio, ac quibuscumque bonæ mentis capacium vix quicquam aliud minus improbari poteſt, quàm doctorum & bonorum virorum cauſam agere, & infeſtam pleriſque ac præ alijs omnium fere periculoſiſſimè inſidiantem magnis ingenijs calumniam reprimere & coërcere. Atque hac de cauſa non tantùm Soloni Theophraſto, alijsque id operæ in hac ipſa diſſertatione mea præſtabitur, ſed etiam, ſi vita permittet, ex profeſſo & peculiaribus lucubratiunculis in iſto genere tum datum publicè fidem *liberare*, tum amplius etiam viri boni officio fungi conabor.

61 Supereſt, poſtquam de ſeptem illis celebrioribus actum eſt, vt & reliqui addantur, qui diuerſimodè nec admodum conſonanter Sapientibus accenſi fuiſſe reperiuntur, quatenus tamen indagare & eruere dabitur, quid de fine boni, de quo antiquorum opiniones nunc ſcrutamur, ſenſerint. Sunt autem illorum numero 16. quorum ſex ſcripſit vitas Laërtius, Myſonis, nimirum, Epimenidis, Anacharſis, Pherecydis, Pythagoræ, & Anaxagoræ: ſed Myſonis, Epimenidis & Pherecydis, quæ de quæſtione noſtra ſententia fuerit, memoriæ, quantum ego hactenus reperi, non proditur; moraliter tamen probatiſſimos & optimæ exiſtimationis viros habitos eſſe ex eo vel ſolo ſatis conſtare poteſt, quod pro Sapientibus habiti ſunt, quodque Myſonem ipſum Apollinis oraculum

omnium

omnium sapientissimum prædicârit; Pherecydes & Epimenides rerum diuinarum & expiationum peritissimi fuerint. Nam Epimenidi Cretenses, vti Heroi super reliquos honores etiam sacrificârunt. Anacharsis, quid de fine (ita Philosophi passim felicitatem seu summum Bonum nominant) opinatus sit, vtcumque ex illo colligitur, quod tribus dicit abstinendum esse, linguâ, ventre & pudendis, quod, qui sentiret & doceret, non poterat non in virtute delectationis suæ summam, id est, veram felicitatem constituere.

De Pythagora eiusque in Italica schola sequacibus, vti etiam Anaxagora & Ionicæ disciplinæ successione mox dicetur, vbi prius reliquos, qui supersunt, absoluero. Restant enim aliquot, quos similiter antiquitus inter sapientes variè allectos & recensitos fuisse accepimus, qui cùm plerique hactenus mihi vti minùs celebres parum cogniti sint, quid de summo hominis bono senserint, affirmare nequeo: fecerimus tamen, ni nimium erro, magnam illis iniuriam, si vel suspecti habeantur, quòd quicquam pluris, quàm virtutis culturam fecerint. Quid enim præ reliquis eximium habere vel propriâ persuasione, vel aliorum opinione quis possit, qui à virtute recesserit, & stultitiæ eò ipsò verissimè procumbat. Ad quæstionem autem de numero prædictorum pertinet quod Hippobotus duodecim in vniuersum illorum admittat, Hermippus Smyrnæus condito de illis peculiari volumine septendecim recipiat, sed ex aliorum variè de illis referentium sententia. Ex illis Linus, Orpheus, Epicharmus ac Lasus etiam aliunde mihi innotuerunt; Leophantum, Aristodemum & Pamphilum hactenus apud vnum Laërtium reperi. Merebatur autem quorundam paulò celebrius nomen esse, quàm aliquo tempore fuerit, si inuidioso isti & acciso paucorum sapientum numero verâ appretiatione & iudicio ambitioni & gratiæ non obnoxio inseri digni visi sunt. Pertinet autem ad hos quoque, quod de aliquot præcedentium præsumptiuè affirmaui, ac tantò minus de plerisque reliquorum, quos itidem recensuimus, dubitari debet, quòd pro captu suo in diuinorum contemplatione Deorumque suorum cultu plurimum occupati fuerint.

Sed missis his fiat ad reliquos transitus, & videamus, quid ante Socratem Ethicæ sapientiæ parentem & conditorem partim post sapientes illos, partim ex illis (tres enim supersunt) diuersi de bonorum fine senserint, vt deinceps supra relatas celebriores de hac quæstione sectas, quod præcipuè intendimus, intimiùs euisceremus. Quamuis igitur minimè dubitandum sit vix vllum de omnibus, qui cœlestium reliquorumque naturalium rerum indagationi intenderunt, fuisse & nominari

posse, qui omni ex parte morum disciplinam, & rectè viuendi studium,
id est, virtutes colendi & exercendi artem neglexerit; sunt tamen non
pauci, de quibus, quantum ego quidem indagando cognoscere potui,
quid in isto moralis doctrinæ genere egerint, quid de bono senserint, ni-
hil compertum habetur. Ex illorum numero esse videntur Anaximan-
der, Anaximenes, Xenophanes, Leucippus, Prothagoras, Diogenes A-
64 polloniates, Anaxarchus Parmenides, Melissus & Zeno Eleates. Hunc
vltimum tamen quod attinet, refert Laërtius in vita eius reliquisse illum
volumina sapientiæ plenissima, quod præclarum Elogium de moralibus
inprimis & virtutis exercitio præcipuè capiendum videtur. Quis enim
sapidum nedum sapiens id vocet, quod nullum veri & solidi boni gu-
stum prœbeat? Non igitur de hoc solùm sed & reliquis, non nisi optima
quæque, quamdiu contrarium ignoramus, opinemur quodquè virtutem
potius ipso opere exprimere, quàm acutis disputationibus ventilare stu-
duerint, haud grauatè concedamus.

65 Progredior ad reliquos facto à Pythagora, & Italica magnæ Græciæ
schola initio: meritò enim hoc illi & omnibus Pythagoricis honori da-
tur, eò quòd ante Socratem plus quàm quiuis alij apud Græcos moralis
Philosophiæ egregij cultores fuerint; & vt hic in veteri, ita ille in noua
& transmarina Hellade eius conditor & fundator iure optimo dici mere-
66 atur. Ac si verum fateri & audire graue non est, Academiam Ionicæ, in
Ethicis & benè viuendi sapientia scholæ apicem & acropolim, quan-
tumuis à Socrate profectam & deriuatam extraneæ instructioni, & Pla-
tonicæ in Italiam ad Pythagoricos transfretationi, Metapontino denique
Musarum delubro præcipuè debent Athenarum vrbs antiquis istis tem-
poribus omnis eruditionis celeberrimum Emporium & famigeratissi-
ma Panegyris, illarumquè tutelaris diua & sapientiæ Præses Mineruæ:
nec potest vnquam pœnitere nobile illud & vmbrosum in Attica subur-
banum magnitudinis pretij, quod magnus ille Socraticæ Sapientiæ illu-
strator & propagator Plato pro Philolai Pythagorici, quantumuis non
pluribus quàm tribus libris magnificè impendit. Constituisse autem non
67 minùs Pythagoricos, quàm Stoicos & veteres Academicos in virtute bo-
norum finem & excellentiam statim dicam & ostendam: placet enim in
commendationem tam nobilis sectæ & ad mox dicendorum liquidiorem
probationem prius præmittere, tribus potissimum memorabilibus præ-
rogatiuis, Pythagoricos præ plerisque alijs admirabiles fuisse: pietate er-
68 ga Deum, publicarum rerum, in quibus humani generis incolumitas &
salus consistit, curâ, & amicitiæ sanctitate. In primo, Platonem cum A-

cade-

cademicis suis æmulum habuit, in tertio Epicurus & Hortensij eius Py 69
thagoricæ huius laudis præ reliquis ferè auidi & participes fuerunt; quod
intermedium est, neutris obtigit, sed quodammodo diuersâ viâ & in-
tentione dispari. Satis enim constat Epicurum omnium ciuilium negoti- 70
orum sollicitudinem à se & sectatoribus suis sequestrâsse: Plato autem
etsi non minùs de legibus, quàm ipsa republ. scripserit ciuitates etiam vt
suprà re ita ferente dicebamus tum demum, cùm à sapientibus rectæ fu-
erint, beatas fore dixerit, nunquam tamen ausus est ciuilia tractare, & pu-
blicis se functionibus ingerere, ac nec ciuitati alicui etiam rogatus leges
condere, vt videatur, hoc practicum publicæ philosophiæ genus quod
attinet, Idæis suis acquieuisse, nudisque speculationibus insenuisse, &
immortuus esse. E contrario Pythagorica schola non tantùm doctoris sui
exemplo ad reipubl. curam accessit, sed etiam multas ciuitates longo tem-
pore sapientissimè rexit, vt suis locis videri potest, ac non nisi paucis hic
attingi debet. Interim negari nequit, non æquè id omnibus feliciter ces- 71
sisse, quod vel inprimis Philolai & Archytæ casus & exitus, ne plures me-
morem, probatum fecerunt. Nec enim cuiusquam mortalium tam viui-
dum & perspicax ingenium, tam excellens & exquisita doctrina, tam
longa & copiosa experientia, tam prouida prudentia & perfecta sapien-
tia hactenus vnquam fuerunt, nec deinceps vspiam reperientur, quæ re-
rum omnium felicem successum, maximè in publici status æstibus & flu-
ctuationibus sibi promittere & præstare valeant. Id sapientissimè Theo-
phrastus animaduertit, eoque nomine â diuersis, sed sine culpa sua, vt
posteà videbimus, traductionum & explosionis flagella sustinuit. Amici- 72
tiæ apud Pythagoricos sanctiorem cultum quod attinet, supersunt eius
rei præclara, apud Iamblichum, Plutarchum, Laërtium, aliosque testi-
monia; ac vix puto in omni antiquitate reperiri illustrius amicabilis fidei
documentum (id speciminis loco & instar omnium sit) quàm quod de
Damone & Pythea Pythagoreis accepimus, de quibus Cicero primo de
officijs lib. & Valerius Maximus lib. 4. c. 7. quod de amicitia inscribitur,
adiri possunt. Videtur autem pro quarto, hoc quoque præ plerisque alijs 73
sectis notabile & eximium habuisse Italica secta, quòd maiorum dogma-
tibus constanter & obedienter successores inhæserunt: ac longè admira-
bilius est, celebrato illo sempiternis summorum auctorum monumentis
quinquennali silentio, quo tyrones ad recipienda tanto infallibiliori col-
ligendæ suo tempore vberioris messis spe sapientiæ semina initiebantur,
inexpugnabilis & æterna placitis Præceptorum non obluctandi peruicax
obstinatio & humillima acquiescentia, quæ plerisque sectarum reliquis

(huius quoque laudis Epicuream videtur habuisse Pythagorica schola so-
ciam) defuisse, vel saltem minus perfectè obtigisse videtur; tantum potuit
illud decantatissimum: αὐτὸς ἔφα *ipse dixit*, quod semel solidissimis ratio-
num fundamentis instructum nullas postmodum, quarumcumque rati-
uncularum abblandientes illecebras, nulla oppugnationum iacula & cata-
pultas in contrarium vnquam admisit; vsque adeò, vt perpetuam sibi in
omne æuum contradicendi, & dissentiendi taciturnitatem indixisse omnes
74 Pythagorici videantur. Longè aliter cum Academicis, Dialecticis, Cyræ-
naicis, Eretricis, atque adeò ipsismet etiam Stoicis actum fuit, qui cùm vel
omnes, vel saltem plerique à Socrate processissent, Socraticamque philo-
sophiam in partes variè disscidissent, vsque adeò vt nullus ferè de omni-
bus reperiretur, qui non Socratico pallio velari affectaret, talique amictu
speciosior haberi gestiret, postmodum in noua rursus schismata quique
diuisi sunt, vt pro instituti ratione, quàm fieri poterit, succinctè de singu-
75 lis, vbi oportet, videbimus. Ad hos igitur vt progrediamur, fiet initium ab
Anaxagora, qui, licèt ad naturalium rerum cognitionem & studium se to-
tum dederit, moralem tamen sapientiam non omni parte neglexisse pu-
tandus est, ac eò ipso sat superque manifestum fecit, quid de bono & feli-
citate humana sentiret, quando Homeri poëma de virtute & iustitia
compositum esse dixit; nec potuisset animi magnitudine, quod idem de
illo confirmat auctor, clarissimus fuisse, si alibi quàm in ista Homerica al-
legoria & ingeniosissimi poëmatis mystica interpretatione veram beati-
76 tudinem quæsiuisset. Discipulus Anaxagoræ Archelaus veriùs, ni fallor,
quàm Socrates auditor eius moralis philosophiæ apud antiquos Græciæ
populos auctor vocandus sit, si Laërtio, de quo non facilè dubitauerim,
sua fides constet, cuius verba sunt: *quanquam nec hic Ethices rudis fuisse videa-
tur, namq; de legibus philosophatus est & de honesto & aquo. Porrò Socrates, quòd
hæc ab illo sumpta propagauit, inuenisse putatus est.* Habemus igitur hunc
quoque virtutis assertorem, qui de quæstione nostra nil à Socrate diuer-
sum docuit, adeoque generosioris de summo bono sententiæ ipse quo-
77 que amplexator fuit. De Socrate hic pluribus agere superuacuum est,
quem Plato & Xenophon tam graphicè expresserunt, tam doctè & co-
piosè dogmata eius executi sunt, vt vberiùs & elegantiùs quid nec præ-
stari potuerit, nec sperari vnquam debeat. Ac tantò plus summi illi me-
rentur auctores fidei, quod cùm infestissimi inuicem, vt creditur, æmuli
fuerint, tam eximia tamen & vbique ad amussim & perpendiculum con-
formia & concordantia de Præceptore suo & dogmatibus eius scripse-
rint. Hæc igitur est fundatissima illa & nunquam labefactanda basis

philosophicæ in morum negotio veritatis, cui quotquot deinceps in Græ-
cia philosophari libuit, insistere, & dogmatum suorum fabricam super-
struere intenderunt. Quid autem in hac de bono materia, ac nominatim
de scientia senserit, obiter iam in præcedentibus tetigi, & in Herillo bre-
ui pòst repetendum est. Democritus licèt veritatem in profundo abdi- 78
tam esse diceret, studuit nihilominus ipse quoque circa id, quod sum-
mum est illam eruere, & ex imis tenebris in claram lucem protrahere.
Hic enim, vt Laërtius in vita eius scribit, *finem esse, docuit, rectum quie-
tumq́ue animi statum, quem* euthymiam *vocat, qua, vt quidam obliquè interpre-
tatur, non idem sit, quod voluptas, verùm secundùm quam animus magnâ tran-
quillitate constantiâque beatus est, dum nullo metu, nullâ superstitione aut aliam
quàuis perturbatione agitatur.* Progredior ad diuersarum sectarum consen- 79
taneos, vt constet, an aliquid & quidnam peculiare à cæteris cuiusque
instituti sequacibus de felicitate quique commenti fuerint, & defenden-
dum susceperint. A Socraticis incipio, è quibus Diodorum Iassium (de
Peripatetico enim cognomine quæ dicemus, intelligi nequeunt, obstan-
tibus illis, quæ ex Cicerone de illo dicentur) in augmento siue auctione
summum constituisse bonum, Thomas Garzonus testatur, sed quo au-
ctore nec ille exprimit, nec ego diuinauero: quare eius fide hæc referre li-
ceat, & retulisse suffecerit. De hoc enim Laërtius nil ampliùs fere tradit,
quàm dialecticæ sectæ asseclam fuisse, vitamque finiuisse mœrore, quòd
propositas à Stilpone in Ptolemaico Soteris Regis conuiuio eius artis
quæstiones ex tempore soluere non potuisset, eoque nomine à Rege in-
crepitus & in iurgio Cronus per conuitium vocatus fuisset. Quid autem
Garzonus per augmentum illud intellectum velit, itidem non coniecta-
uero. Quin tamen siue scientiæ, prudentiæ, & sapientiæ, siue etiam ipsius
probitatis & virtutis incrementum ad maiorem vitæ beatæ perfectio-
nem faciat, non facilè quis dubitet, aut improbet. Vtramque enim tum
mentis tum voluntatis virtutem ad felicitatem non facere tantùm, sed
principaliter etiam requiri, vbi de gradibus summi boni dicendum erit,
attingetur. Euclides Megarensis ex eadem Socratica cohorte, quantæ fu- 80
erit existimationis, vel ex eo solo satis constiterit, quod post Socratis mor-
tem Plato & reliqui Philosophi metu atrocitatis tyrannorum (ita Laërti-
us vocat Demagogos populari potentiâ ad bonorum perniciem abuten-
tes, nam famosus ille apud Græcos Historicos triginta Tyrannorum do-
minatus, antequam Socrates periret, pridem interierat) Athenis profugi,
se Megaram ad hunc contulerint. *Hic bonum esse*, verba sunt Laërtij, *vnum
definiuit multis nominibus celebre. Aliquando enim dicit prudentiam, quandoque*
Deum,

Deum, aliàs mentem appellari & huiusmodi cætera. Hæc Euclidis ſapiens ſanè
doctrina non parum iuuabit diſcrepantes diuerſorum ſententias in con-
ſonantiam aliquam, quantum fieri poteſt, attemperandam laboratu-
rum. Euclidis ciuis Stilpo, quid de ſummo bono mentis habuerit, quam-
que res externas ad felicitatem non pertinere conſtanter perſuaſus fuerit,
inde diſcimus, quòd captâ à Demetrio Rege Poliorcete dicto, patriâ eius
Megarâ, direptamque, vt fit, in expugnatione ſubſtantiam eius reſtitui
iubenti eidem reſponderit: *Nihil ſe ſuum perdidiſſe, quippe doctrinam &
eruditionem ſibi eripuiſſe neminem, reliquamque ſibi eſſe eloquentiam & diſci-*
81 *plinam.* De Menedemo Eretrienſi nil aliud, propoſitum noſtrum quod
attinet, accepimus, quàm fuiſſe dogmatibus Platonicum, quod tamen,
quomodo cum illo, quod Antigonus Caryſtius de illo ſcripſit, conueni-
at, difficile captu videtur, qui nullum ab illo dogma aſſertum fuiſſe tra-
dit. Niſi fortè regnantem in Platonicis dialogis Socratem idem egiſſe
confiteamur, quod ex eius, de quo iam vidimus, celebrato omnium ore
effato: NIHIL SCIRE, quod Academicorum omnium Scepticorumque
primitiuus fons & viua ſcaturigo eſt, facilè aſtruatur. Talis igitur cùm
fuerit, æquè tamen Platonem quàm alios contempſiſſe putatur. Idem
Menedemus (liceat id per obiter inſertam digreſſiunculam memorare)
Dialecticam aſpernatus fuiſſe perhibetur, ac nihilo tamen minus *in quæſtio-
nibus ita pugnax fuit, vt non prius diſcederet, quàm ex eius oculis ardentis ſpiritus
indicia deprehenderentur.* Idem *varij & callidi*, vt Diogenes ait, *ingenij vir
in componendo* (impropriè, ni fallor, de homine, qui nil ſcripſerit interpres
ſic loquitur) *ita orationem accommodabat*, quod vel inprimis vafri & ex in-
ſidijs victoriæ intenti diſputatoris eſt, *vt neque, quò vellet emergere, proſpice-
retur, atque ideò difficile illi occurreretur. Verſabat omnia*, ita pergit Laërtius,
infinitamque orationis copiam effundebat: acerrimus item in concionibus erat.
Quàm peritus enim Logicus fuerit, artificialis eius ad captioſam Alexini E-
lienſis ſiue Eriſtici Philoſophi quæſtionem reſponſio, oſtendit: *neque ceci-
di, neque deſij*; cuius generis interrogatione, ſiue noſtrâ, ſiue patrum me-
moriâ lepidiſſimè in aula Haſſiaca illuſit Rudolphus Goclenius Marpur-
genſis Philoſophus, dum alios captat, acutiſſimè capto & irretito Iacobo
Andreæ ſiue Smidlino Tubingenſi Profeſſori formuliſtarum anteſignano
legatione publicâ non vbique æquè gratâ & plauſibili, pro concordiæ,
quam vocant, formulâ acceptandâ fungenti, qui Menedemicum effugi-
um, per imprudentem admodum Logicarum Legum violationem, &
82 iuſtò liberaliorem incogitantiam ipſemet ſibi eripuerat. Non parum et-
iam hanc Eretricam ſectam commendat amicitiæ ſanctitas, quâ nec Py-
thago-

thagoricis nec Epicureis cessisse videtur, in cuius cultu auctorem suum
imitatos esse Sectatores quis ambigat? *Amicitias*, inquit de Menedemo
Laërtius, *piè sanctèque tuebatur, vt ex ea, quæ illi cum Asclepiade fuit, coniuncti-
one constat, quæ profectò adeò insignis erat, vt nihil à Pylladis distaret beneuolen-
tia.* Rectè igitur postmodum de Asclepiadis iam longæui agens excessu
subiungit: *Illos diu vixisse vnà memorabili beneuolentiæ suauitate.* Infallibile
hoc est veræ & sinceræ amicitiæ argumentum; vti enim sine virtute non
potest esse tenax, stabilis, & fidus amicitiæ nexus, ita virtus vix vlla tam
ieiuna & sterilis esse potest, vt non patiat hanc dignam parente & genu-
inam filiam. Non falletur igitur, qui concludet, vbicumque & inter
quos non est mutui amoris fiducia & sinceræ amicitiæ reciprocus, gratia-
rum instar, amplexus, ibi etiam non alium reperiri, quàm simulatum & 83
inanem fucatæ & falsæ virtutis cultum. Rediens ad rem non prætermitto
referre apophtegma eiusdem Menedemi: dicente enim quodam, *maxi-
mum esse bonum omnibus, quæ quisque cupiat, frui*, moralissimè respondit:
multò maius esse ea habere, quæ deceat cupere. Quid enim de virtute & sapi-
enti animi moderatione senserit, inde liquidò comprehenditur. Licebit
igitur de his alijsque, vtcumque in diuersas classes dispertiti, & varias sibi
sectas & cognomina commenti fuerint, verissimâ assertione affirmare
omnes illos Socraticos, omnes Platonicos, id est, virtutis cultores fuisse,
& in illa sola & vnica apicem felicitatis & summi boni acropolin consti-
tuisse. Siue enim Megarici dicantur, quo Euclides & Stilpo cum familijs
suis pertinent (videtur enim duplex fuisse Megarensis secta, quarum an-
tiquior ab Euclide, posteriôr à Stilpone initium habuit, cui priori etiam
Eristicæ, tandemque, quam denominationem illi indidisse Dionysius Car-
thaginensis * scribitur, Dialecticæ appellatio fuit, & compluribus excel-
* ita Laërt. lib. 2 in Euclide
lentibus viris diu florentissimè viguit) siue Elienses & Eretrici vocari
præoptârint, cuius generis Phœdon Eliensis & Menedemus, de quo di-
xi, cum sequacibus suis fuisse noscuntur, in capitali hoc de summo bono
dogmate consenserunt; vsque adeò, vt aliqua saltem ex parte, veteres illæ 84
Græciæ Philosophorum sectæ simile quid habuisse videantur cum Mo-
nachorum in Catholica Ecclesia ordinibus nostris, quilicèt nomine, vesti-
tu, varijsque exercitijs & institutis ab inuicem differant: in doctrinæ tamen
sanitate, & sanctioris vitæ disciplina præclarè concordant. Atque illud
vsque adeò verum est, vt nec in scholasticis controuersijs, in quibus alte-
ros ab alteris dissentire fidei & communionis nullâ factâ violatione fas est,
in vniuersum omnes & singulæ factiosè se gerant, & in magistrorum ver-
bo iurare non compellantur; Thomisticæ enim & Scotisticæ digladiatio-

nes ad duos illos, quos earum complices ingressi & professi, vt vocantur,
sunt, ordines peculiariter pertinere videntur. Etsi igitur pleræque istæ
veterum sectæ in quæstione hac nostra de summo bono inter se discon-
uenerint, non tamen in vniuersum de omnibus id ita se habere, ex illis
quæ dicta sunt, euidens est. Atque eò respexisse videtur Hippobotus, re-
ctèque fecisse, quando in sectarum, vt supra * vidimus, recensione Elien-
*pag. 8. sem, Dialecticam & Cynicam numerum facere non permisit; qui tamen,
ni fallor, meliùs adhuc & accuratiùs egisset, si cum prædictis Megaricam
quoque & Eretricam eliminâsset. Aut enim hæ simul cum illis expellendæ,
85 aut prædictæ æquè ac hæ retinendæ fuerunt. Facta mentio in præceden-
tibus est Dialecticæ sectæ, de qua, simplex an multiplex fuerit, quæri po-
test. Videtur autem ad minimum duplex fuisse, earumque prior à Mega-
ricis ortum habuisse, posterior Clitomachum Chalcedonium auctorem
suum agnouisse videtur. De hoc enim Laërtius in proœmio libri primi di-
sertè illud affirmat, quamuis in quarti libri fine de Clitomacho agens eius
rei non meminerit. Si cui libitum fuerit tertiam eiusdem nominis priori-
bus adijcere & quidem omnibus antiquiorum, non prorsus id absurdè fe-
cerit, eò, quòd Zeno Eleates Parmenidis auditor Dialecticæ Philosophiæ
86 conditor fuisse celebretur. Ad Socraticos etiam Antisthenes pertinet, qui
Cynicæ pariter & Stoicæ sectis initium dedit. Hic iuxta Platonem &
Xenophontem omnium optimè & generosissimè Socratis de virtute do-
ctrinam expressit, & auditoribus suis inculcauit. *Sufficere* enim *ad vitam
beatam virtutem* docuit *nullius indigentem nisi Socratis viribus*. Quid per
Socratis vires intellexisse videatur, reijcio ad subsecuturam tractatio-
nem de felicitatis gradibus. *Virtutem* quoque *operum esse* dixit, *neque verbis
multis, neque disciplinis indigentem, sapientemque sibi ipsi sufficere. Eundem so-
lum scire ait, quæ sint amanda, murumque tutissimum esse prudentiam, neque e-
nim decidere, neque prodi.* Eodem respiciunt eiusdem sequentia apophte-
gmata: *mœnia struenda esse in animis nostris, quæ capi nequeant; & virtutem
arma esse, quæ tolli non possint.* Denique *eos, qui cuperent immortales esse, opor-
tere piè & iustè viuere.* Hinc persuasissimum mihi est, non ad aliam beati-
tudinem, quàm è sola virtute prouenientem illum mentis oculos inten-
disse, quando roganti, *quidnam apud homines esset beatissimum*, respondit:
feliciter mori. Atque hæc & similia doctissima dogmata eius obtinuisse a-
pud Theopompum Historicum videntur, vt ex omnibus Socraticis hunc
solum laudârit; ac memorabile sanè est, quòd cum asperitate vitæ, mo-
rum austeritate & doctrinæ rigore omnium Philosophorum inamœnissi-
mus planèque multorum iudicio, tetricus esset, tanta tamen in conuersa-

tione

gione & colloquijs suauitate polleret, vt *quemlibet* (verba sunt modò dicti
Historici) *caperet, ac, quò vellet, duceret*. Hic igitur, vt Laërtius ait, graui-
oris Stoicæ sectæ princeps, Diogeni tranquillitatis, Crati continentiæ,
Zenoni tolerantiæ dux & auctor fuit. A Socraticis progredior ad illos, 87
qui eiusdem originis cùm essent, Platonici & Academici dicti sunt, quo-
rum aliquibus vltra & præter Arcesilam & Carneadem mediæ & nouæ
Academiæ conditores, de quibus alibi iam aliqua dicta sunt, & plura
deinceps dicenda sunt, particularia quædam ad præsens negotium facien-
tia tribuuntur. Ad hanc enim classem Bion Boristhenites pertinet, quem
Garzonus in prudentia summum bonum constituisse ait. Apud Laërtium
tale quid non reperio, qui sequentia, quæ ad finem bonorum faciunt, de
illo refert: *magnum malum esse, non posse malum ferre; impietatem pessimum esse
dicebat contubernalem fiduciæ: Maximam esse anxietatem, si quis cupiat esse
maximè felix & quietus*. Suspicor tamen Garzonum ad sequentem respe-
xisse Bionis sententiam: *Fortitudine cùm sumus iuuenes, vtimur, at cùm sene-
scere incipimus, prudentiâ valemus*; è qua tamen, quod auctor ille dicit, non
videtur tam præcisè inferri posse, aliàs enim ex sequentibus eiusdem tum
dictis tum facto concludendum non nemini videatur, quòd in robusta
& virili ætate, vel etiam inopum affluentia, vel denique eloquentia re-
rum summam & cardinem constituerit: *senectutem enim malorum omnium
portam esse dixit, quæ ad ipsam cuncta confluerent* (cum illo congruit illud
Horatianum:

Multa senem circumueniunt incommoda)

deinde diuitias esse neruos rerum; omniumque primus philosophiam vario
orationis flore vestiuit. Carneades iam memoratus præterquam, quòd 88
totam sectæ suæ philosophandi formam, quod hic prætermittitur, im-
mutauit, nouam de bono opinionem commentus est, eoque nomine,
vt in superioribus relatum est, inter sectarum conditores à Cicerone re-
ferri meruit; illud enim in naturæ primogenijs, quæ partim animi partim
corporis sunt, situm esse putauit, aliosque docuit. In hoc commento suo
nec toto, quod dicitur, cœlo aberrauit, nec acu, vt aliud prouerbium
habet, rem tetigit, vt suo loco, postquam ad sectarum examen & trutinati-
onem peruentum fuerit, expendetur. Paulò aliter & aliquantò obscuriùs,
in eundem tamen, vt puto, sensum, de huius Philosophi circa quæstio-
nem nostram sententia Laërtius refert, quando scribit: *duriùs aut mi-
detur circa finem versatus esse, cùm sæpiùs diceret, ea, quæ constituit, natu-
ra & compegit, ea & dissoluet*. Putandus igitur est secundùm ea, quæ La-
ërtius prodidit, hoc sensisse & dicere voluisse, labefactatis & deper-

ditis naturæ dotibus, quas primogenia quasi congenita, & ab ipso vsque
primo exortu nobis cohærentia vocauit, etiam felicitatem conuelli & a-
89 mitti. Ad Academicos etiam pertinet Philo Clitomachi discipulus &
Antiochi Ascalonitæ præceptor, de quo diuersis locis Cicero videri po-
test, ac nominatim lib 1. Academ. Quæst & in Lucullo. Fuit autem
Quinti Catuli, eius, qui Caij Marij in consulatu collega fuit, familiaris,
acerrimus nouæ Academiæ, id est Carneadici instituti defensor, sed ita
vt nouam commentus sit de incomprehensibilitate opinionem illis duo-
bus libris, quos ea de causa Antiochus discipulus eius in noua Academia
ad veterem postmodum in senectute transfuga refutauit, indequè à Sex-
to Empirico, vt Lipsius bene obseruauit, & in Academicorum Philoso-
phorum tabula Stoicæ manuductioni inserta monuit quartæ Academicæ
sectæ conditor statuitur. Verba illâ de re Ciceronis obscuriora, ni fallor,
sunt, quàm vt ex illis satis cognosci possit, quidnam illud fuerit, quod
noui repererit Nam quod Varro illi apud Tullium obijcere introduci-
tur, tolli ab eo cogniti & incogniti iudicium, id non eius proprium fuis-
se, sed cum nouis Academicis omnibus commune habuisse videtur. Iun-
gitur autem illi in noua illa secta comminiscenda socius ab Empirico
Charmidas, alius & vt puto longè iunior ab illo, quem in Socratis vita
90 Laërtius refert Sed mitto hos, nec enim circa boni quæstionem nouatio
aliqua ab illis facta fuisse reperitur, & ad auditorem Philonis Antiochum
transeo, qui ita iam senex ad veterem Academiam relictâ nouâ eò vsque
ab illo defensâ remigrauit, vt cum illa Peripateticam & Stoicam fere in
vnum quodammodo conflâsse, adeòque non tam veterem Academiam
restituisse quàm in porticum illam transtulisse, & in Zenonis sinu collo-
câsse videatur, obiter etiam Peripateticorum de felicitate dogmate re-
formato; quibus deinceps, contra quam ipsimet vnquam antea docuis-
sent, Stoicam de sola virtute beatos faciente doctrinam assignat & com-
mittit defendendam Apud Ciceronem de illo, vtpote magistro suo
pluribus agentem, hæc videri possunt, quo non alius de hoc homine lu-
culentiùs egit, vt magno iure sibi gratulari potuerit, quòd & eius tem-
pore vixerit, & tanto viro non familiaris tantùm sed etiam in sapientiæ
schola doctor & instructor fuerit. Hæc igitur Antiochi a trium sectarum
in vnam, vt ita loquar, ferruminatio permouisse Sextum Empiricum
videtur, vt hunc quintæ Academiæ conditorem agnouerit, Ciceronem
etiam, vt postea dicam, auctoritate suâ traxisse, vt illa de Peripateticis
circa boni quæstionem scriberet, quæ scripsit. Hunc Cicero in Lucullo
91 vocat *politissimum & acutissimum omnium suæ memoriæ Philosophorum*. Ploti-

no,

no, qui itidem Platonicus fuit, licèt ad posteriora tempora pertineat, me-
morationis honor debetur, cuius de bono, si Garzono credimus, sen-
tentia fuit, illud in vnione consistere, quo quid intellectum voluerit,
necdum me percipere fateor. Asserit autem fuisse illam ipsi communem
cum Platone sententiam, quod itidem hactenus neque apud Platonem
neque commentatores & interpretes eius me reperisse non nego, inqui-
rendum igitur superest, an quid apud alterutrum vel vtrumque eius-
modi quid occurrat, & an vnionem hominis cum Deo, an prudentiæ &
moralium virtutum conbinationem, vel quamquam aliam coniunctio- 92
nem intellexerit. Sequuntur Academicos Peripatetici, quorum nobilem
hodieqúe omnium principem sectam statim post Aristotelem facto in i-
psomet, quod meritò doleamus, Theophrasto principio, defectum pas-
sam esse, & valde notabiliter degenerâsse, l. de Fin. 5. Tullius conqueritur.
Cùm enim de hoc præmisisset, videri sibi illius de felicitate hominis deli-
catiorem, mollioreḿque esse, quàm virtutis vis & grauitas postulet, sen-
tentiam statim subiungit: *Simus igitur contenti his* (Aristotele, Nicomacho,
Theophrasto) *namque horum posteri meliores illi quidem meâ sententiâ, quàm
reliquarum Philosophi disciplinarum, sed ita degenerant, vt ipsi ex se nati videan-
tur.* Pergit deinde illos recensere, qui locus eius cùm omnium, qui vbi-
que extant, de hoc Sapientum genere maximè memorabilis, ac pror-
sus singularis sit, non debet hic prætermitti: *Primùm Theophrasti* (discipu-
lus) *Strato*, inquit, *Physicum se voluit, in quo etsi est magnus, tamen noua ple- 93
raque & perpauca de moribus. Huius* (discipulus) *Lycon oratione locuples rebus
ipsis ieiunior. Concinnus deinde & elegans huius* (discipulus) *Aristo, sed ea, quæ
desideratur à magno Philosopho, grauitas in eo non fuit: scripta sanè & multa &
polita, sed nescio, quo pacto auctoritatem oratio non habet.* Addit deinde de
Hieronymo, de quo mox seorsum agam, deinde ita de Critolao pergit:
*Critolaus imitari antiquos voluit, & quidem is grauitati proximus, & redundat
oratio, attamen is in patrijs institutis manet.* Hic est ille, qui Catonis censorij
æuo cum Diogene Babylonio & Carneade illo Stoico hoc Academi-
co Romæ pro Atheniensibus legatione functus est, quorum collegi-
o an vlli reperiantur in omni antiquitate, clariores illius muneris tri-
umuiri, multùm dubito. Eiusdem Peripateticæ sectæ Hieronymus fuit
Rhodo ortus, quem tamen rectè Cicero inter duces partium & pecu- 94
liarium sectarum conditores refert, eaq́ue de causa Peripateticum ap-
pellandum esse non censet. *Prætereo multos*, inquit, *in his doctum homi-
nem & suauem Hieronymum, quem iam, cur Peripateticum appellem, nesci-
o, summum enim bonum exposuit vacuitatem doloris. Qui autem de summo*

95 *bono dissentit, de tota philosophiæ ratione dissentit.* Sequitur Critolai au-
ditor Diodorus, qui doloris vacuitatem siue carentiam ad honestatem
adiunxit, ideoque inter sectarum conditores & principes refertur. *Hic
quoque suus est*, ait Cicero, *de summoque bono dissentiens dici verè Peri-
pateticus non potest.* Hæc de Diodoro, quæque de Hieronymo præmis-
sa sunt, an rectè à Cicerone affirmentur, hic examinare differo, con-
uenientiori postea loco discutienda. Venio ad Stoicos, quos ideò suc-
96 cinctiùs transmitto, quod de illis in manuductione sua Lipsius accuratè
egerit, & in omnium manibus sit, apud quem de Zenonis Cleanthis &
Chrysippi huius sectæ primariorum Triumuirorum de boni fine senten-
tijs verbis potius & phrasi, quam re ipsâ discrepantibus videri potest. Si-
ue enim in vitæ, quæ Zenoni placuit, siue naturæ, eiusque vel commu-
nis, quam Cleanthes amplexus est, vel propriæ, id est, humanæ, quam
Chrysippus prætulit, conuenientiâ summum bonum constituamus, o-
mnia in idem recidunt, & in hoc inter illos exactè & præclarè conuenit,
in sola virtute humanam felicitatem sitam esse, ac præterea cum illo coin-
cidit, quod deinceps de Abrahamica philosophia Deum sequi dicetur,
ad quem, vti primarium finem Stoica etiam Philosophia, quantum in
gentilitatis caligine solius naturæ lumine consequi potuit, contendere
97 laborauit; quam rem dictus nouus luculentus auctor eleganter executus
est. * Reliquos huius sectæ quod attinet, de Aristone Chio, Herillo,
Eratosthene, Dionysio Methatemeno Panætio, & Posidonio Apame-
ensi, pauca etiam dicenda sunt. Ex illis primus Aristo Chius, Philosophus
sanè nobilis & celebris admodum fuit, sed qui inter Stoicæ scholæ de-
sertores ob nouorum dogmatum commenta ab aliquibus numeratur,
hunc dixisse finem, id est, felicitatem, *esse inter virtutes & vitia indifferentem
viuere*, Laërtius scribit; *nullam* ita pergit, *quantumlibet modicam varietatem
relinquendo, sed se æqualiter in omnibus habendo*; horum verborum obscuri-
tatis, siue illam auctori siue interpreti eius debeamus, discussio aliunde
petenda est, Lipsius enim in manuductione libro 1 dissert. 12. è Cicerone
de huius Philosophi dogmate aliquantò clariùs loquitur: *Aristonis*, ita
Tullius, *explosa sententia est dicentis, nihil differre aliud ab alio, nec res esse vl-
las præter virtutes & vitia, inter quas quicquam interesset.* Huius idem ille in
fragmentis Dialogi de Philosophia cui Hortensij inscriptionem dederat,
opinionem taxauit, & sequenti vellicauit elogio: *Aristo Chius nihil bonum,
nisi quod rectum & honestum est, esse dicebat. Itaque media*, ita Lipsius expo-
nit, *omnia sustulit, nec in illis momenta vlla, quæ Zeno censuisset* (subaudi admi-
sit, vel quid simile) hactenus igitur à Zenone non videtur recessisse, quod

*l. 2 Manud. diss. 19.

in virtute, vt ex Cicerone colligimus, non in rebus inter virtutes & vitia
medijs, quo interpretis Laërtiani lapsus, ni fallor, nos ducere videtur,
summum bonum collocauerit. Quomodo enim, quod sustulit & negauit,
alicuius rei vel causam vel effectum constituere potuit? fuit Aristo hic
Zenonis discipulus, Persæi familiaris & assectator, vt lib. 6. Athenæus
scribit, eamque obtinuit auctoritatem, vt ab illo discipuli eius Aristonij
dicerentur, inter quos nominatim à Laërtio referuntur, Milciades &
Diphilus. Herillus Carthaginensis itidem è Zenonis auditoribus eodem 98
exemplo secessionem fecit, & contradictiones contra Præceptorem scri-
psit, summum bonum in scientia constituens. Idem tamen, quod parum
Philosopho conuenit, dubius & fluctuans aliquando finem nullum esse
dixit, sed secundùm casus varios etiam res immutari docuit. Opinionem
hanc eius de scientia facili negotio in concordiam cum alijs redigi posse
arbitror, & suo loco redigetur. Eratosthenes patriâ Cyrenæus licèt à Lip- 99
sio in manuductione prætereatur (causa illius prætermissionis fortè hæc
fuerit, quòd Philologiam pariter cum Philosophia coluerit, illique ma-
gis seriam quàm huic operam dederit) Stoicæ tamen ipsum quoque facti-
onis fuisse extra dubium est, sufficitque isti rei probandæ vel vnius Athe-
næi auctoritas, qui lib. 7. cap. 3. prædicti Aristonis auditorem & discipu-
lum fuisse scribit, cui præterea Laërtius etiam alijque astipulantur. Scrip-
sit hic inter alia de doloris vacuitate dialogos complures, vt Suidas auctor
est, in cuius materiæ tractatione, licèt Stoicus, parum tamen Stoicè sed
ita versatus fuisse videtur, vt citato loco Athenæus inter voluptatis asser-
tores eum referat. Dionysius Heracleotes prædictis Stoici instituti si non 100
desertoribus, saltem interpolatoribus accensendus est, quem Laërtius ait,
voluptatem finem dixisse. *Nam cùm*, ita ille ait, *in oculorum dolorem inci-
disset, eo cruciatus acriter dolorem dicere noluit indifferentem.* Hoc tamen La-
ërtij testimonium ita capiendum est, vt virtuti adiunxerit corporis indo-
lentiam. Id enim è Ciceronis de Finib. libris satis cognoscitur, potestque
hoc sensu eiusdem cum Diodoro Peripatetico sententiæ fuisse videri.
Rectè autem à Cicerone citato loco reprehenditur, & Stoicum dogma 101
ab illo turpiter desertum fuisse culpatur. De Panætio & auditore eius
Iuniore Posidonio, qui Apameensis patriâ fuit, cùm antiquior ille Ale-
xandrinus fuisset, iunctim agam, nam & Laërtius * illos non separauit, * l. 7. in Zenone
quando de illis sequentia scribit: *Panætius tamen & Posidonius virtutem mi-
nimè sufficere dicunt, verùm opus esse bonâ valetudine & affluentiâ rerum &
robore.* Hæc si ab illo vera referuntur, nihil minùs quàm Stoici dici mere-
antur, sed desultoriâ leuitate & inexcusabili transfugio ad mollioris vitæ

sola.

ſolatia,& laxioris diſciplinæ caſtra ſe ſubduxerint. Cyrenaici tandem hoc
102 agmen Græcæ ſapientum cogant, quorum Patriarcham Ariſtippum in vo-
luptate corporis boni finem ſtatuiſſe ſupra diximus,&an ita verè ſenſerit,
& rectè ſcripſerit, infra ſuo loco & ordine examinabimus. Huius autem
diſcipuli & ſucceſſores in diuerſas ſciſſuras Laërtius ſubdiuidit, Hegeſia-
cam, Anniceriam & Theodoriam, à commentoribus ſuis ita dictas, de
quibus ideò parciùs agam, quòd in quæſtione noſtra vel nihil vel pauxil-
lum inter ſe diſſenſiſſe videantur. Hegeſias enim hoc vnum peculiare ha-
buit, quòd diceret impoſſibile eſſe cumulatè contingere beatam vitam,
quod de præſentis æui ſtatu noſtro veriſſimum cenſeo, ideoque, vbi de
gradibus felicitatis agetur, enucleatiùs examinandum eſt. Idem ſatis ge-
nerosè,&ex intima veræ ſapientiæ medulla aſſeruit, vitam ſapienti indif-
ferentem eſſe. Cùm autem idem illic ſubiungat, *inſipienti expedire ſi viuat*,
non comprehendo,quid cauſæ habuerit,eloquentia& Philoſophicis per-
ſuaſionibus ſpontaneæ mortis cuiquam auctor eſſe, quæ nec imperfectis
vtilis ſit,&perfectis adiaphora. Annicerij præ Hegeſiæ & Theodori ſcholâ
illud videntur habuiſſe eximium, quòd Pythagoreorum & Epicureorum
exemplo amicitiam plurimi fecerint,& ſanctè colendam eſſe profeſſi ſint,
de quibus non abſtineo memorabilem, qui ſequitur,è Laërtio referre lo-
cum, quo illorum de amicitia ſententiam explicat. *Amicum non propter
vſum ac neceßitatem ſolùm ſuſcipiendum, quæ profectò, ſi deſerit, non erit ille
auerſandus, verùm etiam propter inſitam beneuolentiam, cuius gratia dolores
quoque eſſe ſubeundos. Quamuis enim finem in voluptate conſtituant, doleantq;
ſi illâ priuari contingat, ſponte tamen ſuſtinendos labores volunt, pro ſummo in
amicum ſtudio affectuq; ſingulari.* Eodem & hoc pertinet *quamuis moleſtias
ſapiens ac negotia ſubeat, nihilominus beatè victurum, etſi minimum illi volupta-
tis ſuppetierit.* An non iſta ſatis maſcula &robuſta ſunt,magisque Stoam ſa-
piunt,quam Ariſtippi, vt plerisque placet, popinas ganeas&luſtra? hæc igi-
tur cum ſuperioribus, cùm de Poſidonio alijsque ageretur, collata fateri
nos cogunt,Cyrenaicos ſubinde Zenonizare, vice verſâ autem nonnullos
103 è Stoicis Ariſtippizare. Relatis hactenus Græcis, vnum, quem adiungam,
è Latinis Ciceronem habeo, ex alieno tamen magis quàm proprio ſenſu.
Thomas enim Garzonus de moralis Philoſophiæ auctoribus agens no-
uam huic viro ſectam vel aſſignat, vel, quod potius habeo, & magis puto,
perperam affingit, dum ab illo in curarum vacuitate ſummum bonum
conſtitui contendit. In philoſophicis enim Tullianis libris nihil reperio,
è quo tale quid colligere & ſuſpicari nedum firmiter affirmare poſſimus;
ideoque videtur mihi Italus ille ad locum Ciceronis in epiſtola ad Papy-

rium Pætum, quæ libri noni 24. est, respexisse, vbi cum amico, quod solenne habuit, quoties cum sui * similibus, id est, à iocis & salibus non alienis vel coram vel epistolico commercio ageret, iucundè festiuatur, & sequentia ad illum scribit, quæ, quia elegantissimæ amœnitatis sunt, hic attexenda duxi: *Sed me hercle, mi Pæte, extra iocum moneo te, quod pertinere ad beatè viuendum arbitror, vt cum viris bonis iucundis, amantibus tui interdum viuas. Nihil est aptius vitæ, nihil ad beatè viuendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero sed ad communitatem vitæ atque victus remißionemq; animorum, quæ maximè sermone efficitur familiari, qui est in conuiuio dulcißimus.* Sed ineptum est hinc Ciceronis de beatitudine opinationem metiri, qui & in 5. Tusculanarum & 5. de Finibus libris tam apertè, constanter & asseueranter de summo bono sententiam suam proponit & explicat, illudque in sola virtute consistere ostendit, & solidissimè probatum facit, vt nullus supersit ambigendi & diuersi aliquid effingendi locus.

* Videntur epist. Ciceronis ad Trebat. Pæt. Volumin.

Vidimus hactenus de Græcis, superest, vt secundùm factam propositionem secundo loco rem hanc paulò altiùs repetamus, quidque de omnium antiquissima moralis sapientiæ origine sentiendum sit pro instituti ratione quàm breuissimè expendamus. Hic pro ingressu dissimulari nequit Græcorum ingenia in multis abusa fuisse, acumine & studio suo vsque adeò vt sæpiusculè vanitati & iactantiæ non tantùm nimium appropinquârint, sed etiam immersa sint, ac inprimis, quod propius & propriè ad rem nostram pertinet, omnium fere rerum inuentiones, atque adeò ipsius etiam morum doctrinæ & rectè viuendi magisterij primordia sibi arrogârint. De hoc præ omnibus alijs naturalis historiæ scriptor * videri potest, qui peculiari eoque prolixo capite in vnum quasi fasciculum constrinxit, quæ quis inuenerit in vita, inter quæ admodum pauca sunt, quæ externis, quos vulgò Barbaros vocabant, concedantur, pleraque è iactabunda ambitione & gloriosis mendacijs Græcorum auctorum, quos Plinius non tam bonâ fide, quàm erroneo assensu, indeque enatâ malâ persuasione secutus videtur, isti genti asscribuntur. Et quid non ad se raperent, qui de frugum, oleæ, vitis, iudiciorum capitalium, similiumque ad se pertinente repertione venditare non abstinuerint? hâc enim vanitate vix quicquam cogitari potest magis deridiculum commentum, cùm satis constet, omnia illa ipso Græcorum nomine & gentis eius origine longè antiquiora esse. Nullatenus igitur dubitandum est, non à Græcis sed illorum omniumque aliarum orbis terræ nationum progenitoribus, vti reliquarum fere rerum in vniuersum, ita etiam omnis humanæ sapientiæ primordia repeti oportere, vt rectissimè fecerint, qui

104 105 106

* Pli. l.7.c.56.

hanc laudem ambitiosis Græculis ablatam Barbaris tribuerint, quod præter neotericum auctorem, quem supra memoraui, Heurnium, ante omnes alios egregiè præstitit in verè aureo Euang. Praparasc. opere Eusebius Cæsareensis Episcopus, & ante illum omnis doctæ antiquitatis locupletissimus Promus-Condus, cuius ille vestigijs in plerisque insistere amat, Clemens Alexandrinus in Stromatum suorum doctissimis libris, à cuius vtriusque consortio Theophilus Antiochenus & Theodoretus, & si qui sunt apud Græcos Ecclesiasticos scriptores veteres eius generis alij, è Latinis Arnobius, Minutius & Lactantius excludi non debent.

107 Hæc igitur infallibilis veritas est, quam qui eneruare & prosternere volet, ipsa sacrarum scripturarum ac totius Christianismi solidissima fundamenta labefactabit & euertet, moralem philosophiam non ad alios quàm ad ipsum primum parentem, eiusque filios, Nepotes, reliquamque proximè subsequentem progeniem deferri oportere, quod ab alijs satis ostensum & probatum, hîc obiter allegari sufficerit. Istam igitur Deum rectè colendi & vitam bene agendi sacratiorem philosophiam ab auteri-
108 oribus humani generis conditoribus profectam, & per manus traditam postmodum Abrahamum non Israëliticæ tantùm gentis naturali prosemination, sed fidelium omnium in sensu mystico Patriarcham & Protoplasten longè adhuc præcellentiùs excoluisse, Christianorum nullus dubitet; postquam nimirum è reliqua Noachicæ posteritatis vniuersitate per sacratiorem segregationem à Deo electus & in sanctioris disciplinæ κτίσιν segregatus eque Haran siue Charris in promissionis terram proficisci iussus est; Ab hoc enim dignissimo tam sanctæ rei, quâ post ipsum diuinum Numen vniuersum hoc nil præstantius & sublimius habet, in excellentiori gradu promanauit, illud totius veræ sapientiæ compendium: DEVM SEQVI, quo nullum est, quod ad diuinæ gratiæ & incomprehensibilis benignitatis thronum tutiùs propiusque accedat. Ad hunc igitur
109 veræ Sophiæ apicem omnes in vniuersum mortales inuito, nec quemquam ex omni isto, quantumuis immenso numero, qui vel hodie viuunt, vel deinceps omnibus in futurum seculis nascentur & erunt ab isto, quantumuis altissimo veræ felicitatis in pio Dei cultu, humilique in sapientissima voluntate eius acquiescentia & reliquo virtutum choro consistentis vertice excludendum puto: quam rem tanquam propositi mei præcipuam & primariam non ingrata, vt confido, lectoribus, anacephalesi coronidis loco, priusquam finiam sub opellæ huius catastrophen retractare constitui. Multò enim liberaliùs, quàm ab aliquibus factum sit, hanc summi boni materiam tractans, acturus sum, vtpote qui ab illius

parti-

participatione pro cuiusque modulo nullam ætatem, nullum ſexum, nul-
lum vitæ genus, conditionem & ordinem, nullam fortunam, nullam pri-
mogeniorum naturæ, vt vocant, differentiam & genituræ infelicitatem
arceo & excludo, dummodo Deo obſequi & virtutem, in quantum ipſi
licet, & datum eſt, amplecti velit. Hoc igitur, ni nimium fallor, verè po-
pulare & ſaluberrimum eſt philoſophandi genus, quod dum Stagirites 110
noſter, quantum quidem comprehendi poteſt, introducere & ſtabilire
voluiſſe videtur, toto, quod dicitur, cœlo aberrauit, & eius generis ſum-
mum bonum commentus fuit, quod ipſo Stoicorum ſapiente rarius eſt,
& ad quod hactenus mortalium nemo peruenire potuit, nec vllus dein-
ceps, quamdiu orbis ſtabit, de eius conſecutione verè gloriabitur. 111
Sed miſſo Abrahamo, huius, quam quærimus, veracioris philoſophiæ
fundatore facio ad ſequentia tranſitum: De illo enim, qui pleniùs cogno-
ſcere cupiunt, Philonem Alexandrinum & S. Ambroſium Mediolanen-
ſem, de eodem reliquisque tum maioribus tum poſteris eius, ſacræ ſcri-
pturæ expoſitores ac nominatim illi, qui in Geneſin ſcripſerunt, veteris
denique teſtamenti Annalium conditores adiri poterunt. Acceſſit autem 112
iſti Patriarchali philoſophiæ ipſa ſummitas, poſtquam diuinarum ſancti-
onum promulgator Moyſes tabulas decalogi, reliquamque ſacram legem
à Deo accepit; ſecundùm quam non tantùm deinceps Iſraëlitæ recti ſunt,
ſed in eandem etiam diſciplinam omnium aliarum gentium progenies,
quotquot ex illis veritatem amplecti, & proſelytos fieri libuiſſet, aditus
patuit. Præterea illi quoque, qui ſuperſtitiones ſuas vero Dei cultui præ- 113
tulerunt, & iudaiſmo plerisque gentilibus extremè odioſo & abomina-
bili nomen dare abnuerunt, quicquid ipſis fuit ſanioris doctrinæ & ſince-
rioris de moribus philoſophiæ ab Abrahamo alijsque illius gentis Sapi-
entibus, quos antiquitus etiam ante Chriſtum natum Rabbi vocatos,
hodie à multis retro ſeculis Rabbinos, ſed à Priſcis, id eſt, præceptoribus
ſuis, vti multùm degeneres, longiſſimè diſtantes appellamus, accepiſſe
noſcuntur. Sic ad Ægyptiorum ſacerdotes, quos ab Abrahamo & Ioſe-
pho doctrinam ſuam, miſerè poſtmodum fœdiſſimis & omnem ſtuporem
ſuperantibus fabulis & ſuperſtitionibus contaminatam conſecutos eſſe
inter Eccleſiaſticos ſcriptores conuenit, ad Æthiopum gymnoſophiſtas,
ad Indorum Brachmanes, ſic etiam ad proximos Iudææ Syros & Phœni-
ces ſacra Iudaicæ gentis philoſophia propagata eſt. Ab illis ad Græcos,
aliosque peruenit. Præterquam enim, quod Cadmus, Pherecydes, ac 114
fortè alij (fuerunt enim, qui Thaletem etiam Mileſijs ereptum patriâ
orientalem facerent) è Syria in Græciam profecti literas aliasque bonas

artes incolas docuerunt, multi etiam, eique fere præcipui è Græciæ
Philoſophorum numero, ac nominatim Pythagoras, Democritus, Plato,
Pyrrho Elienſis, poſtmodumque Apollonius Tyanæus, partim ad Ægy-
pti Hierophantas, partim ad gymnoſophiſtas & Brachmanes longis & pe-
riculoſiſſimis peregrinationibus ſe contulerunt, illorumque diſciplinæ ſe
committentes, ea quæ alijs poſtea tradiderunt, quibusque nominis ſibi
immortalitatem pepererunt, edocti ſunt. Quanquam non deſint, qui af-
firment, Platonem ipſum Iudæis magiſtris vſum eſſe & Moſaicorum libro-
rum cognitionem habuiſſe.

115 Tertium iam ex ſuperiori partitione diſcutere reſtat, an, & quatenus
rebus ita, vt de exterarum gentium, & ipſius Græciæ ante Socratica tem-
pora Philoſophis dictum eſt, ſe habentibus moralis philoſophiæ condi-
tor dici & haberi Socrates mereatur. In reſponſione ad hanc quæſtionem
plurimâ dubitatione non carentem vix conſultum videtur nouum ſchi-
ſma introducere, & ab illo, quod omnibus hactenus, quantum ſcio, pla-
cuit, paulò contentioſiùs diſſentire; ideoque diſtinctione puto rem expe-
diendam eſſe. Cùm enim ex deductione præcedentium euidens & indu-
bitatum ſit, quòd non minus Græci, quàm cum illis & ante illos diuerſæ
gentes aliæ morum philoſophiæ & virtutum doctrinæ deditæ fuerint,
certè citra vllam fallibilitatem conſequens eſt, ſaluâ veritate non poſſe di-
116 ci, huius inter ſapientiæ ſtudia ſummi, primum inuentorem, conditorem
& fundatorem Socratem fuiſſe. Atque illud tantò magis veritati conſo-
num eſſe cenſeo, quòd apud nullum auctorem quicquam inueniam, è
quo probabiliter colligi poſſit, antiquiores illos Ionicæ ſcholæ Philoſo-
phos ſeptem etiam Græcorum Sapientes illisque ætate vel ſuppares vel
anteriores (nam de Pythagoricis, Ægyptijs, Iſraëlitis, alijsque vel in Dei
veri, vel in Deorum à ſe creditorum cultu inprimis & omnium maximè
occupatis deeſt omnis dubitandi materia) vſque adeò rationali & natura-
li philoſophiæ deditos fuiſſe; vt virtutum earumque erga Deum & ho-
minum officiorum & operationum prorſus obliti fuerint, easque exercere
neglexerint. Videtur igitur vetuſtiſſima illa Hellanicorum Sapientum
117 natio ſatiùs & fructuoſiùs exiſtimâſſe, virtutes potius ipſo opere exprime-
re & exercere, quàm de illis Socratico more prolixas & laciniosas diſpu-
tationes inſtituere, eisque finitis tam auditores, quàm collocutores ma-
gis dubios, quàm antea fuerant, ſubinde dimittere. Iſtud inſtitutum, an
veteribus (prout ex illis, quæ de illorum vita, doctrina, & ſcriptis vel lite-
ris prodita vel auctorum ſilentio obliuioni tradita & obliterata ſunt, ad
minimum ſuſpicari poſſumus) placitum & exercitum fuerit, non placet

hâc

hâc vice, dum breuitati, quantum poteſt, intendere conuenit, in diſputationem trahere: Vnum hoc ſiue rectè illi, ſiue aliter egerint, affirmare aſſeueranter & conſtanter auſim, optimè feciſſe Socratem, eoque nomine immortalia ſibi erexiſſe ad omnem poſteritatem laudum trophæa, 118
quòd de cœlo philoſophiam detraxerit, & cum hominibus conuerſari fecerit, hoc eſt, quòd dimiſſis ad tempus ſaltem (hoc, quid dicere velim, ex illis, quæ ſequentur, patebit) corporum cœleſtium, eorumque motuum ſpeculatione in formandis moribus totus eſſe voluerit. Atque hâc ratione, quantum in ipſo fuit, & per ſolum naturæ lumen ad ſuperiora aſcendere valuit, non tam Philoſophiam ad hæc inferiora reuocauit, quàm ſupra omnia, quæ videntur, ipſumque adeò aſtriferum vniuerſi tegimen longè altiùs illam ipſam euexit & eleuauit. Ne igitur longiùs, quàm neceſſum eſt, hic hærere pergam, facilè aſſentior, hactenus ſaltem, 119
vt dixi, Socratem celebratæ omnium vocibus nouæ Philoſophiæ inuentionis gloriâ fraudari non oportere, dummodo ſuperioribus eam, quam ipſis deberi dixi, laudem pariter relinquamus. Verùm hîc duæ nouæ ſuboriuntur quæſtiunculæ: I. An verùm ſit, quod de Socrate ſcribi vidimus, nimirum quòd Phyſicâ dimiſſâ ſoli Ethicæ deditus fuerit. II. An ita agens 120
ille rectè fecerit; quas breuiſſimè (ideo enim quæſtiunculas vocaui) expediam. Quoad primam, poteſt nos dubios facere, quod de Socrate ſcribit Laërtius, dixiſſe illum *vnicum eſſe bonum ſcientiam*, quod vix videtur ſtare poſſe, ſi naturalium rerum doctrinam & notitiam omni ex parte, licèt omnes de illo videantur conſentire, auerſatus eſt. Atque hanc doctrinam Lipſius in Stoicis manuductionibus ſuis Socraticis præceptorem ſuum in eo, vt videtur, ſecutis vniuerſaliter tribuit. Deinde ex Platonicis dialogis, in quibus præcipuæ Socratis partes ſunt; ac nominatim, quòd ſpeciminis inſtar ſit, ex Timæo, quod aſſerui, euincitur, qui dialogus de vniuerſo, id eſt, tota mundi fabrica tractat. In illo igitur, qui etiam nomen & inſcriptionem inde conſecutus eſt, quamuis Timæo Locrenſi Pythagorico docendi prouinciam ſummo cum decoro Plato committat, tamen nec inde Socratem ſuum abeſſe voluit, quod fieri non debuiſſe, nec etiam decenter & aptè potuiſſe videtur, ſi omnem talium rerum ſcientiam ille auerſabatur & contemnebat; quo caſu nec vt docens, nec vt diſcere cupiens citra abſurditatem admittendus erat. Verùm hoc poſterius ne Platonicis illecebris nimium ineſcati fuiſſe, & propterea ab illis auelli non potuiſſe culpemur, obiectum, vtpote non inuolutum paulò intricatiori difficultate facileque refellendum pro nunc indiſſolutum tranſmitto; prius, quod de ſcientia dicebatur, non aliter capi & intelligi debet, quam vt

conforme sit, isti vulgatissimo Socratico dicto, quod nunquam non in ore habuit, & vbique apud principes Socraticorum Xenophontem & Platonem in omnibus, quæ de Socrate referunt, clarissimè fulget & elucet: *vnum se scire, quòd nihil sciat*. Si enim Laërtius, quæ ex illo relata sunt, aliter intellecta esse voluerit grauissimum errorem, & in eiusdem paginæ angustijs inexcusabilem antilogiam commiserit. Secundum proximè
121 quæsitorum, aliquanto maioris videtur dubij esse, quod tamen potissima ex parte vsque ad illum locum reseruatur, vbi, quòd virtus doceri possit, & quòd ad excellentiorem summi boni gradum eruditio, id est, bonarum literarum studium & rerum cognitio, dummodo quis illis rectè vti nôrit, plurimum conferant, euincendum est, obiter saltem & quasi in transcursu (nec enim instituti ratio & angustiora, quibus me circumsepsi & inclusi spatia me largiùs exspatiari permittunt) attingere constitui. In præsentia vnum hoc non præterierim, vix excusari posse hoc Socraticum reiecti naturalium rerum, ac inprimis cœlestium studij institutum, si in genere & vniuersim consideretur, ac præsupponendum tanquam minimè dubium nobis esse arbitror, animaduertisse Socratem in sui temporis philosophiæ deditis hunc valde noxium errorem, vt à veterum Philosophorum suorumq; præceptorum imitatione & exemplo recedentes præ immoderata rerum theoria, meditationem & exercitium moralis probitatis vel omni vel potissima ex parte insuper habuerint, & nihil agendo malè agere didi-
122 cerint. Alias enim diffiteri non possumus, & cum bona Socratis & Socraticorum omnium gratia firmiter tenendum est, non tantùm ad morum in genere sinceritatem, sed etiam nominatim & inprimis ad diuinum cultum & pietatem multum facere & valde vtilem esse rerum naturalium contemplationem, quod quamuis putem, per seipsum satis patere, vix tamen citra impietatis notam indigitato loco dissimulari posse videtur. Socrates igitur vti summi ingenij & singularis doctrinæ sapiens in contemplatiuæ philosophiæ neglectu suo dicendus est peritos agricolas & hortulanos, prouidè imitari voluisse, qui vt distortam virgam & teneriorem arborem à deformi curuatura ad rectitudinem reuocent, in alteram illam partem plus iustò deflectere, & ingenitam deprauationem violentâ in contrarium curuatione ad tempus non tam emendare quàm alternare in more habent, & artis esse censent, vt isto modo & naturali & artificiali vitijs istis postmodum hâc solertiâ cessantibus recta in sublime excrescentia suble-
123 quatur. Absque hoc enim si esset, fortè possit non nemini in mentem venire Socratem temporis partem aliquam, quod vel conuiuialibus confabulationibus vel otiosis in opificum tabernis commorationibus dedisse legi-

legitur, non fuisse rerum cognitioni & naturalis philosophiæ studio peius
impensurum. Ac vt verum fatear, vix suspicione carere puto Socratem
naturalis philosophiæ studium & æstimationem ad alios, quos ipsi nimi- 124
um deditos esse putaret, tantò fortiùs conuincendos, magis dissimulâsse,
quàm neglectui & contemptui habuisse. Satis enim constat, è Socraticis
non minus apud Xenophontem quàm Platonem dialogis illum Physica-
rum rerum minimè rudem fuisse, & disertis verbis de eodem Laërtius af-
firmat, quòd etiam de naturalibus disseruisse videatur; nec fuerit satis è
decoro vel solas disceptantis, oppugnantis & negantis partes illarum re-
rum, quas ignorauerit, Socrati tribuere. His accedit, quod, cùm multum
temporis corporis exercitationi, aliquid etiam tibiarum cantui, ipsique
saltationi tribuisse tradatur illum tam necessariæ studiorum parti, ipsique
etiam morum disciplinæ vtilissimæ, qualis rerum cognitio, naturæque
contemplatio & scientia est, nihil omnino impendisse.

Sed hactenus de Socrate Pythagoricis, alijsque dixisse & singulas tum 125
hominum tum sectarum sententias de quæstione nostra retulisse sufficiat;
superest capitalis & principalissima instituti nostri pars, quam præ omni-
bus reliquis præcipuâ accuratione excutere, &, quâ fieri potest, soliditate
& claritudine elucidare conuenit. In hac expedienda eâ procedetur me-
thodo. 1. Vt ostendatur, quinam de omnibus hactenus recensitis, de hoc
omnis philosophicæ & reliquæ eruditionis, adeoque ipsius humanæ feli-
citatis apice omnium optimè docuisse, & omne punctum, quantum soli-
us naturæ lumine à diuinarum reuelationum sanctiori magisterio caren-
tibus potuit, tulisse dicendi sint. 2. Quinam in secundis constiterint, &
proximè post primos ad veritatem accesserint. 3. Quatenus & quomodo
plerorumque ab inuicem dissidentium, ac sæpe plus, quam par fuerit,
acriter & calidè inter se digladiantium opiniones & sententiæ in conso-
nantiam & sensus vnitatem redigi, eaque ratione pleræque prolixissima-
rum & nodosissimarum disputationum ambages partim in meram logo-
machiam resolui, partim in vix dignam contentione intellectus vicinita-
tem non incommodâ explicatione commutari possint. 4. Quinam longi-
ùs præ alijs à veritate recesserint, quidque inprimis de Cyrenaica Acade-
mica tam media, quàm noua (veterem enim satis Stoicam non tam ver-
borum nouitate & rigore quàm sensuum conuenientiâ & veritate agno-
sco & arbitror) & Sceptica circa felicitatis mundanæ materiam sentien-
dum sit. 5. Ac quoniam hæc non alijs, quàm qui Christianâ professione
censeri volunt, scribuntur, nec mihi Lipsiano consilio, quod sui tempo-
ris, cùm de Constantia scriberet, quibusdam minus probatum fuisse ipse-
met

*Iust. Lipf. met magnus ille feculi noftri auctor * non tantùm non diffitetur, fed etiam apologeticâ præfatione fibi ftabiliendum & tuendum effe duxit, philofophicum thema tractans, à rebus theologicis, faluificam fidem noftram concernentibus, fuperftitiosè abftinendum effe puto, vt tantò maior, quotquot horum cognitionem fortè dedignari nolent, lectoribus fructus effe poffit, vel inprimis mihi curæ erit, quænam ex prædictis omnibus de fummo hominis bono opinionibus & fententijs Chriftianæ fidei, eiusq; amplexatoribus præ reliquis magis conueniat, & conformis fit, oftendere. 6 Præmiffis expeditis varia ad propofitum & maiorem tractatæ materiæ intelligentiam facientia multumque, vt confiditur, vtilitatis allatura fubfequentur, ac quafi per Satyram vitatâ tamen, quantum fieri poteft, & materia permittit, confufione, exhibebuntur.

126 Priusquam autem, quem hîc mihi aperui patentem & extenfum, campum ingredior, via mihi prius purganda eft, quæque aditum obftruere poffe videntur, refecanda & extirpanda funt. Ante omnia enim quæri & refolui debet: An fit aliqua huius tranfitorij temporis & mortalis vitæ felicitas? Nam fruftraneus labor fuerit aliquid quærere, quod inueniri nequeat, deque illius confecutione follicitum effe, & id in hac terreftri fæce obtinere conari, cuius fruitio cœlorum habitaculis & futuræ vitæ priuatiuè, vt vulgò loquimur, & folummodò referuata fit. Hoc dubium non minus ipfi SS Patres, ac nominatim pijffimus Ecclefiæ doctor S. Auguftinus ac ipfamet prophetica & apoftolica facris biblijs comprehenfa monumenta, quàm gentilium auctorum fcripta nobis faciunt & mo-
127 uent. Ac vt omnia abfint, ipfamet experientia totque mifcrabiles & horrendi cafus, quibus non tantùm omnium feculorum hiftoriæ pleniffimæ funt, fed qui etiam tempora noftra abominabilibus & terrificis exemplis infamia fecerunt, & tantum non extremas infelicitatis damnârunt, omnem fere mundanæ beatitudinis fpem & memoriam, tantum abeft, vt de illa aliquid fiduciæ & certitudinis concipere debeamus, nobis excutere poffe videntur. Quis enim in tanta rerum inftabilitate & fortunæ in omnibus fere contra plerosque nouercari amantis variatione, mutabilitate & iniquiffimis, fecundùm popularem captum, infidijs & deturbationibus inter tot & tam varias præfentis vitæ calamitates, miferias, infortunia, corporis animique ægritudines & acerbiffimos dolores fibi tranquilli, ftabilis & iucundi vel tantillum imaginari nedum polliceri & attribuere audeat? cùm potius lerna & Ilias malorum fit, quotidianis & indefinentibus exercita inquietitudinibus & turbamentis, quæ veræ alicuius beatitudinis vix fpeciem, aut fimulachrum & vmbram exhibere apta fit.

Ita

Ita enim sensisse videtur Poëta vetus, cùm scribit: 126

dicique beatus

Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Atque hoc ipsum est, quod Crœso Lydorum regi de fortuna sua nimis securo, & plurimum elato, sapiens ille Solon respondisse traditur, quem, vt alius Poëta ait:

Respicere ad misera iussit spatia vltima vitæ.

Huc etiam respexisse videri potest Hegesias Philosophus Cyrenaicus, de quo diximus, Pisitanatos inde cognominatus, qui enumeratione aduersitatum huius vitæ, tantæ ad voluntariæ mortis persuasionem eloquentiæ fuit, vt certatim plurimi consilio eius acquieuerint, & ad violentæ mortis voluntariam electionem permoti fuerint; qua etiam de causa prohibitus fuit, deinceps ea de re verba facere, & cuiquam proprijs sibi conciscendæ necis manibus auctor esse. Nec enim opus habuisset, hanc vnicam subterfugiendarum calamitatum & ærumnarum viam insistere, si etiam sine cœde & sanguine, dulciori aliquo pharmaco auditoribus suis non tantùm subueniri, sed etiam intolerabiles molestias & dolores in delectationem & iucunditatem conuerti posse putâsset. Sed non sunt tanti hæc & simi- 129
lia, vt nobis extorqueant hoc inæstimabile solatium, in hominis potestate situm esse (Deum & cœlestem gratiam eius hæc & similia scribens nec hîc nec alibi vspiam excludo) an in vita hac in quocumque statu, & in qualicumque fortuna, miser an alius esse velit, vt meritò, qui aliter sentiunt, illud antiqui epigrammatarij audire cogantur, & è deuijs eo modo in regiam rectæ rationis & solidæ veritatis viam reducendi sint:

Nolo virum, facili redemit qui sanguine famam,

Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

Æquè enim abstinendum est tam miseriarum finem, quàm nominis gloriam, quâ illecebrâ, tanquam contagioso morbo quodam, plurimi veterum gentilium apud Græcos, Romanos & Barbaros, prout Calani, Catonis, Peregrini & plerorumque aliorum exemplis docemur, infecti fuerunt, per spontaneam vitæ abruptionem, etiam ipsismet Pythagoricis valde improbatam, quærere. Facit huc eiusdem Poëtæ hoc aliud sequens:

Rebus in angustis facile est contemnere mortem,

Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Ad quod distichon potest etiam respexisse videri è neotericis, ni fallor, vates aliquis, cuius in eundem sensum aliquanto tamen generosiorem versus est:

Quem fortem nôris, hunc miserum esse nega.

Longè enim laudabilius est à morum potius constantia, rerum caducarum despicientia, ab animi interriti inuicto robore, ac bene sapienterque viuendi disciplina, aduersitatibus & cruciatibus remedium quærere, quàm vltimæ rerum lineæ solummodò, tanquam sacræ cuidam anchoræ, per vanam & non rarò ambitiosam persuasionem adhærescere, & imperiti cuiusdam cytharistæ instar, in vna ista chorda, absque vlla artificiosæ harmoniæ variatione & concentu oberrare; præsertim cùm illa (mortem intelligo) in hominis potestate esse non debeat, quod non tantùm Christiana sacra nos docent, sed etiam antiquitus, vti iam obiter attigi, ex ipsis etiam gentilibus sapientiores animaduerterunt, & Pythagorica illa sublimior & cultui diuino addictior philosophia probauit.
130 Vt ab Ethnicis ad Ecclesiasticos Scriptores veniamus, multus est S. Augustinus * in disputando contra Philosophos eosque perstringendo, quòd hominis felicitatem in hac vita positam fuisse falsò crediderint, & frustra quæsitum iuerint, quæ nonnisi post mortem in animarum immortalitate & æterna beatitudine consistat. Et quò magis illos confundat, & ad erroris sui agnitionem vel inuitos constringat, satis eloquenter & neruosè euincere contendit, præsentem vitam nil aliud quàm meram & perpetuam miseriam esse; * quo stante, quod fateri compellor, infallibilis consequentia est, nihil illi cum felici statu commune esse. Hæc vti omni ex parte negare non audeo, ita vicissim concedi debet, distinctione satis commodâ & minimè absurdâ in huius dubij resolutione vtendum esse. Quod tamen cum bona gratia tanti tamque sancti doctique Doctoris & nonnisi cum reuerentiæ præfatione dictum sit, & fiat, quo nunquam habuit Christi ecclesia, nec aliquando habitura est, excellentiori ingenio, vberiori omnimodæ sacræ profanæque eruditionis copia, eloquentiæ nitore, Christianæ modestiæ ornatu, veritatem defendendi zelo & libertate, errorum denique & hæresium auersatione non minus & odio, quàm ad illas refellendas & euertendas solidissimâ & acerrimâ grauissimarum disputationum acrimoniâ fortiorem, celebriorem, omniumque laude digniorem propugnatorem prorsusque inuictum Pancratiasten. Rectè enim à S.mo viro ista philosophica gentilium turba reprehenditur, quòd ita de beatitudine hominis senserint, quasi non alibi quàm in hac mortalitate sita esset, quod tamen nec ipsum vniuersale est, & ad omnes indifferenter non pertinet, eò quòd in confesso sit, Pythagoricos & Platonicos ad minimum (de Aristoteleis enim res controuersa est, nec inter omnes quid tum ipse auctor, tum multi sequacium eius hac de re tenuerint, satis conuenit) immortalitatis animarum serios & constantes assertores fuisse. Sed bene habet: ipsemet enim

* li. 19. de ci. uita. Dei c 4.

* cit. c. 4. prædicti libri & l. 22. c 22.

sanctus

ſanctuspater Auguſtinus ſeipſum quodammodo corrigens cap. 23. libri
22. de ciuit. Dei ſatis fusè huius vitæ bona viciſſim exequitur, illisq́ue ho-
mines diuino fauore frui agnoſcit. Statum igitur huius, morte aliquando 131
finiendæ, vitæ quod attinet, negari quidem nequit, multis illam & varijs
miſerijs obnoxiam & circumſeptam eſſe, quæ tamen, quantumuis maxi-
mæ, tam magnæ & conſiderabiles non ſunt, vt omnem inde excludant
felicitatem; hoc interim ſemper ſaluo & excepto, quòd cum æterna cœ-
leſtis vitæ beatitudine in comparationem veniens, vix alicuius momenti
ſit. De cætero tantum abeſt, non oportere nos, dum hîc viuimus, de tem- 132
porali etiam felicitate ſollicitos eſſe, quodque in corpore conſtituti, ſum-
mi boni, in quantum illi in hac caducitate locus eſſe poteſt, compotes fi-
eri non poſſimus, perſuaſum habere, vt affirmare non dubitem, ſi quis
rectè me capere dignetur, & calumniari nolit, ſufficiens eſſe, huius ſeculi
felicitatem conſequi eaq; obtentâ & poſſeſsâ ſuperuacuum eſſe, de alteri-
us vitæ longè feliciori conditione vlterius ſollicitum eſſe, vtpote quæ illi-
us infallibilis & neceſſaria ſequela ſit. Cur enim de illo aſſequendo quis
fatigetur & ſatagat, quod iam obtinet, & ſuum fecit? Obtinet, inquam, * S.
non quidem reipsâ, ſpe tamen, quæ nobis hîc ſufficere debet, quodq́ue Paul.
ſuo tempore per Dei gratiam facie ad faciem, non vt hîc per ſpeciem in æ in Ep.
nigmate, videndo, vt apoſtolicâ * phraſi vtar, conſequemur, illud hîc fide 1. ad Cor.
& fiduciâ amplectendum eſt, & vberioris gaudij cumulus interim patien- c. 13.
ter expectari debet. Ad imitationem igitur illius quod ex ore veritatis * * Matt.
prodijt: *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis*, citra vl- c. 6.
lam impietatem, dummodo non aliter quàm in Chriſtiano ſenſu, quæ
proferimus, accipiantur, dicere poſſumus: Omni ſedulitate & ſtudio hu-
ius ſeculi felicitatem nobis quærendam eſſe, quâ habitâ & conſeruatâ de
æterna felicitate ſecuri ſimus. Nec enim aliam, quod poſtmodum fuſiùs
pertractari meretur, huius temporis beatitudinem agnoſco, quam quæ
diuinâ gratiâ mediante futuram nobis conciliet. Nec vnquam illum infe-
licem putabo, qui hîc in eo ſtatu vixit & obijt, quibuscumque etiam &
quantiscunque vel naturæ defectibus, vel fortunæ aduerſitatibus impu-
gnatus & oppreſſus fuerit, vt futuræ vitæ præmium non perdiderit; de
quo infra, vbi de beatitudinis gradibus, quoad excellentiæ differentiam
varijs ſanè & multiplicibus (illos enim contra Stoicos, & Academicâ li-
centiâ ſuâ hac in re nimium Stoizantem M. Tullium admitto) agere con-
ſtitui, quibus libitum fuerit, videbunt.

Vt autem huic quæſtioni ſuus ſit finis, tantò minùs huius ſeculi felicitas 133
in dubium vocari, ne dum prorſus negari poteſt, quòd ipſius Saluatoris

nostri nulli fidelium inficiandum testimonium habeamus, qui in diuinissi-
ma montana concione sua, cœlestes beatitudines in hoc seculo fruendas,
beneficâ manu satis liberaliter & largiter impertitur, in quibus, octo nu-
mero nihil futuri continetur, omnia præsentis temporis enunciationem
& promissum continent; licèt singulis, quod vel inprimis summo nobis
solatio & voluptati esse debet, maioris in æternitate beatitudinis merces,
per omne desiderium & gaudium superantem appendicem annectatur,
quâ comprehensum, varieq́ue, vt ait S. Augustinus, nominatum præmi-
um, non aliud quàm regnum cœlorum & æterna vita est. Nec multum
obstabit, si quis obijcere conetur, vitæ huius tempus non gaudij sed mœ-
roris esse, prout itidem à Christo Domino, in pridiano mortis suæ ad di-
scipulos sermone admonemur: nam & hoc eandem distinctionem admit-
tit & requirit, quâ supra vsi sumus, quòd scilicet omnis huius seculi læti-
tia, omnis voluptas, omne solatium, cum futuris & æternis illis collata &
æquâ lance expensa, fere euanescant, & in nihilum abeant, multoq́ue ve-
rius mœstitiæ quàm hilaritatis schema exhibeant: quæ tamen, remotâ
comparatione, in se considerata, istius optabilis prædicati omni ex parte
experta dici nequeunt; ad cuius probationem seruientibus omnis scriptu-
ra plena est. Nec enim illustria tantùm in illis occurrunt, veri gaudij &
134 incomparabilis voluptatis in hac quoque vita exempla, sed etiam pluri-
mas illic reperimus ad gaudendum, lætandum & exultandum adhortati-
ones quas qui capere, & imitatione exprimere potest, is profectò & hic
felicissimus est, & postmodum in æternitatis gloria longè adhuc felicior
fiet. Quoties enim nobis, ne reliqua nunc eodem facientia attingam loca,
regius Psalmista & gentium Doctor ad piam hilaritudinem, ac deuotam
exultationem, ad decantandas (quod lætantium est, nam in luctu musica
intempestiua narratio) Deo laudes, ad gaudendum in Domino nos exci-
tant & inuitant? Quoties ijdem alijq́ue sancti viri, tanquam veri & omni-
bus numeris absoluti instructores, quorum est, quod verbis docent, id
ipso quoque opere comprobare, vt in virtutibus alijs, ita & in hac spiri-
tualis lætitiæ, nullâ laude exæquandis actionibus suis nobis præeunt.
Nam & ipsimet sancti Apostoli licèt nec immemores nec negligentes
prædictionis à Christo ipsis factæ: *Mundus gaudebit, vos autem contristabi-
mini*; *ibant* tamen, vt in apostolicis actis scriptum est, *gaudentes à conspectu
concilij, quòd digni habiti essent, pro nomine IESV contumeliam pati*. Denique
cum alacritate & lætitia omnia fere, quæ à nobis veræ pietatis infallibiles
magistri exigunt, facere iubemur. Nam & hilarem datorem, qualem se
præstare auaris & rapacibus difficulter persuadetur, à Deo diligi Aposto-

lus

lus inquit, &c, cùm ieiunamus, vetat ipſemet Saluator hypocritarum nos exemplo triſtes fieri, idemque, in medijs etiam perſecutionum flammis, vt gaudeamus & exultemus, seriò hortatur, eò quòd copioſa ſit in cœlis merces noſtra. Plura qui volet, ſuis locis facilè inueniet, mihi, ne contra propoſitum me nimiùm elargem, hoc vnum addere ſufficit, nec ipſum dolorem voluptate ſuâ carere, eſſeque, præter naturales lætitiæ lacrymas, quas cum mœſtitudine communes habet, etiam in medijs fletibus piorum cordium ſuauiſſima ſolatia, & indicibilem ſpiritualem dulcedinem. 155
Si enim in rebus profanis verum eſt, quod Poëta ait:

Eſt quadam flere voluptas.

Cur illud non multò magis in re pietatis diuinoque timore & cultu locum habere fateamur? Ac ne de alijs hîc dicam, ipſis etiam peccatoribus de malè commiſſis veram & ſeriam pœnitentiam agentibus illud vſu venit, quorum cum Magdalena & Petro pœnitentiales lacrymæ omni melle & ſaccaro dulciores, omni ſenſuum dulcedine ſuauiores, omnium quarumcumque voluptatum ſuauitate iucundiores, amœniores, & lætiores ſunt. Auſim igitur dicere, & coram toto mundo pro re veriſſima aſſerere, ſi fingamus vnum hominem aliquem omnium mortalium peccata in vniuerſum omnia ſolum commiſiſſe, oportere tamen illius acerbiſſimas & extremæ amarulentiæ à peccatorum fœditate & multitudine, diuinæque iuſtitiæ offensâ recordatione elicitas & profuſas lacrymas à concepto è benigniſſimi numinis miſericordiæ immenſitate gaudio & voluptate plurimis partibus ſuperari. Hoc accuratiùs perpendens videor hîc rectè vſurpare poſſe, quod terſiſſimæ eloquentiæ hoc ſeculo noſtro Scriptor, de profanioribus amoribus, caſtis tamen, mirâ & vix imitabili elegantiâ ſcripſit, ſacratioribus illis per pium erga Deum affectum & indicibile de miſericordia eius fiducialiter conceptum gaudium excuſſis fletibus accommodare: *Tunc etiam dolorem placere, & ipſi ſibi cladem ſuam inter ſuſpiria recognoſcentem miſerabilem animum, liqueſcere in delicata triſtitia voluptate.* Et vt reliqua iam prætereeam, quæ non diſcurſus ſed integrorum librorum res ſunt, ac pridem etiam multis & grandibus voluminibus Chriſtianum orbem compleuerunt, quis ſine interioris mentis dulcedine memorâ recolere, quis ſine piè & ſalubriter mixtis doloris & lætitiæ lachrymis effari poſſit, efficaciſſimum illud Bloſianum contra deſperationem Alexi pharmacum: *Millies lapſus, millies reſurgas*: dummodo tamen ab altera ſimul parte ſacræ etiam ſcripturæ memores ſimus, quæ ſeriò monet, vt: *qui ſtat, videat, ne cadat.* Quo dicto non tantùm ab improuida ſecuritate abſterremur, ſed etiam impoſterum recidiuam incurrere vetamur, & à

nouis peccatis cauendum esse instruimur. Istâ enim ratione regiâ viâ neque ad dextram neque ad sinistram declinando incedemus, nec minùs desperationis charybdim quàm impiæ de diuina misericordia præsumptionis scyllam felici remigio præternauigabimus.

136 Constito igitur, quod per superiora satis euictum esse confido, esse verum aliquod licet alteri isti, quod in futura erit, minimè comparandum huius vitæ BONVM SVMMVM, videamus iam, quinam de illo olim rectè senserint? quid hodie de illo tenendum sit? & quibus illud in rebus consistat? Huic negotio, quod totius instituti nostri præcipuum & maximum est, debitè perficiendo, opus & operæ pretium est, recensita supra diuersorum hominum sectarumque de hac quæstione sententias & opiniones examini subdere, & quænam ex illis hinc vel veræ, vel vero proximæ & tolerabiles fuerint, atque ideo omni ex parte improbari nequeant: inde à veritate longiùs abeant, eaque de causa reijculæ videri & abominabiles haberi mereantur ad ἀληθείας λάμπαδα explorare; vbi in Aristotelis honorem à Peripato initium fiat. Cùm enim à multis iam seculis Philosophia eius supra omnes, ne Platone quidem excepto, sublimetur, atque adeò in scholis regnet, videor Rhetorico etiam artificio constringi, de illa & circa thema nostrum dogmate eius aliquid præmittere, nec prius, licèt nonnihil ita agens à factæ in præcedentibus partitionis methodo recedere dici possim, sententiam meam satis peritè proponere posse, quam in boni materia probatissimum iudico, nisi vel Aristotelicis prius profligatis, vel, saltem quæ Aristotelis de illo doctrina fuerit, expenso & ostenso.
137 Quo magis de ea re dubitare cœperim, Ciceron. de Finib. 5. liber in causa est, qui illic Antiochum Ascalonitam, vt satis apertè præ se fert, secutus, veterem Academicam & Peripateticam Philosophiam vnam facit, & de summo hominis bono idem docuisse asserit. Vtque tantò minus de isto sensu eius ambigi possit, nobilissimæ in omni Philosophia assertionis de solius virtutis ad beatam vitam sufficientia (quod istius libri thema est) Marco Pisoni Peripatetico, Staseæ Neapolitani discipulo, tutamen committit. Absque hoc esset non tantùm ex Laërtio omnibusque alijs, ac inprimis ex ipsomet Aristotele, tam dilucidè videtur constare, non in solius animi bonis, sed coniunctim illius, quæque corporis & fortunæ sunt, hominis felicitatem consistere, Stagiritem nostrum asseruisse vt vix probabilis supersit dubitandi color. De ista re hisce scribit formalibus prædictus auctor*: esse Aristotelis doctrinam, *ad infelicitatem sola vitia sufficere, sed virtutem solam ad beatitudinem non item.* Constat idem tam clarè è libris Nicomachicis, vt nullum supersit Aristotelicis effugium, quin fate-

*Diogen. Laërt l. 5. de vitis Philosoph. in Aristot.

ri co-

ri cogantur, veriſſimum eſſe, quod de illorum ſecta vulgò tenetur, præ-
dictusque ac alij auctores de illa teſtantur & affirmant. Quamuis autem 138
omnis dubij expers non ſit, ſitné Ariſtoteles librorum ad Nicomachum
auctor, quod à multo tempore perſuaſiſſimum habetur, eò quòd antiqui-
tus Nicomacho Ariſtotelis filio aſſcripti fuerint, ac Laërtius non tantùm
in huius Philoſophi librorum catalogo illos prætereat, ſed alio etiam lo-
co, vbi de Eudoxo agit, & Nicomachum citat, huic Philoſophi filio eoſ-
dem adiudicare videatur (quæ enim illic Nicomachum ſcribere ait, in his
ipſis ad Nicomachum vulgò inſcriptis libris * leguntur, nihilominus ta- * l. I. ante fin.
men ſufficientia & valde ſtringentia ſuperſunt aliàs contra Ariſtotelem
argumenta, qui libens volensque prætermittit, hâc vice vrgere abſtineo.
Ne enim iuſtò longior ſim, dumque prolixiori diſputationi moroſiùs im-
moror, ad ea, quæ ſuperſunt, properare, huiusque diſſertationis exitum
quærere negligam, & hac & ſequenti de cauſa quæſtionem propoſitam,
quidnam ſcilicet de vita beata, ſiue hominis felicitate propriè ſenſerit &
prodiderit, pro hac vice in medio relinquere conſultiùs iudico, quamuis
non neſciam, quid nuperrime hodieque (ne quid de antiquioribus ope-
rum Ariſtotelis Interpretibus memorem) in ſcholis noſtris hac de re ple-
rique doceant, & complures ſcripſerint. Nam & in ipſius Ariſtotelis ho-
norem, ne nimis proteruè ipſi inſultare, & de hac nobili quæſtione, ſi
quocumque modo iſtâ infamiâ liberari poſſit, opinionem illam, quam
inter omnes philoſophicas viliſſimam & abſurdiſſimam iudico, temerè
adſcribere, adeoque alienam litem parum conſultè meam facere, crabro-
nesque irritare velle, iuſtè culpari poſſim, licebit, puto, citra cuiusquam
iuſtam reprehenſionem inuidioſam hanc quæſtionem, auctorem quod
attinet, diſſimulare, & indiſcuſſam transmittere. Ad id faciendum hoc
quoque me allicit, quòd de Platonis & Ariſtotelis conſenſu extet neoteri-
ci inter Italos acutiſſimi & fundatiſſimi auctoris præclarum opus, cui co-
namini in vtriusq; Philoſophi honorem ſummopere faueo, quamuis ſci-
am in plerisque, vel ipſo Ariſtotele Iudice ſine alicuius fructus & ſucceſſus
ſpe illud in vanum tentari. Attamen antiquitus quoque Porphyrius, teſte
Suida, 7. libros ſcripſit, vt præbeat vnam eſſe Platonis & Ariſtotelis ſe- 139
ctam. Dimiſſo igitur homine, de re ipſa paucis dicetur, citra tamen repe-
titionem illorum, quæ in præcedentibus* vbi re ita exigente obiter quæ- * ſup. p. 3. &
dam huc facientia attingi debuerunt iam allata ſunt. Cùm igitur ſapien-
tiſſimis quibusq; & olim & nuper placuiſſe, ac etiamnunc placere an mad-
uertam, non in alia re, quàm quæ in hominis poteſtate ſit, felicitatem po-
nendam eſſe, prout illud ante omnes alios, in gemmeo potius quàm aureo

en-

enchiridio suo Epictetus tam dilucidè asseruit, vt dissensionis nos pudere debeat, meritò inde excludimus, quæ fortunæ & casus sunt, & præterea non minus ad bonum, quàm malum indifferenter se habent; ideoq; diffiteri nequeo, nullam mihi videri ex omnibus philosophicis sectis deteriorem minusq; amplectendam esse quàm hoc elumbe, eneruatum, & effœminatum delirandi potius quàm philosophandi genus, & peruersissimum illorum dogma, per externorum & corporalium bonorum priuationem, de toto ipsius felicitatis statu nos deiici, & omni possessione eius priuari. Hæc enim est illa ipsa doctrina, quam Laërt. lib. 5. Aristoteli adscribit: *Virtutem ad beatam vitam sibi minimè sufficere quippe corporis bonis, & exterioribus indigere. Miserum atque infelicem fore sapientem, siue doloribus affligatur, siue inopiâ, & cæteris huiusmodi incommodis prematur*. Ad eandem classem referri merentur sequentes assertiones, siue antiquitus illæ quibusdam probatæ fuerint, siue etiam hodie adhuc doceantur: *Vacuitatem doloris, qui ad tactus sensum pertinet, ad felicitatem hominis necessariò desiderari; vitæ diuturnitatem ad eandem meritò requiri; non omnem hominis ætatem felicitatis capacem esse; gaudium etiam ex animi errore proueniens ad felicitatem facere; Stoicos & Epicureos philautiâ decipi; dum felicitatem nobis arbitrariam esse asseuerant; inualida esse eorundem argumenta, quibus mortem è malorum numero eximere laborant*. Hæc enim si vera sint, paucorum hominum sit beatitudinem sectari, paucissimorum consequi, quod à veriori Philosophia, quæ mortalium neminem, dummodo ipse velit, ab illa arcet & excludit, alienissimum est, vt statim videbimus. Ac sanè nihil fingi potest humano genere miserius, si extrinsecus quærere debet, quod domi reperiendum est; si felicitas nostra ex aliena libidine dependet; si inuitis nobis & reluctantibus eripi potest. Hanc incertitudinem Peripateticorum dogmatum, & Aristotelicam fluctuationem, de summi boni siue beatæ vitæ quæsito, quod vnum est, mox referendo auctore teste, quod Philosophia spectare & sequi debet, præter illa quæ iam dicta sunt, de affectata huius Philosophi obscuritate, vix aliunde melius apprehendamus & conciliemus, quàm ex Cicerone, qui accuratè sanè & de alijs sectis, & vel maximè de hac ipsa agit, tum in reliquis de Philosophia scriptis suis, tum vel inprimis in vltimo de Finibus libro, è quo solutio huius perdifficilis nodi petenda esse videtur. Disertè enim illic Tullius largitur, quod Peripatetici tractantes de beata vita, & an illa sit tota in potestate sapientis sita, an verò possit labefactari, aut etiam in totum rebus aduersis eripi disquirentes, nonnunquam in ea re inter se variare & dubitare videantur. Facit ibidem distinctionem inter Aristotelicorum scripta, quam ipsiusmet Ciceronis verbis referre

præstat;

præſtat: *De ſummo autem bono, quæ duo genera librorum ſunt, vnum populariter ſcriptum, quod* ἐξωτερικὸν *appellabant; alterum limatius, quod in commentarijs reliquerunt, non ſemper idem dicere videntur.* Ex hiſce Ciceronis verbis admodum probabiliter elicitur, Ariſtotelem & eius Sectatores in illis publicatis prioris claſſis libris ſuis, & cum vulgò promiſcuè communicatis, magis ad captum popularem, & caueæ ſupremæ plauſum ſe accommodâſſe; in reliquis domi ſeruatis & artis, vt vocant, filijs ſeparatim deſtinatis, ad ſenſum Stoicum & generoſiorem de humana felicitate doctrinam propiùs acceſſiſſe, eaq; ratione aliquanto ſublimiùs & diuiniùs, quàm vt apud plebem profiteri auderent, illaque conuenire putarent, philoſophati eſſe. Quod autem illic ſubiungit Cicero, in ſumma tamen apud Peripateticos varietatem vllam non eſſe, nec inter illos diſſenſionem in huius quæſtionis pertractatione reperiri animaduerti, id quomodo intelligendum putem, vbi ad ſummi boni gradus eiuſque excellentiæ differentias peruenero, expediam. Sed dimiſſâ generali huius abſurdæ ſententiæ impugnatione; quamuis concedere & fingere nobis libeat, eſſe illam in cæteris 140
hominum generibus quodammodo tolerabilem, certè Chriſtianis minimè conuenit, ſacriſque noſtris ac ſanctiori doctrinæ omnino contraria eſt; nec in vllis minus inter fidei noſtræ conſortes, quàm religioſum, vt vocamus, ſtatum amplexis, & votorum ſanctitudine Deo ſuo præ reliquis propiùs coniunctis arctiuſque initiatis ferenda eſt. Hâc enim ſtante & præualente ſententiâ ipſum veritatis os (quod vel cogitâſſe ſummi horroris ſit) mentitum fuerit, quando ait*: *Beati, qui lugent; Beati, qui perſecutionem patiuntur; Beati eſtis, cùm maledixerint vobis* (Apoſtolis) *& perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſùm vos, mentientes propter me.* Quod
autem Hiero-monachos, vt à Græcis meritiſſimè vocantur, & cœnobiticæ vitæ conſecratos attinet, illorum ſtatui & profeſſioni profanum illud de beatitudinis per corporalium afflictionum tædia & externorum commodorum indigentiam fabuloſè confictæ ereptionis commentum è diametro aduerſatur, eò quòd non diuitijs tantùm, ſed in vniuerſum omni etiam minimarum rerum proprietati per paupertatis votum (quotquot enim illud & duo alia, in quibus formalitas & eſſentia ſanctioris illius inſtituti conſiſtit, ſolenniter, vt moris eſt, emittunt, illi verè Monachi ſunt, quocumque tandem nomine ſe appellent & vocentur) ſe abdicârint, honoribus etiam & dignitatibus reliquiſque eiuſdem generis ſolatijs per ſimilem obedientiæ ſolennem appromiſſionem in perpetuum ſe priuârint, niſi fortè Superioribus ſuis aliter videatur, quibus volentibus, vice verſâ etiam inuiti, quæ longè maior adhuc mortificatio eſt, honorum onera

* Matt. c. 5.

141

suscipere coguntur: atque isto casu secundùm erronei istius, in cuius re-
futatione versamur, sententiæ principia ex æquo saltem cum inhonoratis
infelices sunt. Quid igitur absurdiùs comminisci possimus, quàm illis
omnimodam beatitudinem abrogare, quos ad longè sublimiorem &
perfectiorem eius gradum feliciter ascendisse, ac cœlestem fere secundùm
vocationis suæ normam & regulas in terris vitam agere, fateri debeamus:
Hoc enim modo plus tribuatur profano etiam ab ipsis gentilibus Philo-
sophis improbato errori, siue ille Aristotelis, siue quorumcumque alio-
rum fuerit, quàm ipsismet Christianismi fundamentalibus legibus, Eccle-
siasticæ Hierarchiæ maiestati, & totius sacræ disciplinæ venerandissimis
142 prærogatiuis.
Expeditus hisce, quibus me vel inprimis irretiri posse timui, pedicis;
transeo ad præcipuam huius discursus mei partem, quâ ostendere, omni-
busque probatum facere constitui, in Stoicæ & Epicureæ de summo bo-
no Philosophiæ coniunctione & mixtura, huius tot seculis disputatæ litis
victoriam, & veritatis è Democriti puteo, in clarissimam, vt spero, lucem
143 eductæ apicem & summitatem quæri oportere & sitam esse. Nec nouum
est hoc commentum meum, sed non tantùm antiquitus inter gentiles
Philosophos à Calliphone & Dinomacho doctrina hæc asserta & defen-
sa fuit, verùm etiam ipso Christiano dogmati sacrisque literis & omnium
temporum de saluifica fide nostra Ecclesiasticis Scriptoribus conformis
est, quod vt tantò faciliùs obtineam, & luculentiùs ob oculos ponam ad
ipsos Theologos nostros, animarum Curiones & conscientiarum Recto-
144 res, prout paulò post sequetur, prouoco. Non possum autem non dolere
summorum, quos dixi Virorum vicem, quod cùm in negotio tam sancto
& omnium, in tota philosophia primario, rem acu, quod dicitur, tetigis-
se, omneque tulisse punctum celebrandi sint, antiquis tamen Scriptori-
bus (loquor de illis, quorum ad nos scripta peruenerunt) nec de nomine
noti fuerint, præter solos Ciceronem & Lactantium, tantùm abest, vt de-
bitos honores meritamque laudem à quoquam consecuti sint. Nam &
Firmianus, quem dixi, quod factum non esse, quia Christianus fuit,
optarem & mallem, non aliter prædictorum Philosophorum meminit,
quàm vt reprehendat; quod tamen tantò æquiùs ferri, & eò libentiùs hu-
ic Christiano Ciceroni nostro condonari potest, quòd in eodem, quo
* pa. 28. omnes fere reliqui de Epicurea voluptate, errore versatus fuerit. Mitiùs
cum illis à Cicerone actum, qui non tantùm, vt supra * vidimus, horum
philosophiam reliquis sectis annumerat (idem etiam à Varrone fit, ipsum
dogma quod attinet, nam de auctoribus eius altum apud illum silentium

est) sed etiam assertam à prænominatis virtutis & voluptatis copulationem inter tolerabiles & omni ex parte non improbandas de summo bono sententias * recenset. Idem fit à Chrysippo, vt idem Cicero alleg. loco * testis est, vnde etiam huius Calliphoniæ sectæ antiquitatem colligimus. Nec enim verisimile est, fuisse illum istius de coniungenda cum virtute voluptate mentionem facturum, nisi iam tunc eius tempore, qui illam docerent, extitissent, ita vt ipsius Zenonis & Epicuri, vel saltem Cleanthis aut Chrysippi æuo prodijsse videatur. Nam anteriorem fuisse minimè probabile est, cùm fere soleant simplicia ea, quæ ex illis componuntur, temporis ordine præuertere. Sed de his, quæ de Chrysippo dixi, ipsemet Cicero audiendus est, cuius in Lucullo non de illo solo sed etiam de Carneade verba sunt. *Testatur sæpe Chrysippus tres esse sententias, quæ defendi possint, de finibus bonorum: circumcidit & amputat multitudinem. Aut enim honestatum esse finem aut voluptatem aut vtrumque* Hoc Tulliano testimonio nil potest dici clarius, nec cuiusquam eget dilucidatione, reliqua quæ sequuntur, quia faciunt ad diuersarum sententiarum conciliationem, suo loco reseruantur. De Carneade, quæ refert, in sequentem se modum habent, *cuius quidem* (Calliphonis) *sententiam Carneades ita studiosè defensitabat, vt eam probare etiam videretur.* Rursus in eodem loco de præfato Chrysippo dictus auctor: *Vnum igitur par, quod depugnet, reliquum est, voluptas cum honestate; de quo Chrysippo fuit, quantum ego sentio, non magna contentio.* Ex istis omnibus quis velit aliud concludere, quàm & Academicorum & Stoicorum, ipsorummet confessione propriâ quidissimè constare & euictum esse, sibi cum voluptatis assertoribus certamen non esse, siue Epicurei illi, siue Calliphonij dicantur, atque inde hoc quoque euidens esse castam illam & verè sanctam voluptatem, quam hi asseruerunt, & illi improbare nequiuerunt, non esse illam censualem & turpem, vulgato illo quantumuis antiquissimo, confictio tamen & ementito errore illis adscriptam, sed è virtute honestissimo ortu progenitam. Ex ijsdem locis putârim etiam me non malè collegisse, etiam Ciceroni prædictas Chrysippi & Carneadis opiniones non improbatas fuisse circa Calliphonis & Epicuri dogmatum approbationem; quamuis enim Lucullum illic introducat ab vtroque dissentientem, tam frigidè tamen ea in re agit, & ab omni abstinet refutatione, vt hoc vnum studiosè cauere voluisse videatur, ne dici posset, apertè ab Academicis desciuisse; de cætero apertissimam veritatem oppugnare verecundatus fuit.

* l. 3 de finib.
* li. 2. ac. q. qui Lucull. inscribitur
145

Quoniam autem huius hactenus paulò obscurioris de beatitudine dogmatis veritas suam dependentiam & consequentiam habet, ex Epicu-

reæ voluptatis vero intellectu æquus lector mihi rogandus eſt, ne me niſi prius auditum deceptionis & falſitatis condemnare acceleret, memor veteris ſententiæ:

Ad pœnitendum properat, qui citò iudicat:

ſed potius iudicium ſuum de tota hac re eò vſque differat, donec in ſequentibus ſuo loco, quid de Epicuri dogmate mentis habeam, & in quo ſenſu illum voluptatem aſſeruiſſe putem, prius cognôrit. Hoc in loco præſupponere ſufficit, non aliam Epicuro placuiſſe voluptatem, quàm quæ ex virtute oritur, & illius tanquam originis & cauſæ ſuæ fructus eſt, quâ conſiſtente interpretatione nil aliud fuerit Epicurei horti ἡδονὴ, quàm Stoicorum aliorumque animi tranquillitas, Ariſtotelicorum gaudium & Chriſtianorum bona conſcientia, & ſi qui præterea ſunt, qui pulcherrimam iſtam virtuoſarum actionum ſobolem & germen quocumque alio nomine vocitârint. Sepoſito autem Epicuro, cuius litem me me-
146 am non velle facere iam ſupra paucis attigi, & poſtmodum pluribus adhuc, ad tantò curatiùs amoliendam cauillis deditorum, quorum morſus, vt nunc mores ſunt, effugere difficillimum eſt, calumniam deducere conſtitui, non minùs ex rectæ rationis ductu, quàm etiam Chriſtianæ fidei principijs probari poteſt, vtque propoſito noſtro ſatis fiat, oſtendendum eſt, virtutem ſibi ipſi ſatis præmij eſſe, nec vllis externis adminiculis, ſi illa aſſequi nequeat (nec enim illa dedignatur & contemnit, dummodo ſat commodè & ſine ſui ipſius violatione, obtineri poſſint, ſed potius ad tantò validiùs & generoſiùs vires ſuas exerendas ex illis ſuppellectilem ſibi concinnat, & arma fabricatur) opus habere; ad cuius probationem rationibus modò allegatis omni refutatione & euerſionis periculo longè robuſtioribus, tum infinitâ fere apud Hiſtoricos omnium ſeculorum exempla, planè heroica & abſque ſumma admiratione nequaquam rememoranda, tum etiam diuerſorum illuſtrium & fide digniſſimorum auctorum, inprimis Philoſophorum & Poëtarum, graues ſententiæ & veraciſſima teſtimonia ſubſcribunt & aſtipulantur. Inter exempla illa apud Græcos Ariſtidis & Photionis, apud Latinos C. Fabritij & M. Curij, totiusque longo tempore Tuberonum familiæ, admodum illuſtria & diuerſorum encomijs celeberrima ſunt; quorum virtutibus tantum abeſt, diuitiarum defectum obſtitiſſe, & detrimento fuiſſe, vt potius contemptus opum illas plurimùm honeſtârit, & cumulatiores fecerit. E Poëtis Horatium & Claudianum ſpeciminis loco adduxiſſe ſatis ſit, quorum prioris in elegantiſſimis odis eius ſequens eſt virtutis elogium:

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ

Inta-

Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Alter in proœmio Panegyrici, cuius initium est: *Ipsa quidem virtus*, &c. iti-
dem veris illam coloribus in eandem sententiam satis graphicè depingit;
cuius generis egregiæ laudes in diuersorum tragœdijs, quæ vni Senecæ
attribuuntur, & apud diuersos alios leguntur. E Philosophis Epictetus &
L. Seneca cuiuis abundè suffecerint & satisfecerint, quibus vtinam M.
Bruti de philosophia, Ciceroni & Quintiliano summè probatum & lau-
datum opus, adiungere liceret, quod temporis iniuriâ interceptum instar
omnium esset: eius locum Tullianæ viuaciores vigiliæ præclarè supplent,
vtque immanem illam iacturam tantò æquiùs feramus, facilè à nobis im-
petrant. Illius enim de Finibus & Tusculanarum vltimi ad hanc rem ap-
primè facientes libri non legi tantùm, sed etiam edisci merentur. Quod
igitur de virtutis præmio non alibi quàm in ipsamet virtute quærendo
dictum est, eò potissimùm spectat, vt, quod consecutus est bonum, pos-
sessor eius agnoscat, atque ita verum & solidum fructum ex illa capiat.
Nullatenus enim is felix dici meretur, qui felicitatem suam ignorat, atque 147
ita veritatis fundamentum vanarum opinionum & fallacis persuasionis,
cuniculis & subfossionibus ipsemet labefactat & euertit. Atque hoc
ipsum est, quod alicubi verissimè scribit Sfortia Pallauicinus illustrissimæ
prosapiæ eruditissimus & facundissimus Scriptor, quando *opinionem ipsâ* * l. 4
veritate plus efficere * scribit. Hactenus enim istam opinionis operationem de Bo
admitto, vt, quod verè habemus, falsâ persuasione suâ eripere, non, vt no.
id, quod non tenemus, tribuere nobis possit. Hæc enim, si quis verè felix
dici, & bono suo frui debeat, vt coniungantur, necesse est, vt tam causam
eius intelligat, quàm proprietatem & assecutionem nôrit, atque eâ ratio-
ne in diuina clementia, bonitate & gratia, cui omnia humiliter & piè ad-
scribenda sunt, nec proprijs viribus, quæ potius infirmitas & imbecillitas
dici merentur, fidi debet, tranquillè & suauiter acquiescat. Possent hæc
longè prolixiùs & speciosiùs explicari, si vel paulò ieiunioris & fere ex-
temporanei discursus angustiæ latiora spatia admitterent, vel etiam rei
ipsius euidentiâ laxiores lacinias requireret: quia enim persuasissimus
sum, ea quæ dixi & asserui, de necessaria ad huius seculi beatitudinem as-
sequendam & conseruandam probæ actionis & bonæ conscientiæ indis-
solubili sociatione à nemine negatum iri, piget me, & verecundor in
causa facili facundus videri velle, ne apud cordatos vanæ ostentationis su-
spicionem incurram. Hoc vnum præterire non debeo, quod inter omnes 148

totius huius disputationis probationes palmarium censeo, & pro Achil-
le, vt in scholis vocant, haberi desidero, quod ad pœnitentiæ tribunal
& conscientiarum Iudices huius dubij, si quod fortè apud aliquem super-
sit, resolutionem deferre constituerim, ac hoc præcipuè in loco dissoluen-
dum exhibeam. Satis enim commemini, me antehac à non vno illorum,
qui confessionibus excipiendis occupantur, audiuisse conqueri, nullos es-
se, qui maius illis fastidium faciant, & difficilius negotium facessant,
quàm qui, in satis bono statu constituti, & è quorum confessione vix ali-
quâ absolutionis materiâ desumi possit, nihilominus animo sollicito &
anxio omnia etiam tuta timent, & ibi sibi terribilia imaginantur, & hor-
rorem incutiunt, vbi timor nullus est, nec anxietas aliqua esse debet. Hoc
pio, si ita vocare licet, vitio, deuotus ille fœmineus sexus præ reliquis fere
infestari & laborare solet, eò, quòd magnam partem eo destituantur,
* 2. quod ad conscientiæ examen vitiorumque à rectè factis discriminatio-
ad Ti nem instituendam requiritur, iudicio, de quibus etiam S. Paulum * lo-
moth qui, quantumuis generalior sit, enunciatio eius, quam vt ad hunc casum
ep. c. nostrum priuatim & solitariè trahi possit, dubitari non debet, quando
3. 149 scribit: *Semper discentes & nunquam ad veritatem peruenientes.* Periculosus
sanè, iuxta nimiam securitatem & inpœnitentem peccatorum indormiti-
onem, hæc vitiosè anxia scrupulositas & inania peccaminum monstra sibi
confingens imaginatio animi morbus est, ac non tantùm sæpiusculè ad
desperationem, quâ non est aliqua alia humanæ mentis labes perniciosior,
proximè accedit, sed etiam, quod exemplis probari potest, aliquando in-
150 currisse reperitur: quamuis fatendum sit, si præcaueri nequeat, quin in
alterutram partem declinetur, longè satiùs esse nimio potius se ipsum ti-
more fallere, quàm infestissimæ saluandis animis securitati plus iustò in-
dulgere, atque hac de causa vix quicquam in sacris literis diligentiùs præ-
cipitur, & spissiùs inculcatur, quàm vt modestè & humiliter de nobis sen-
tiamus, nec vltra, quàm expedit, in diuinæ gratiæ assecutione, meritisque
nostris confidamus. Huc pertinent saluberrimæ hæ sacræ paginæ admoni-
tiones: *In timore & tremore oportere nos salutem nostram operari*; *Nescire ho-*
* S. *minem amore an odio dignus sit*: *Nec de dimissis peccatis nos securos esse debere*,
Paul. & quæ eiusdem generis alia in diuini eloquij textu passim occurrunt. Ac
in ep inprimis ad hanc rem facit illud Apostoli *: *Nihil mihi conscius sum, sed non*
cap. *in hoc iustificatus sum*; quod saluberrimum dictum omnibus fidelibus pi-
4. 1. um horrorem, & mortificatorium interioris mentis & deuoti cordis re-
ad morsum non potest non incutere, ac vix quicquam est, quod efficaciùs ad
Cor. filialem Dei timorem nos excitare & allicere debeat, quam tantæ sancti-

taria

tatis & doctrinæ viri omnibus, qui æternitatem cogitant, & vniuersale il-
lud in extremo Iudicio præmiorum pœnarumque distributorium animo
suo, vti verè pium & iustum, æquum & salutare est, iugiter obuersari faci-
unt, summo studio imitandum exemplum. Quid enim nobis faciendum
non est, si hîc sacræ doctrinæ præcellentia Apostolorum omnium Prin 151
ceps non rarissimo tantùm sed verè vnico, nec vllius mortalis admiratio-
ne exæquando miraculo ad Christum conuersus, & ex acerrimo persecu-
tore in constantissimum Confessorem transformatus insuper, quod in
huius, quæ sub manu est, rei consideratione, omnium facilè maximum
est, per raptum in tertium cœlum, quod sanè inter omnes, quotquot vn-
quam fuerunt, scholas & studiorum gymnasia meritissimo Iure Acade-
micum principatum tenet, arcana verba & mysticam sine alios eam do-
cendi facultate Theologiam edoctus diuinæ gratiæ certitudinem sibi pol-
liceri ausus non est? Huius rei consideratio, quod obiter intexere liceat, 152
primo intuitu non parum terribilis videri potest, soletque Catholicis à
nostrorum temporum & proximè euoluti seculi Sectarijs obijci quasi in
grauissima re & ipso capitali Christianæ professionis puncto (per meram
tamen calumniam illos hoc specioso prætextu traducentibus) miserè flu-
ctuantibus, deque salute æterna incertis obijci, qua tamen in re dum ali-
os se confundere, & fœdi erroris conuincere posse persuasum habent, &
in vanum arguere annituntur, nil aliud lucrantur, quàm quò d seipsos ex-
plosioni exponunt, suamque in rebus theologicis, & diuinæ scripturæ,
quam tamen nunquam non venditant, & in ore habent, ignorantiam lin-
guâ & calamo è cathedris & pulpitis pro concione & lectione, publicisque
scriptis & lucubrationibus produnt, & omnibus manifestam faciunt. Sa-
tis bene enim à Catholicorum parte, circa prædictum salutis nostræ nego-
tium se res habet, pro quibus hac in quæstione, dum præmissis à supina se-
curitate & stolida arrogantia nos reuocantibus monitis piè & humiliter
obsequimur, vicissim ad consolationem nostram sacra eloquia fortissimè
admodum pugnant, & desperationis, quæ per calumniam non nobis tan-
tùm magnâ iniuriâ nostrâ, sed ipsimet Dei verbo insignita & execranda
blasphemia obijcitur, tuti & securi sumus memores illius Apostolici: *Spes
non confundit*. Quis enim desperationi locus esse potest, vbi sacræ isti spei
anchoræ fiducialiter adhæretur, & filialiter confiditur? vbi de prauè ad-
missis vera & seria pœnitentia agitur, diuinæque gratiæ benignitati &
misericordiæ omnium actionum nostrarum fabrica inædificatur? Hoc
enim fundamentum, quod nec ipsæ inferorum portæ & vniuersa orcina
potentia euertant, nullæ quantumuis subtiles & argutantes obiectiones,
nullæ

nulla humana ratio & versutia, nullæ scripturarum fallaces & falsæ allega-
tiones vnquam labefactabunt & conuellent; nec vnquam in desperatio-
nis barathrum præcipitabitur, qui Christi sanguine à peccatis nos purga-
ri firmâ fide, vt tenemur & iussi sumus, apprehendere non abnuet, eamque
generalem promissionem ad se quoque Ecclesiæ membrum & mystico
Christi corpori per sacra mysteria incorporatum pertinere piâ & viuidâ
confidentiâ sperabit. Et est sanè maximus minimeque dissimulandus aut
153 perdonabilis prædictorum hominum error, quod, nescio quo iudicio seu
cæcitate verius, ipsius scripturæ sacræ reformatores, imò conturbatores
potius, temerario ausu non verentur sacerrimam illam theologicarum
virtutum triadem non tantùm confundere, sed etiam mutilare, de-
truncare & eliminare, vsque adeò, vt spe ac charitate reiectis, vnius fidei
rationem habeant, eamq; ad salutem assequendam sufficere falsissimè as-
serant. Sed de charitate, quam eo ipso, quòd hominis coram Deo iustifica-
tionem solâ fide perfici docent, non minus quàm spem, theologicarum
virtutum tertiam, sed in ordine secundam, reijciunt, non est hic agendi
locus, sed peculiari tractatui, quo sola bona opera coram Deo nos iustos
facere, perque Christi meritum & passionem æternæ vitæ præmium no-
bis conciliare & acquirere ex ipsis solidissimis Christianæ fidei princi-
pijs, sacratiorique theologicæ sapientiæ medullâ irrefragabiliter demon-
154 strabitur, reseruatur; Quid hîc per iustificationem solorum operum in-
tellectum velim, videtur obiter saltem explanandum esse, ne inopinatâ
& hactenus, quod sciam, insuetâ oculis & auribus nouitate, non minùs
communionis meæ homines, quàm qui alijs addicti sectis sunt, perculsi
primo intuitu scandalum patiantur. Hæc igitur mens mea est, ipsam et-
iam saluationem fidei, quâ solâ, qui se Euangelicos & Reformatos vo-
cant, contenti sunt, non aliter quàm per bona opera fieri, eò quòd fidei
aliarumque virtutum actiones nil aliud sint, quàm opera bona, nec vel à
reliquis virtutibus theologicis associata & adiuta secundùm Ecclesiæ an-
tiquam & veracissimam doctrinam vel ab illis disiuncta & abstracta, quæ
noua opinio prænominatis magis placet, in Christum fides nos aliter sal-
uare queat, quàm operationibus & actionibus suis. Habitus enim fidei (qui
ipse tamen nonnisi per actiones præcedentes acquiritur) adeptam qui-
dem diuinam gratiam conseruare potest, primitus autem acquirere, aut a-
missam recuperare non potest sed istis casibus actuum eius exercitio opus
155 est, & ad mandatum Apostoli *fides ex operibus ostendi* debet. Sed reuertor
ad propositum; Spem igitur quod attinet, vix crediderim in fidei rebus &
salutis negotio nocentiorem & teteriorem hallucinationem committi
posse,

posse, quàm si fides & fiducia, quod à Sectarijs fit, pro vna eademque re habeantur, quæque sperare sufficit, etiam credi iubeantur. Ad fidei enim 155
materiam particularia & indiuidua minimè pertinent, sed in meris generalibus illa consistit; spes autem istam fidei generalitatem Christi fidelibus in particulari applicat. Nec vnquam auditum est, ad Christiani hominis professionem & officium pertinere, ac vel minimo aliquo sacrorum Bibliorum apice eò nos inuitari, vt ea, quæ falsa esse possunt, firmâ fide nobis persuadeamus, ad quam classem sine omni dubio pertinet, singularium hominum in abstracto æterna salus. Sunt quidem cognatæ & nequaquam ab inuicem separandæ virtutes Fides & Spes, quo etiam S. Paulus * respexisse putandus est, quando scribit: *Fidem esse rerum sperandarum*; sed ex eo non sequitur, nobis licitum esse illas non tantùm inuicem permiscere, sed etiam vtramque vel alterutram è medio tollere, & ex SS. illo saluificarum virtutum choro exterminare. Maneat igitur, quæ Christiana veritas & fundatissima assertio est, firmum & inconcussum, Christi Sanguinem nos ab omni peccato purgare; omnes, qui in Christum credunt, non perituros, sed æternam vitam habituros, & quæ in eandem sententiam ad vnam & eandem fidei generalitatem pertinentia plurima & solatij plenissima in Euangelicis & Apostolicis scriptis continentur, sed præterea hoc quoque maneat, & inconuulsum persistat, quæ superiùs de salute singulorum cum timore & tremore operanda de incerto & fallibili conscientiæ cuiusque testimonio, de diuinæ gratiæ indiuiduali incertitudine de amoris & odij pariformi ignorantia allegata sunt. Fides enim circa thesin versatur, hypothesis spei obiectum est, quodque illa ad omnes ex æquo, dummodo se tanti boni participes faciant, pertinere firmiter credit, illud hæc per humilem & fiducialem consolationem salubriter sibi applicat, & in diuinæ misericordiæ incomprehensibili efficacia & immensitate timorosè pariter & suauiter acquiescit. Istisque ita 156
se habentibus nullatenus dubitemus, non esse fidei articulum Meuium, Titium, Seium & Sempronium, sub quibus è iuridicarum pandectarum libris desumptis nominibus fictis quoslibet Christianorum in particulari & indiuiduo intellectos volo, æternæ beatitudinis compotes fore, & saluatum iri. Et quis tam stultus & ineptè arrogans esse velit, quod ipsa scriptura sacra * ipsum nescire dicat, vt illius non tantùm certam scientiam sibi imaginetur, sed etiam inter fidei articulos, à quibus sine æternæ salutis dispendio recedi nequeat, referendum esse prætendat. Hanc nobis, qui Christianâ professione censemur, scitu apprimè vtilem, imò verius admodum necessariam rem, sine qua præsentis vitæ nostræ status be-

* in epist. ad Hebr. c. 11.

* Eccl. c. 9.

atitudinem ſuam tueri nequit, eaque ſi careamus, ad pacem æternitatis
& cœleſtem omni carentem fine & modo felicitatem pertingere non
poſſimus, paulò propiùs & diligentiùs contrectare viſum fuit, ne, quod
præcipuum eſt, & in omni ſtudiorum parte quâcumque datâ occaſione
maximè curandum & inculcandum eſt, anſâ tam commodâ & luculen-
tâ prœbitâ neglexiſſe, ipſamque etiam profanam philoſophiam ad ſancti-
oris ſapientiæ non inſcitam, vt arbitror, illuſtrationem applicare, con-
tempſiſſe videar. Sed è diuerticulo, quod tamen à negotio ſub manibus
verſanti alienum non fuit, & ad veram illorum, quæ affirmantur, intelli-
gentiam, vt cauillationes & calumniæ, à quibus hoc tempore apud ali-
quos nihil fere tutum eſt, tantò meliùs amoliendas plurimum, ni fallor,
157 conducit, in viam redire tempus eſt; quò reuertens repeto, atque iterum
iterumque mihi veriſſimum videri profiteor, adhibitâ iſtâ, quæ de ni-
mia euitanda confidentia attexenda duxi, modificatione & tempera-
mento tam Chriſtianis moribus & inſtitutis præ reliquis omnibus genti-
lium Philoſophorum ſectis & dogmatibus Calliphoniam de ſummo bo-
no ſententiam concordem & conformem eſſe, quàm aliàs etiam per ſe
rectæ rationi ac bene beateque viuendi principijs optimè conuenire.
Hac de re, vt tantò meliùs capiar, ſemel hîc mihi dictum & vbique in
158 præſenti diſcurſu intellectum eſto me ad rem Chriſtianam ſpectantia
placita gentilium Sapientum traditis & hæc illis non largiùs & ampliùs
conferre & exæquare, quàm quatenus cum ſacris profana, cumque hu-
manis diuina conſiſtere, & parallelo gradu incedere poſſunt non imme-
159 mor, quid inter veras virtutes & illarum ſimulachra interſit. Iſto ſaluo
non conſtitui ethnicos illos virtutum magiſtros conuitijs excipere, nimi-
umque deprimere, ac omnimodo quaſi proſternere, nec etiam immodi-
cis laudibus plus iuſtò in altum euehere. In priori poſſent veterum aliqui
exceſſiſſe videri, niſi illorum tempore, quo Platonica philoſophia Por-
phyrij aliorumque patrocinio ſuperba necdum veriori & ſanctiori do-
ctrinæ noſtræ cedere, & cœleſti veritati faſces ſubmittere dignabatur,
ſed erectis contra illam cornibus tam inſolenter ſe efferebat, vt non tan-
tùm curſum piæ ad fidem conuerſionis impiè impedire, ſed etiam (prô
nefas!) Apollonium ſuum, magicas vanitates & nequitias Pythagorici
pallij perſonato velamento fallaciter & nefariè obtegentem ipſimet
Chriſto Domino ac Saluatori noſtro per ſummam blaſphemiam & men-
dacem impudentiam non conferre tantùm, ſed etiam præferre non abſti-
neret. Poſterius ſuperioribus ſeculis à nonnullis ſatis cautum fuiſſe non
videtur, atque vtinam hodieque in ethnicis Philoſophis æſtimandis intra

debitum

debitum Christianæ præcellentiæ modum consistatur; atque hinc ansam
putârim præbitam esse, Ioanni Baptistæ Crispo emittendi librum de Phi- 160
losophis cautè legendis, nec aliam causam permouisse nouimus Antoni-
um Posseuinum fulgentioribus suæ societatis luminibus meritissimo Iure
accenfendum, in eandem sententiam saluberrimas cautelas inserendi
præclaro operi suo, cui selectæ bibliothecæ inscriptio est, qui nominatim
etiam, quantum primo loco stanti tribui debeat, quousque Crispus,
quem dixi, opus imperfectum suum, fortè morte præuentus, non perdu-
xerat, piâ sollicitudine admonere non intermisit. Potiori autem Calli-
phonis de felicitate humana in virtutis & voluptatis coadunatione con- 161
sistente doctrinæ tantò plus tribuo, eoque maiori firmitate adhærendum
arbitror, quòd ipsemet etiam Plato eiusdem sententiæ non assertor tan-
tùm sed etiam primus, quantum sciri datur, introductor & inuentor fue-
rit. Is enim in Philebo suo, vbi ex professo, quod dicitur, de summo bono
tractat, disertissimis verbis id affirmat, prout per sequentem Marsilij Fi-
cini locum ex argumento eius in dictum Platonicum dialogum, cui præ-
figitur, desumptum, qui cum verbis & mente Philosophi, vti fidum in-
terpretem & explanatorem apprime decet, concordissimè concinit, cui-
uis intelligenti comprehendere datur. Miror autem summopere, rem vs-
que adeò notabilem scituque summè necessariam post tot seculorum
euolutionem sagacissimo isti Florentino homini omnium primo animad-
uersam fuisse, nam è veteribus aliquis, siue Latinus ille siue Græcus fue-
rit, nullibi, quantum ego quidem hactenus reperire potui, eius rei men-
tionem fecit. Verba Ficini hæc sunt: (malo enim huius potius, quàm ipsi- 162
us Platonis, dialogisticè Socraticorum more, adeoque paulò prolixius
hac de re scribentis formalia, quæ vocamus, referre) *Huius libri propositum
est, de summo animæ bono disserere, quod quidem summum bonum cum conditio-
ne quadam dicitur, cùm ipsum rerum omnium principium summum bonum abso-
lutè dicatur. De hoc igitur, quod cum conditione bonum, hoc in libro: de eo, quod
absolutum in Parmenide disputatur. Ab absoluto autem hoc manat, quemadmo-
dum lumen quoddam ab ipso luminis totius fonte dependet. Quamobrem in Phado-
ne & Theateto dictum est à Platone summum animæ bonum Dei similitudinem es-
se, nihil verò soli sit simile, nisi quâdam luminis ipsius infusione. Vnde & animæ
bonum erit integra diuini luminis consecutio. Id lumen in mentem primò, in volun-
tatem deinde descendit. In mente veritas, in voluntate gaudium: in mente am-
brosia, in voluntate nectar, à Platone hîc & in Phadro cognominantur. Itaque sum-
mum hominis bonum in sapientiæ voluptatisque mixtione locauit. Sed antè in sola
vel sapientiæ vel voluptatis ratione beatitudinem consistere posse negauit, ex eo,*

quòd triplex summi boni conditio in neutro reperiatur. Et paulò pòst: *Hæc* (beatitudinis requisita siue conditiones) *neque soli sapientiæ, neque voluptati sed mixto cuidam ex vtraque competere demonstrantur, vbi de voluptatis & sapientiæ genere, origine atque natura permulta dicuntur, de infinito & termino, de composito & compositionis principio; ac demum concluditur summum in natura bonum & absolutum* (per illud non alium, quàm ipsum DEVM intelligit) *esse mensuram vniuersorum, hoc est, totius naturæ principium: summum verò bonum mentis & animæ esse illius primi possessionem, quæ mixtioni ex sapientia & voluptate per veritatem, commensurationem & pulchritudinem conuenit, &c. beatusq; vir dicitur, qui & sapientiam diuinorum adeptus est, & humanorum peritiam scientiâ quâdam & arte & opinione constantem gaudio contemplationis totus exultat, voluptati sensuum eatenus se committit, quatenus sapientia scientiaq; & gaudium impedimentum inde nullum accipiunt.* Hactenus Ficinus; cuius verborum perspicuitas tanta est, vt non videam, vnde maior quàm ex illis ac inprimis ipso textu Platonico, cuius verum sensum elegantissimâ breuitate comprehendit pro huius philosophicæ veritatis, proque ipsius Epicuri, de quo breui pòst agendum est, defensione, & reprimendis calumniatorum ipsius falsis explicationibus clariùs & præclariùs dici possit. Dubito autem, an ad hanc Platonicam sapientiæ, id est, virtutis & voluptatis pro summi boni possessione assequenda coniunctionem Thomas

*sup p. 29 Garzonus respexerit, quando Platonem, vt vidimus *, hominis felicitatem in vnione ponere scribit, quod ex Plotino, quem istius opinionis consortem facit, explicandum esse videtur. Præter illa, quæ de Academiæ

163 Principe hactenus diximus, æquè validum pro Calliphonis tutiori de beatitudine & omnibus numeris absoluta philosophia argumentum est, idemque pro ipso etiam, quod summè mireris, Epicuro militat, quod ipsemet Chrysippus, prout Cicero, qui omni maior exceptione testis est, scriptum reliquit, neutrius opinionem improbabilem iudicet, sed vnà cum Stoica Epicuream ex æquo admittat. Ipsa verba Ciceronis adscribe-

*pa. re, quia aliâ occasione in præcedentibus * iam relata sunt, opus non est. Sensus illorum, quæ de hoc Solensi Sapiente illic refert, hic est, quòd secundùm Chrysippum tria sint probabilia de summo bono dogmata, vnum illorum, qui in sola virtute (hi, vt scimus, Stoici sunt) alterum, eorum, qui in sola voluptate (hoc Epicuro & sequacibus eius placuit) illud constituant, tertium, vtramque ad illud assequendum coniungentium (ita faciendum esse Tullio & illius, vt videtur, auctoritatem secuto Lactantio testibus Callipho eiusque vel socius vel discipulus Dinomachus sentiunt) quo testimonio nil potest dici de præsenti quæstione aptiùs & lu-

culen-

culentiùs. Quis enim maius aliquid & vberius requirat quàm ipsius Antagonistæ, vt vulgò putatur, consensum & approbationem & inuidiosæ rixarumque & odiorum plenissimæ litis factam sibi ab ipso collitigatore adiudicationem, ideoque nec verbum de tantæ euidentiæ re amplius addo. Facit autem, quod magnopere gaudeo, ac vel inprimis & per suppositos, vt iustissimè vereri possum, *doloso cineri ignes* incedenti mihi optandum fuit, hæc Chrysippea amica decisio ad tantò procliuiorem porticum & hortum in vnum conuertendi domicilium facilitatem, ad cuius vtriusque sectæ examen transitum facio, præmissâ tamen obiter de dictorum Philosophorum Calliphonis & Dinomachi hactenus minùs celebrium veris nominibus memoratione. Huius siue appendicis siue digressionis hanc causam habeo, quod in vtroque nomine Codicum manu Scripto- 164
rum, Ciceronem saltem quod attinet, lectio variet, qui alicubi Callippum alijs locis Calliphonem referunt, idem illis accidit in altero, qui modò Clitomachus modò Dinomachus scribitur. Apud Lactantium autem nonnisi Clitomachum reperimus, quantum in hac mea à musico armario absentia commemini, nulla Dinomachi in illius operum Codicibus mentio est, nisi quatenus in posterioribus ijsdemque correctioribus editionibus manus Critica è sincerioribus Ciceronis exemplaribus eius loco prius fortè reposuit. Quamuis autem hactenus nullus mihi Dinomachus apud quemquam veterum auctorum occurrerit, vix tamen dubito hoc verum esse, huius perfectioris philosophicæ sectæ Philosophi nomen; qua in re, eò quòd Iuris regula sit, cuique in arte sua credendum esse nominatissimis his Ciceronianorum operum Editoribus Lambino, Gothofredo, Gulielmio, & Grutero, facilè assentior. Clitomachi nomen tulit quidem Carthaginensis ille Academicus Carneadis discipulus, verùm is cum hac noua secta nihil commune habuit, nec reperitur à Præceptoris sui reliquorumque maiorum semita deuiâsse, præterquam, quòd Laërtius scribat, præter Academicam sectam in Peripatetica quoque & Stoica illum maximè versatum esse. Quod attinet Calliphonem, in præsens vsque nullus mihi eius nominis auctor occurrit, præter vnum, qui inter Plinianos auctores lib. 5. recensetur. Reperio quidem duos ad minimum Callippos, quorum vnus astrologica tractauit, alter Zenonis Stoici discipulus fuit, patriâ Corinthius, quorum neutrum puto ad istum nouæ sectæ conditorem pertinere. Sed missis his ad Stoicam philosophiam progredi- 165
or, quam tamen ideò succinctissimè expediam, quod inter reliquas sectas omnium fere, præsertim hanc nostram de felicitate humana quæstionem quod attinet, longè sit celeberrima, possintque de illa, præter veteres su-

pra * nominatos nostri seculi Scriptores, quibus libitum erit adire & consulere Negari autem nequit planè masculum & virile horum fuisse philosophandi genus, quo non aliud periculorum omnium ipsiusq; mortis contemptum, cultoribus suis generosius inculcauit; accessitq; priscæ eius dignitati grauitatis plurimum, postquam Latino calamo à Cordubensi Annæo tractari & excoli meruit Ac præterea hanc primi gradus sapienti-

*Lipsium Schi. opp. Vair. pa. 1.

166 am plurimùm illustrat, quòd præter ipsum, quem indigitaui, Senecam grauissimum & iudiciosissimum de hac doctrina Scriptorem inter Romani senatus primores celeberrimus quisq; hoc Stoicum institutum amplexus & professus fuerit, ad quam classem præter Catonem Vticensem & imitatorem eius M. Fauonium Asinius Pollio, Orator Augusto Principe iuxta Messalam Coruinum in Romano foro & senatu Princeps, Pætus Thrasea Patauinus, Barea Soranus, Heluidius Priscus, Arulenus Rusticus, Herennius Senecio, ac diuersi vix minoris nominis alij pertinent, & inter cæteros, qui ante omnes nominari debuerat Marcus Aurelius Antoninus Imperator, quo nullus fuit ex omni cæsarum numero vel doctior vel sapientior ac ante eum ipse quoque Octauianus Augustus Athenodori Tharsensis & Arei Alexandrini discipulus, quantum quidem ex institutione non tantùm coniectari, sed etiam è vita eius à Dione Cassio & Suetonio conscripta anim-

167 aduerti potest, eiusdem dogmatis sectator fuit. Hoc quoque memorabile censeo, quòd veteres in gentilitate Iuris-Consulti (id enim è diuersis Pandectarum locis cognoscimus) plerique Stoica dogmata approbârint, ac vix aliud fuerit Philosophorum genus, qui frequentiores in primitiua Ecclesia Christo nomen dederint, quàm è Stoa profecti quo Aristides & Apollonius ab Eusebio & Hieronymo inter illustres Ecclesiæ Scriptores relati pertinent, nec dubitem ipsum etiam Tertullianum non minùs Philosophum, quàm Iuris-Consultum excellentissimum ad eandem classem

168 referre. Nec minimum est pro Stoicæ philosophiæ dignatione & dogmatum eius præcellentiæ argumentum, quod ipsemet etiam Cicero, quantumuis Academiæ & nouæ quidem Sectator, in hac Zenonis porticu spatiari & Peripateticum agere non sit dedignatus. Quamuis enim in paradoxis suis non nemini videri possit declamatorem potius agere, atque rem in vtramque partem disputabilem, magis animi & exercitij causâ, quàm, quod verè ita sentiret, Latina facundia sua excolere & persuadere, rigidiora ista decreta in Stoicorum fauorem resoluere & definire voluisse, quod hâc vice in medio relinquo; dubitari tamen non debet illum in Tusculanar. Quæstion. & de bonorum & malorum fine quintis libris animi sui sensa de hac nobili summi boni quæstione absque omni simulatio-

ne & fuco seriò protulisse, vbi ex professo & ad longum hanc materiam
pertractans Academico Iure suo non pedibus tantùm, sed disertissimâ o-
ratione concedit in istam verè Heroicam Stoicorum de humana in sola
& vnica virtute consistente felicitate sententiam Quia autem quid Stoici
de hac re docuerint, apud omnes in confesso est, & nullis, quod audiue-
rim aut legerim, inuoluitur dubiarum & abstrusarum disputationum am-
bagibus breuitati studens ad ea, quæ restant, progredior; vnum hoc vti 169
propositi nostri genuinam partem vltra præmissa quærere & excutere
contentus, an Zenoni Cittieo satis causæ fuerit ab Academia recedendi,
cuius schismatis æmulatio, quæ inter ipsum & Polemonem intercessit,
præcipua fortè causa fuerit, nouamque & separatam sectam fundandi,
quod Ciceroni visum non esse ex supra citato de finibus quinto libro,
haud obscurè proditur, videturque ille Antiochi Ascalonitæ, cuius audi-
tor fuit, auctoritatem in isto secutus fuisse. Is enim edito ea de re libro o-
stendere studuit, non aliam fuisse Zenonis quàm veterum Academico-
rum de beatitudine doctrinam, nisi quòd nouorum vocabulorum com-
mentor ille ab his verbis potius discrepare affectaret, quàm re ipsâ, quam-
diu ab illis, quæ docebat, non recederet, dissentire posset. Proponit hoc
prædictus non sine honoris præfatione nominandus Arpinas noster ele-
gantissimo dicto, licèt in Zenonem paulò mordaciori & plus satis aculea-
to, quando ait * *Stoici restant: hi quidem non vnam aliquam aut alteram à* * l. de Finibus 3.
nobis (sententiam) *sed totam ad se nostram philosophiam transtulerunt; atq; vt
reliqui fures earum rerum, quas cœperunt, signa commutant: sic illi, vt sententijs
nostris pro suis vterentur, nomina tanquam rerum notas mutauerunt*. Longior est
hæc disputatio, quàm vt hîc expediri possit, ac in vniuersum videtur vtra-
que pars non improbabilem amplecti sententiam nec minùs Stoicorum
loquendi innouatio, quàm Academica vsitatis vocabulis vtendi perseue-
rantia sat commodè sustineri posse. In idem enim recidit, siue res medi-
as, quales sunt, diuitiæ, potentia, gloria, bona valetudo, corporalium vi-
rium robustas & similia non minùs quàm ipsam virtutem inter ea, quæ
bona dicuntur, cum Academicis referamus, siue Zenoniam rigidioris di-
sciplinæ tenaciorem & distinctiorem loquendi modum secuti, ab ista
classe illa arceamus, & præter solam virtutem nihil reliquorum boni ap-
pellatione dignum censeamus; dummodo de hoc conueniat, de quo in-
ter duas istas sectas discrepantia & concertatio non fuit, corporis & for-
tunæ bona, si virtus absit beatos non facere, nec etiam felicitate, si illis
careamus nos priuari, quamdiu huius possessione non excidimus. Hacte-
nus tamen non ambigam Academico, vulgari & plebeio locutionis mo-

ri generoſiorem, magisq́ue ſedulam & ſentiendi & animi ſenſa proferen-
di ſapientiſſimè commentam à Stoicis nouitatem præferre, dum illa Bo-
na vocare citra ſuperſtitionem aliquam abhorret, quibus malè vti poſſu-
mus, ac viciſſim illorum contrarijs, vt ſunt paupertas, conditionis humi-
litas, morbus & eiuſdem ſortis reliquis ignominioſam Mali appellatio-
nem tribuere formidat, quibus, per ſe quidem non expetendis bene vti,
illaq́ue in virtutis materiam neceſſitati obſecundantes conuertere poſſu-
570 mus. Tempus nunc eſt & propoſitus ſupra dicendorum ordo requirit, vt
difficillimam præq́ue omnibus reliquis magis inuidioſam huius lucubra-
tiunculæ partem de Epicureo circa boni ſuæ beatitudinis dogmate ag-
*p. 6 grediamur: quod tamen non aliter fiet, quàm conditionaliter & ſub
illa, quam ſuperiùs * mihi reſeruaui, diſtinctione, ne citra neceſſita-
tem crabrones temere irritâſſe dicar, & alienas lites contra quemquam
decertare opus habeam. Hanc quantumuis lubricam ac fortè non nemi-
nis iudicio vix citra certi lapſus diſcrimen emetiendam viam tantò firmi-
ùs & ſecuriùs me perambulaturum eſſe confido, quod iam inde ab anti-
quo, ac fortè ipſomet Epicureæ vitæ tempore non conflixerit, ſed perpe-
tua & in præſens vſque nec compoſitâ nec deciſâ lite inter partes diſce-
ptatum fuerit, ambiguumq́ue permanſerit, quid per ἡδονὴν ſuam Epicurus
571 intellexerit. Quam controuerſiam intraturus (terminatione enim tandem
aliquando opus habet, & ab iſta Epicuro debita huius conflictus victo-
ria & omnium deinceps dicendorum lux dependet, totiusq́ue conatus
noſtri in hoc vnicè fortuna conſiſtit, & intereſt literariæ rei atque adeò
ipſius etiam ſincerioris veritatis, perpetuis logomachijs & andabatarum
ictibus tanti momenti rem perpetuùm non obſcurari) præſuppono
non de alia voluptate Epicurum fuiſſe locutum, nec de quaquam alia
intelligi voluiſſe, quàm quæ virtutis filia ac inculpatæ vitæ ac laudabilium
actionum præmium ac coronis eſſet. Si enim cuiuſcumque alterius arbo-
ris fructus ille fuerit, liberè profiteor, me non minus illum, quàm vetitæ
in paradiſo arboris malum abominari, omnibusq́ue quibus honoris inte-
gritas & conſcientiæ puritas cordi eſt, vt in hoc ſequiori ſenſu illum deui-
tent, caneq́ue, quod dicitur, & angue peius oderint, auctor & hortator
eſſe non dubitem. Eſſet autem optandum vel ipſum Epicurum paulò cla-
riùs in huius dogmatis ſui traditione fuiſſe locutum, vel, ſi id factum eſt
(de hoc ex Epicuri operibus nec apice quidem aliquo ſuperſtite præter
tenuiſſima quædam eaq́ue rariſſima excerpta ſeu fragmenta & tres apud
Laërtium quatuorúe epiſtolas iudicare difficillimum eſt) Diogenem La-
ërtium in Epicuri vita quàm integro, vt ſupra dixi, libro executus eſt,

multò

multò clariùs quàm fecit hoc capitale negotium exposuisse. Fatendum quidem est esse illud præclarissimum de vitis & dogmatibus veterum Philosophorum opus, ac non auro tantùm sed quibusuis etiam gemmis propter plurimam & infinitam ferè in illo propinatam nobis doctarum antiquitatum cognitionem pretiosius, interim nec hoc negari potest in plerisque paulò negligentiorem, ac inprimis de ipsis sectarum Conditoribus tam ieiunum esse, vt instituti sui & propositionis in ingressu operis factæ pluribus locis prorsus oblitus fuisse reperiatur, ac nec verbo illa attingat, quæ non dilucidè tantùm sed etiam fusè explicari merebantur, vt prorsus obmutuisse, & si in alio talem suspicionem admittente argumento versatus fuisset, Demosthenicam anginam passus fuisse videri possit. Abstineo hoc, ne infinitus sim, quod plurimis aliàs possem, exemplis probare, ideoque peculiari & ex professo instituendæ censuræ, ac præteritorum suppletioni quatenus ex alijs auctoribus colligi potest (vtramque enim tam præclari aliàs, ac fere vnici auctoris tam notabilis & auido veterum doctrinarum Lectori summè præiudicialis defectus meretur & requirit) istam curam reseruo, vtinam ab aliquo in Philosophiæ studio & Philosophorum historia benè exercitato & subacto publicis vsibus breui exhibendi. Ad prædictorum autem probationem Epicurum nempe per 172
voluptatem non aliam quàm quæ ex virtute ortum haberet, intellectam velle clarissima nobis è scriptis Philosophicis Ciceronis lux affulget, in quibus ac nominatim de finib. bonorum & malorum libris ille diuersis locis testatur, Epicureos conqueri, quòd alia ipsis voluptas affingatur quàm ipsi profiteantur & doceant. Loca ipsa cum eiusdem generis alijs scholiorum & notarum vice, si tempus & locus permittent, sub finem subtexam, qua in re si promissis stare prohibear quibusuis, vbi dixi, obuia sunt. Interim hoc quoq; ex eodem Cicerone probatur, quod non simplici vice scriptorum Epicuri, non satis æquum (quis enim hoc negare ausit?) interpretem agat, & ex præconcepto contraq; veritatem efficto Epicureæ voluptatis erroris plenissimo intellectu, reliqua dilucida effata & scripta eius ac nominatim de virtute præclarissimas sententias non tantùm in dubium vocare & torquere, sed etiam planè euertere & abolere conetur, tanquam ementito illo (sit verbo in veritatis honorem à non iniusta indignatione elicito venia) de fine bonorum dogmati eius contrarias. Ciceroni e- 173
tiam Seneca accedit grauissimus si quis alius in Stoico Senatu Consularis, qui disertis verbis agnoscit & fatetur *, Epicurum virtutis & honestatis Magistrum esse, ita scribens: *Hæc mea sententia est: Epicurum recta & sancta præcipere.* An putamus tantæ eruditionis tantæque virtutis virum, cui Epi-

* lib. de tranq. an. c.

curi volumina nobis ob temporis interceptionem prorſus ignota non lecta tantùm, ſed etiam probata fuerunt ad cauſæ ſuæ præuaricationem & in tam grande Sectæ ſuæ præiudicium ſic ſcriptorum fuiſſe, ſi ſaluâ veritate & illæſo viri boni officio aliter potuiſſet, eſſetque Epicurus Stoicorum decretis è diametro contrarius, & tam capitalis, vt vulgò ſed falsò creditur, virtutum hoſtis. De Seneca hoc ampliùs addo, quòd fere ſolenne habeat philoſophicas ſuas ad Lucilium ſummæ eruditionis nec minoris elegantiæ epiſtolas rariori aliquâ Epicuri ſententiâ tanquam pulcherrimo & æſtimatiſſimo emblemate exornare; non in illum, vt puto, finem, vt ad perpetuam infamiam ſuam non tam in ſtercore gemmas quæſiuiſſe, quam ipſam olidiſſimam fœditatem in vniones & pretioſos lapides cæcutiente iu-
174 dicio & criminoſiſſimâ peruerſitate conuertere voluiſſe videretur. Prædi-
* lib. ctis adiungo Caij Caſſij inter opera Ciceronis, Epiſtolam *, cuius generis
15 ep. Tullij Tironis beneficio complures tantæ elegantiæ diuerſorum è Roma-
19. nis primoribus Ciceronianis admixtæ ſunt, vt cum his ipſis de eloquentiæ & epiſtolici decori principatu æquo Marte certare poſſe videantur, illarumque lectione edocti fateri debeamus non vnum Ciceronem fuiſſe, qui illius ſeculi ſummè admirabilem vrbanitatem & dictionis pulchritudinem Latino penicillo effingere nouerit. Is igitur Caſſius in illa ſua ad Ciceronem Epiſtola hoc idem, quod ſub manu verſamus, datâ, quod dicitur, operâ, tractans argumentum, diſertis verbis profitetur & aſſerit, & ſeipſum & omnes inſtituti ſui ſectatores (Epicureum enim fuiſſe præter Ciceronem, in Bruti vita etiam Plutarchus teſtatur) non minùs virtutem quàm voluptatem amplecti. Placet ipſamet Caſſij verba, quia operæ pretium eſt, adſcribere: *Difficile eſt enim hominibus perſuadere* τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν *eſſe,* ἡδονὴν *verò &* ἀνηλγησίαν *virtute, Iuſtitiâ &* καλῷ *parari & verum & probabile eſt. Ipſe enim Epicurus, à quo omnes Catij & Amafinij, mali verborum interpretes, proficiſcuntur, dicit:* οὐχ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν. *Itaque & Panſa, qui* ἡδονὴν *ſequitur, virtutem retinet, & ij, qui à nobis* φιλήδονοι *vocantur, ſunt* φιλόκαλοι καὶ φιλοδίκαιοι *omnesque virtutes & colunt & retinent.* Hactenus ille, cuius pro Epicuri & Conſectaneorum eius virtutum cultura & ſtudio teſtimonio, ſi quod fortè alicubi æquiualens & par reperitur, nullum certè vſquam habetur euidentius & magis luculentum. Hanc autem tantæ dignitatis & magnæ eruditionis, licèt bellicis geſtis & militari gloriâ longè clarioris publicam conteſtationem qui reijciunt, ſibique ſufficere negant, illis, neſcio, quid vnquam ad pro-
175 bationem ſatis eſſe poſſit. Accedit Pomponij Attici vita à Cornelio Nepote non tersè minus, quàm ad veritatis legem caſtè conſcripta, veram

vir-

virtutem vbique ſpirans (fuit autem Atticus quoque horti cultor) vſque
adeò vt mihi tota narratio iſta vix aliud, quàm ſummi & optimi in vitæ
ad honeſtatem rectè excolendæ diſciplina viri ſpecimen & exemplar eſſe
videatur. Legitur illa ad calcem Ciceronis ad Atticum Epiſtolarum, quæ
nomen eius, vt verè ait Seneca, interire non ſinunt & è quibus intimam
vtriusque familiaritatem, quâ nulli mortalium, quàm Attico ſuo Cicero
coniunctior vixit, oſtendunt Quid alijs videatur, ipſi nôrint, mihi certè 176
perſuaſiſſimum eſt, non potuiſſe eam eſſe inter vtrumque animorum con-
iunctionem, voluntatum conſenſum & reſpondentem ſanctiori amici-
tiæ (illa enim tam excellens & rara fuit, vt inter pauciſſima illa ab vltima vſ-
que memoria petita & celebrium ſcriptorum admiratione celebrata a-
micorum paria recipi digniſſima fuerit) confidentiam vnquam coaleſce-
re, multò minùs ad mortem vſque, præbitamque nefario & ingratiſſi-
mo percuſſori per generoſum iniuſtæ necis contemptum ceruicem, eâ,
quâ notum eſt, conſtantiâ perduraſſe, ſi alter, vt Academicus & in hoc
de veræ beatitudinis quæſtione Stoicis ſubſcribens, virtutis cultor & ad-
mirator, alter, vt Epicureus, eiusdem oſor fuiſſet Idem de M. Bruto, iti-
dem Academico, & modò memorato Caſſio quod dicatur, habeo; nec 177
potuiſſe illi cum hoc, quamuis ſororio ſuo, tam arcta amicitia tamq; alie-
na ab omni deceptionis periculo fiducia interceſſiſſe, vt alter alteri ancipi-
tis euentus & dubijſſimæ aleæ de Cæſare dictatore graui patriam rempu-
blicam tyrannide premente obtruncando conſilium aperire & fidere auſi
fuiſſent, ſi pulcherrimi iſtius facti vt perſuaſum habebant, præmium alter
in virtute alter in fœdæ alicuius voluptatis turpitudine conſtitutum ha-
buiſſent. Nec aliter de modo dictis Seneca & Lucilio eius ſentio, eò quòd 178
veriſſimi monſtri inſtar ſit, potuiſſe inter ipſos ex profeſſo Philoſophos,
(tales enim verè fuerunt, licèt à publicis curis neuter ſe continuerit) tam
amicè & ſuauiter interiorem illam neceſſitudinem quam Annæanæ epi-
ſtolæ nuſquam non fragrantiſſimè ſpirant, tanquam contrarijſſimorum
dogmatum, ſecundùm vulgarem hallucinationem aſſertores vllo modo
locum habere & conſiſtere, ſi in vlla alia re quàm in ipſa virtute quæſiuiſ-
ſet Lucilius voluptatem ſuam, id eſt, interioris mentis gaudium, veram a-
nimi tranquillitatem, fundatumque in ſanctarum cogitationum honeſta-
rumque actionum, ſinceritate bonæ conſcientiæ ſolatium. Nec reperitur
in omnibus Senecæ epiſtolis, quòd probè attendi velim, vel minimus a-
pex, nedum quid amplius, è quo vel ſuſpicari poſſimus diſplicuiſſe ipſi Lu-
cilianum philoſophandi genus, vitamque & mores ad horti regulas for-
matos Stoico homini improbatos fuiſſe. Tantum enim abeſt, quòd illum

dehortetur, & deterreat ab instituto suo, vt potius excitet & stimulet, in ea, quâ ceperat, pergere via. Certè nihil minus amici officio conuenisset, quàm si aliter de familiarissimi actionibus & sensu opinans malè incedentem & in errorum flagitioso præcipitio periclitantem non tantùm non subleuâsset, sed vltrò etiam lapsabundum ad casus accelerationem impulisset & instigâsset. Nec deerant Senecæ Stoici aliorumque dogmatum Philosophi, quos ad interiorem familiaritatem admitteret, si ipsum voluptuosi & turpibus flagitijs dediti hominis pudere debuisset. Vt ad

*l. 1. de bono c. 67. propiora veniam relatis supra Vallæ Platinæ, & Erasmi testimonijs ipsum etiam Sfortiam Pallauicinum * adiungo, qui non minùs quàm Epicurus enatum è virtute gaudium & bonæ conscientiæ dulcedinem voluptatem vocat. Qui igitur in honesta illa significatione hoc ambiguo & calumnijs obnoxio vocabulo vtuntur, cur alijs licentiam illam denegant? cur in alijs id reprehendunt, quod sibi indulgent, & citra reprehensionis iustum incursum & promeritionem concessum esse volunt? Imò quod maius est, idem grauis & notæ pietatis auctor ipsam etiam eodem, quem modò adduxi, loco, æternæ vitæ beatitudinem non abhorruit voluptatis prædicato donare. Nunquid ergo hîc locum habet illud Satyrici: *ego mihi ignosco?* nunquid in eius generis vsibus vnus præ alio potiori iure agit? Fac cessant potius logomachiæ & inanes de notionibus & signis conflictus, dummodo de re constet, nec mordeatur & proscindatur Epicurus, quòd voluptatis vocabulo vsus sit, sed quòd per illud nulli probo improbanda animi sui sensa non imperitè cognoscenda dederit, nec minùs alijs Philosophis, licèt aliter locutus fuerit, veræ virtutis in superandis & contemnendis externis aduersitatibus, corporisque doloribus idoneus magister & salutaris instructor fuerit, debitis & condignis laudibus iniustæ re-

*pa. 59. prehensionis loco celebretur. Vidimus supra * è Marsilij Ficini testimonio, eiusdem cum Epicuro sententiæ Platonem esse; hîc addendum est, idem verè de Aristotele affirmari posse: tractat enim ille in * Ethicis suis de ea-

*l. 3 dem voluptate, eamq; beatitudinis partem facit, vtq; ea de re tantò minùs dubitare possimus, sciendum est, id ita esse, duos eruditissimos fateri Nicomachicorum Epitomarores Hermolaum Barbarum, & Cuthbertum Tonstallum, nec dissentire ab illis commentatorum aliquem. Idem Aristoteles lib. 1. dictorum Ethicorum laudat Eudoxum, quòd in voluptate summum bonum constituerit, nequaquam id facturus, si illi ista improbata sententia & alterius ipse opinionis fuisset. Nec est, vt mihi obijciatur, incertum tamen esse dictorum librorum auctorem, quod & alibi in hac diatriba nostra memorandum fuit, eò quòd non concorditer ab omnibus

Aristo-

Aristoteli sed à multis filio eius Nicomacho adscribantur. Nam verum quidem est, iam tunc Ciceronis æuo dubium fuisse, pater an filius illorum auctor esset, eosdemque à Laërtio non tantùm in catalogo operum Aristotelis præteriri, sed etiam alio in loco * expressè Nicomacho attribui; sed ea res parum ad rem facit; primo enim hoc nostro tempore & pluribus retrò seculis libri isti Nicomachici sub Aristotelis nomine circumferuntur, eiusdemque tanquam genuini parentis operum pars sunt, nec vllus fere reperitur, qui deinceps inscriptionem & ascriptionem illam in dubium vocandam esse sustineat. Secundò de hoc ad minimum constat, licèt fortè non ad Nicomachum sed à Nicomacho isti Moralium libri compositi fuerint, doctrinam tamen, quæ illis continetur, pro sincera & legitima Peripatetica agnosci. Tertiò in reliquis Aristotelis ad Eudemum libris, qui magnorum Moralium inscribuntur, nihil occurrit, quod vel in genere Nicomachicorum dogmatibus vel speciatim prætactæ de voluptate opinioni aduersetur. Sed quid opus est aliunde conquisitis & operosè anxieque congestis probationibus & exemplis Epicureæ causæ bonitatem stabilire? ipsemet eam agere permittatur; quis enim ipsi hoc non permittat? quis de illo alijs magis quàm ipsimet credat? quis sententiam eius meliùs quàm ipsemet explicet? quis dogmatum eius ingenuitatem & genuinum sensum maiori certitudine cognoscendum exhibeat? Si enim vbicumque alibi, certè in hoc eique similibus vel inprimis isti vulgato locus est: *quemq; esse optimum verborum suorum interpretem.* Eò progrediens, 179 recensitis iam diuersis Epicureorum cum alijs diuersam amplexantibus Philosophiam amicitiæ exemplis, ipsius etiam Epicuri cum Carneade Academico familiaritatem præterire non debeo, quem eius perfamiliarem fuisse libro 5. de Finibus Cicero agnoscit. Fortè huc etiam ex parte saltem referendum sit, quod de Chrysippo scribit Laërtius fuisse ipsi de scribendorum librorum multitudine cum Epicuro æmulationem, vt quacumque de re scripsisset hic, vt traditur scripsisse numerosissima, de ijsdem statim & ille componere quid ceptaret. Nec enim vt Epicurea omnia refelleret, ita se gessit, sed laudis potius prærogatiuam illi præripere, accumulatiorem inde honorem acquirere voluisse videtur. Id videor ex eo 180 rectè colligere, quod idem auctor ait, fuisse Chrysippum inde appellatum à Carneade librorum Parasitum. Iam fere constat omnium confessione, parasitorum non esse hostilia tractare, sed potius beneuolentiæ illos esse captatores & in amicitiæ, seu illa vera sit, siue simulata, obseruantiæ, cultus & obsequij modum excedere; ita vt satis appareat per illam Chrysippeam cum Epicuro concertationem propriam potius laudem, quàm ali-

*l. 1 in Eudoxo

enam oppugnationem, contemptum & confusionem quæsitam, & hoc
vnicè actum esse, ne qua in re tam celebri & à plurimis in summa admira-
tione habito viro in aliquo minor & inferior fuisse putaretur. Quod igi-
181 tur attinet, quæ de intelligentia Epicuri dogmatum ex ipsomet auctore
petenda dixi, vix aliunde, quod proferatur, occurrit, quam ex vno Laër-
tio, qui sincerum, vt apparet, quæ ad doctrinam pariter, & doctorum at-
tinent, relatorem agit, reliqui nonnisi auersum animum & contemptum
præ se ferunt, ac propterea cum iudicio & assensus in plerisque suspensi-
one legendis. Extat autem apud Laërtium non tantùm inter tres Epicuri
epistolas in ordine tertia, ad hanc morum disciplinam & felicitatis mate-
riam pertinens, quæ ad Meniceum inscribitur, sed etiam idem auctor
pleraque alia eaque valde egregia, nec solùm apprime notabilia, sed et-
iam summè admirabilia laudeque & applausu dignissima ad hanc ean-
dem rem facientia recenset, quæ priori loco referam postmodum ex ipsa
epistola, quæ videbuntur, subiungam remittens studiosum veri lectorem
ad Gassendum, si prolixiorem huius rei deductionem petat iam antea mi-
hi memoratum, cuius extat iustus & prolixus in Epicureæ Philosophiæ
tomis eius ad hanc & duas reliquas Herodoto & Pythocli scriptas ab E-
picuro epistolas commentarius. Hæc autem Laërtiana de Epicuro & Sa-
piente eius doctrinâ narratâ tam fortia & generosa sunt, vt nec ipsos Stoi-
cos dedecere possint. 1. *Detrimenta, quæ ex hominibus siue odij, siue inuidiæ,
siue contemptûs gratiâ fiunt, Sapientem autumat* (ita de Epicuro Diogenes lo-
quitur) *ratione superare.* 2. *Eundem perturbationibus cedendo non errare,* quin
potius id agere, *ne quid ad sapientiam impedimentum patiatur.* 3 Eundem,
quem Epicurus format, *Sapientem* gratiam amicis præsentibus æquè ac
absentibus habiturum. 4. *Legibus obtemperaturum, nec, quæ illæ interdicant,
commissurum.* 5. *Neque accessurum ad rempublicam* (id cum Platone ac pleris-
que alijs Philosophiæ cultoribus commune habuit) *neque tyrannidem quæ-
siturum.* 6. *Mærori item non conficiendum Sapientem, neque litigaturum.* 7. *Ac-
quirendi curam ac futuri prouidentiam* (de excessu hoc ac superstitiosa ma-
gisque quàm deceat & iustum sit, sollicita & anxia hoc capiendum est) 8.
Fortunæ reluctaturum. 9. *Gloriæ curam habiturum, quoad contemptui non habe-
atur.* 10. *Plus alijs lætitiâ in speculationibus afficiendum.* 11. *Sanitatem quibusdam
conducere, plerisque indifferentem esse.* 12. *Amicitiam vsus gratia necessitatisque gra-
tiâ ineundam, illamque voluptatum consortio ac societati constare.* 13. *Pro Amico
quandoque Sapientem moriturum.* 14. *Felicitatem bifariam intelligi supremam
illam* (altera illa inferior minusque perfecta siue Laërtij siue librarij incu-
riâ præteritur) *quæ in Deo est, quæque incrementum non admittat, nec vel adie-
ctionem*

ctionem vel ablationem voluptatum. 15. *Non moueri Sapientem, ſi alter altero
dicatur ſapientior fuiſſe, & ex ſola ſapientia ſi affluat, ritè appellandum Sapien-
tem eſſe.* 16. *Principem in tempore obſequio colturum* (Sapientem) *gratulatu-
rumq́; cuilibet reſipiſ enti.* 17. *Perturbationis dolorisqúe vacationem conſtantem
eſſe voluptatem.* 8. *Corpus præſenti tantummodo dolore affi i animum verò &
præterito & præſenti & futuro; eáq́; ratione maiores animi quàm corporis eſſe
voluptates.* 19. *Voluptatis causâ virtutes quoq́; eligi, non propter ſ , ſicut & me-
dicinam propter ſanitatem.* 20. *Inſeparabilem eſſ* (hoc vt palmarium & capi-
taliſſimum in omni hac diſputatione noſtra bene attendi, & peritè ex-
pendi velim) *à voluptate virtutem* SOLAM, *cætera verò ſeparari, nempe vt mor-
talia.* 21. *Non poſſe iucundè viui, niſi prudenter ac hon ſtè & iuſtè viuatur neque
prudenter, honeſtè ac iuſtè, niſi iucundè.* Reliqua prætermitto à volentibus ſu-
is locis inquirenda. Omnia autem hæc, quæ retuli, ſatis proba & à virtu-
tum Sectatoribus minimè repudianda eſſe, omninoque illis, quæ Seneca
ab Epicuro rectè & ſanctè præcipi ſcribit, accenſenda eſſe cenſeo. Vnum
tamen atque alterum commodam fortè explanationem deſiderat, quæ
cùm cuiuis incorruptè iudicare volenti ſatis per ſe in mentem venire poſ-
ſis, nec ego hîc infinitus eſſe debeam, citra iacturam & præuaricationis 182
ſuſpicionem tutò præteriri poteſt. Cùm autem hîc vnicè id agitur, vt v-
nicuique, ſi quis adhuc ea de re dubius ſit, pareſcat & conſtet Epicurum
in ſola voluptate animi boni ſummam ſiue totius humanæ felicitatis ver-
ticem conſtituiſſe, corporisque dolores ad rerum indifferentium claſſem
retuliſſe; aureâ illius ad Meniceum epiſtolâ in teſtimonium aduocari
meretur, è qua ſequentia ſaltem, licèt ad longum referenda eſſet, excer-
pſimus: *Cùm itaque dicamus voluptatem finem eſſe, non luxurioſorum & nepo-
tum voluptates, eáq́;, quæ in guſtu & ingluuie ſunt poſitæ, vt quidem ignorantes,
aut à noſtra ſententia diſſentientes aut malè accipientes arbitrantur, ſed non do-
lere corpore animoqúe tranquillum eſſe, & perturbatione vacare dicimus. Non e-
nim conuiuia & commeſſationes, non puerorum mulierumq́; congreſſus non piſci-
um vſus, & cæterorum, quæ affert, pretioſior menſa ſuauem gignit vitam, verùm
ratio ſobria cauſasq́; perſcrutans, cur quæque eligenda vel fugienda ſunt, opinio-
nes qúe expellens, per quas animos vt plurimùm occupat tumultus. Horum omni-
um initium maximumqúe bonum prudentia eſt.* Ex his & ſimilibus quid aliud
concludi poteſt, quàm in ea voluptate, quam virtutum exercitia gignunt
felicitatem Hominis ab Epicuro peritè, ſapienter & piè conſtitui, & ma-
ximam ipſi fieri à Cicerone alijsque iniuriam, quando ipſi ſuauiſſimum il-
lud & pulcherrimum mentis gaudium abiudicant, eiusque loco fœdas il-
las & pudendas, quæ cum Epicuri frugalitate nihil commune habent, vo-
luptates

luptates affingunt. Idem ex ſequentibus æquè clarè, ſi non & clariùs elucet (quod ſequitur, iam ex Laërtio auditum eſt, ſed ex ipſo etiam Epicuro audiri, quia totius negotij cardo in eo vertitur, nihil obfuerit) *Non poteſt iucundè viui, niſi prudenter ac honeſtè ac iuſtè viuatur; neque prudenter honeſtè ac iuſtè niſi iucundè: Cui autem hoc non contingit, non viuit prudenter atque honeſtè; & cui iuſtè non euenit, non poteſt hic iucundè viuere.* Hæc eadem illa ſunt, quæ ſupra ex Caſſij epiſtola genuini & non degeneris Epicuri diſcipuli allata ſunt. Cui hæc, quæ hactenus de præſenti quæſtione dicta ſunt, non ſatisfaciunt? cum eo diſputandum non eſſe puto. Cùm autem ſufficienter probatum ſit, in animi tranquillitate & vacuitate perturbationum Epicuream felicitatem, quam ipſi voluptatem appellare placuit, conſiſtere, ſupereſt, vt paucis attingatur, quid de corporis doloribus ſenſerit.
183 Hos plurimum negotij antiquis Philoſophis faceſſiuiſſe infra in Hieronymo Rhodio & Dionyſio Heracleote præter illa, quæ iam de Peripateticis dicta * ſunt, patebit. [* ſup p.] De his autem præ omnibus iſtis longè generoſiùs Epicurus docuit, qui licèt felicitatis ſuæ partem eſſe voluerit, à corporeis cruciatibus immunem eſſe; attamen viciſſim, vt veriſſimè ita conſtantiſſimè, clariſſimiſque verbis aſſerit, per illorum præſentiam non adimi veram illam animi voluptatem, quam vnicam ad Hominis felicitatem ſufficere nuſquam non inculcat. Conſtat hoc non tantùm è Ciceronis infra referendis verbis ſed etiam ex ſequentibus ipſiusmet Epicuri apud Laërtium locis. Præterquam enim, quòd contra Cyrenaicos, qui corporis dolores, doloribus animi deteriores arbitrabantur, contrariam vtpote longè veriorem ſententiam defendit, ad illius, quod diximus, probationem, quæ ſequuntur, affert: *Item aduersùs Cyrenaicos. Illi enim corporis dolores deteriores arbitrabantur doloribus animi. Corpore enim peccantes cruciari hîc autem animi dolores. Carnem enim præſenti tantummodo dolore affici animum vero & præterito, & præſenti & futuro. Eâ ergo ratione maiores quoque animi quàm corporis eſſe voluptates.* Eodem pertinet, quod vltro aliquando dolorem voluptati præferendum, eumque vel noſtrâ vel etiam amicorum cauſâ ſubeundum eſſe vult, quando ait: *Quoniam verò primum iſtud inſitum bonum eſt, idcirco non omnem voluptatem eligimus, verùm ſæpe pleraſque transgredimur, quando ex his maior moleſtia ſequitur, doloresquè nonnullos voluptatibus præſtare arbitramur, ex diutina toleratione dolorum maior nos voluptas ſequitur. Omnis itaque voluptas, eò, quòd naturam propriam habet, bonum eſt, non tamen eligenda omnis, ſicuti & dolor malum eſt, non tamen ſemper quiuis repudiandus eſt dolor. Commenſione itaque, & vtilium inutiliumquè reſpectu hæc omnia iudicare conuenit. Vtimur enim bono interdum vt malo, contra & malo tanquam bono.*

Omnium

Omnium autem euidentissimè ex Epistola Epicuri ad Idomeneum extre- 184
mo vitæ die à iam iam morituro scripta, quæ huiusmodi est. *Cùm ageremus
vitæ beatum & eundem supremum diem, scribebamus hæc. Tanta autem vis mor-
bi vrgebat vesicæ & viscerum, vt nihil ad eius magnitudinem posset accedere.
Compensabatur autem cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoriâ
rationum inuentorumquè nostrorum.* Quis vnquam à quocunque Stoico con-
stantius & fortius aliquid scriptum, dictumúe esse fando cognouit? Ridet
quidem Epistolam hanc in libris de fine bonorum suis Cicero, sed non-
nisi ex præsuppositione ementitæ illius Epicureæ de falsa voluptate do-
ctrinæ; tamq; frigidè in ista refutatione versatur, vt in honorem summi vi-
ri illam præterire, &, quæ contra illam reponi deberent, tacere malim, me-
q; ie tantillum ad illa respondere pigeat. Atque hactenus de omnibus o-
ptanda nec vel Christianorum alicui improbanda & repudianda Epicuri 185
voluptate; quam discursus nostri è primarijs partem finiens cauillationis
præcauendæ ergò protestari non intermitto, mihi propositum non esse,
nec vnquam fore reliquam Epicuream Philosophiam præter vnicum hoc
de felicitate humana dogma eius propugnare, quanquam illic quoque re-
periantur, quæ partim improbari non possint, partim etiam vel in medijs
& grauissimis erroribus eius in summam nos admirationem rapiant.
Quem enim non in stuporem trahat, quòd prouidentiam diuinam ne-
gans, de Deo eiusque cultu piè senserit & scripserit, eundemque re ipsâ
præstiterit? quis similiter non admiretur, quòd animi immortalitatem ne-
gans tantus virtutum amator & exercitor fuerit? tamque accuratam incul-
patæ conscientiæ curam habuerit? nam eodem etiam retulerim, quòd nec
ipsam mortem, quam effœminatioris Philosophiæ Sectatores tantopere
horrent, & de qua tam abiectè & viliter scribunt, ad malorum classem
non retulerit, cùm tamen, quod maioris boni, id est, æternæ vt sacratiora
nos sacra nostra docent, voluptatis ingressus & ianua sit, comprehendere
nequiuerit, ideoque & hac de re verba eius retulisse & recoluisse iuuabit;
Consuesce, inquit, *arbitreris nihil ad nos pertinere mortem. Bonum enim omne
ac malum in sensu est, sensus autem priuatio mors est. Vnde recta cognitio, quòd
nihil ad nos sit mors, id efficit, vt mortale quod est, fruatur vitâ non ambiguum
adijciens tempus, sed immortalitatis desiderium afferens. Nihil enim in vita ma-
li est ei, qui verè comprehendit nihil esse in vitæ priuatione mali. Vanus ergo est,
qui mortem se timere dicit, non quia præsens mœrore conficiatur* (rectiùs, ni fal-
lor, conficiat) *sed exspectata & futura contristet. Nam quod præsens nihil per-
turbat, nec exspectatum quicquam conficit. Itaque quod acerbissimum malorum
est* (subintelligi debet, ne sibimet ipsi Philosophus contrarius esse dicatur

ex aliorum vana & erronea opinatione) *& horrendum maximè mors nihil ad*
nos, quoniam, cùm nos ſumus, mors non adeſt, cùm verò mors adeſt, iam nos non
ſumus. Neque igitur (ad) *viuentes neque ad mortuos pertinet.* Denique, quæ
de Deo ſcribit, etiam afferre placet: *primùm quidem, ait Deum eſſe animal*
immortale ac beatum, putà, ſicut communis de Deo dictat intelligentia, nihil illi
aut ab immortalitate alienum, aut à beatitudine applicans. Cæterùm omne, quod
illius cum immortalitate beatitudinem ſeruare poßit, de eo opinari. Dij nempe
ſunt, vt certè eſt illorum cognitio, non autem tales ſunt, cuiusmodi eos plerique
arbitrantur; neque enim eos, quales putant, obſeruant. Impius autem eſt, non qui
tollit multitudinis Deos, ſed qui Dijs opiniones multitudinis applicat. Non enim
ſunt anticipationes, ſed opinationes falſæ, quæ plurimi de Dijs ſentiunt. Hinc de-
trimenta maxima peßimis quibusque à Dijs inferuntur & commoda item probis.
Nam virtutibus per omnia delectati ſimiles amplectuntur, ac omne quod huius-
modi non eſt, alienum exiſtimantes. Hactenus Epicurus, è cuius poſterioribus
verbis rectè colligere videor, diuinam prouidentiam & humanarum re-
186 rum curam non omnimodo ab illo repudiatam fuiſſe. Quæ autem cauſa
ſit, quòd paulò prolixius, tum ipſius verba, tum ab alijs de ipſo ſcripta re-
feram, puto etiam tacente me obſcurum non eſſe. Et quis dubitet, vix cu-
iusquam poſſe de virtutum doctrina ac bene honeſteque viuendi diſci-
plina dictis ſcriptisque maius ineſſe pondus, quàm qui flagitioſæ volupta-
tis & improbæ diſſolutionis falsò quidem, vulgò tamen plurimorum per-
ſuaſione magiſter eſſe creditur? Fortiùs enim feriunt, & penitiùs pene-
trant, quæ improuisò & inopinatè euibrantur, ac neceſſe eſt vniuerſa Stoi-
corum paradoxa apud illos ab aureis, quas retuli, Epicuri ſententijs longè
ſuperari, qui omnia ab illo contraria & virtutibus inimiciſſima exſpecta-
uerant: ac præterea nimio rubore, ſine dubio, confundimur, qui bene
actorum æternum præmium exſpectamus, ſi in virtutum recta ac ſalubri
inſtitutione, & ſtrenuo earundem exercitio etiam ab illis vincamur, qui
nec illud ſperârunt, nec poſt vitam hanc aliquam aliam eamque meliorem
ſupereſſe perſuaderi potuerunt. Nec diſſimulari poteſt præter iſtos, quos
187 expendimus, erroneos conceptus & Philoſophi huius dogmatum calu-
mnioſam explicationem vel inprimis Epicureæ ſapientiæ infamiam illis
imputari oportere, qui, vt degeneres diſcipuli, à ſanctitudine & caſtimonia
magiſtralium præceptorum in alia omnia diſcedentes, dedecorumque &
flagitiorum mancipia ſe exhibentes, Epicurei tamen dici voluerunt, &
tanti nominis tegumento turpitudines ſuas obumbrare verecundati non
ſunt. In iſto cœno & merdoſiſſimo volutabro ipſemet etiam, quod doleo,
Romanæ fidicen lyræ Horatius hæret, qui non tantùm *parcum* ſe vocat, *& in-*
frequentem

frequentem Deorum cultorem, ſed etiam *inſanientis ſapientiæ conſultum & Epicuri de grege porcum* agnoſcit. Apage impuras iſtas & lutulentas ſues, tanquam præſentiſſimas hortorum peſtes ab Epicurei ſacrarij veriùs quàm viridarij fragrantiſſima Flora, nec pretioſiſſimas haſce margaritas à grunnientibus & gaudentibus Stercorum fœditate beſtijs iſtis contaminari ſinamus. Vnum iam ſupereſt, priusquam ad alios transgrediar, vt videamus, poſtquam in præcedentibus Calliphoniæ tanquam tutiori & perfectiori de ſummo hominis bono Philoſophiæ principatum dedimus, Stoicisne an Epicureis illi proximus debeatur locus. Iſtam quæſtionem breuiſſi nè definiens, ideo Epicurum quò magis præferam inducor. quòd is vbique voluptati ſuæ virtutem iungat, & ab illa hanc inſeparabilem conſtituat; quod idem etſi in virtute ſua de animi tranquillitate tanquam fructu eius Stoicos ſenſiſſe non dubitem, non tamen æquè expreſsè ac iſti hoc ipſum affirmant. Saluo tamen eo, quod de ſecuriori & minùs fallibili Calliphonis & Dinomachi doctrina dixi, in idem recidere arbitror, ſiue quis illos, ſiue Zenonem, ſiue Neoclis filium ſequi malit; quæ eadem etiam Chryſippi, quantumuis ex profeſſo Stoici, vt ſupra commemini, * ſententia fuiſſe videtur. Pro meliori huius rei intelligentia fateri non formido, non aliam olim fuiſſe inter Stoicos & Epicureos de hominis felicitate contentionem & diſſenſum, quam ſi hoc tempore inter Catholicos Theologos noſtros (neutra enim pars, ni nimiùm fallor, eo nomine hæreſis damnari poſſet) controuerſia exoriretur, an in ſtatu gratiæ, vel in bona conſcientia humana felicitas in hac mortali vita conſiſtat, & ex ijs quidam hoc, quidam illud præferre malint. Vtraque enim illa ſententia probabilis eſt, ſed minus falletur, qui vtramque coniunget, & in hac ſacratiori noſtra ſub ſuaui Chriſti iugo, Philoſophia Calliphonem aget in inuſq; rectè ab inuicem (ſi fortè à quoquam vel aliquibus ita fiat) diſiunctâ, pijſſimâ fidei & ſpei certitudine rectiſſimè copulabit. Hæc igitur, quam hactenus retuli, mea eſt, qui magnos ea in re auctores ſequor, de Epicuri voluptate ſententia, quam tantò libentiùs vel ideo etiam pluribus explicandam eſſe putaui, vt cognoſcant, quibus volupe eſt mei ordinis & ſtatus hominibus Epicuriſmum obijcere, qualem profitear & ſectandam eſſe arbitrer voluptatem. Tantò æquiùs autem iſtiusmodi ſcommata ferenda ſunt, quòd nec ſacrorum Principibus, illud hominum genus nec ipſis ſacris parcere didicerit. De hoc autem nulli chriſtianorum inficiando, vitando aut pudendo Epicuriſmo, placet adſcribere ſequentem magni & pijſſimi ſuperiori ſeculo auctoris locum, omnium fidelium & æternæ ſalutis amantium cordibus inſcribendum, vbi veriſſimè affirmat: *ſi de veris virtutibus*

188

* pa. 60.

loquamur nullos esse magis Epicureos, quàm Christianos piè viuentes. Illud vt tan-
tò rectiùs capiamus, paulò post explicationem subiungere non præter-
mittit. Respondens enim obiectioni, quòd ab illius mali genere, quod
inter Deum & hominem amicitiam dirimit, perpauci sint puri, sic ait: _E-
go verò & purgatos habeo pro puris, qui lixiuio lacrymarum ac pœnitentiæ nitro
aut charitatis igni maculas absterserunt, eis non solùm nihil nocent peccata, sed
etiam frequenter in maioris boni materiam cedunt._ Denique conuenientem
Christifidelibus voluptatem per sequentia elegantissimè describit: quem-
libet Dei seruitio mancipatum & piè viuentem dicens _vitam agere magis
voluptuariam quàm alium opibus honoribus breuiter omni deliciarum genere afflu-
entem._ Atque illud vsque adeò exaggerat, vt, _si libeat, addatur Monarchæ
sceptrum, addatur Pontificia corona, eaque è triplici fiat centuplex, modò detra-
hatur animus sibi bene conscius,_ nihilominus tam raris fortunæ dotibus
decorato, quod se audacter scribere addit _nudipedem, nodoso fune cinctum,
tenuiter ac viliter amictum ieiunijs, vigilijs ac laboribus attenuatum, teruncium
in orbe non habentem, modò adsit bona mens, delitiosiùs viuere, quàm si in vnum
hominem sexcenti conflentur Sardanapali._ His igitur missis importunis mor-
dacibus vellicatoribus, Epicurum Aristippus excipiat: quem ideo ipsi
proximum iungo, quòd in hac de summi boni quæstione præ cæteris vi-
ciniores inuicem fuisse vulgo putentur. An hunc quoque ab illa, quâ iam
inde ab antiquo in præsens vsque grauatur infamiâ, exonerare possim, du-
biæ, ni fallor, aleæ res erit, tentandum tamen est, vt promissis satis fiat,
* sup pa. 6. sed non sub alia quàm ea, quam mihi reseruaui * in ingressu, conditione.
Videtur autem mihi non minus ac Epicurus hic quoque licèt paulò duri-
ùs, minusque intelligenter locutus fuerit, in animi voluptate felicitatem
collocâsse; sed præter obscuriorem sensuum suorum explicationem, insu-
per licentiâ vitæ Philosopho parum dignâ, & dissolutiorum morum cor-
190 ruptelâ causæ suæ defensionem multis modis difficiliorem fecit. Hanc
autem maculam quoniam cum nón paucis aliorum, qui Philosophi vo-
cari, & sapientiæ studiosi videri voluerunt, communem habet (ad illam
classem Arcesilas pertinet, ac viderint Peripatetici, an Stagiriten suum in-
de possint eximere, Platonem enim Apuleianâ Apologiâ satis defensum
esse arbitror) non opus habeo ab vno repellere, quod pluribus inhæret;
ac si Ciceroni credimus, latè admodum hæc labes grassata est, cuius ver-
* l. 2 Tusc. qq. ba sunt: * _Quotus enim quisque Philosophorum inuenitur, qui sit ita moratus,
ita animo ac vitâ constitutus, vt ratio postulat? qui disciplinam suam, non osten-
tationem scientiæ, sed legem vitæ putet? qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis
pareat? videre licet alios tantâ leuitate & iactatione, ijs vt fuerit non didicisse_

melius;

meliùs: alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum ſeruos vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio, quod quidem mihi videtur eſſe turpiſsimum. Cùm igitur nec à vita ad doctrinam, nec ab hac ad illam ſtabile & omnis deceptionis expers argumentum detur, ac aliàs etiam plurimùm differant, Ariſtippum plus reliquis laxiori vitæ deditum fuiſſe, & eundem in corporis voluptate beatæ vitæ ſummam poſuiſſe, vix crediderim me pro Cyrænaicis loquentem ſimpliciter explodi poſſe, cauſamque hanc quaſi prorſus abſurdam & deſperatam à iudicioſo Lectore inauditam iuſtè reijci & condemnari poſſe. Primò enim quamuis tum Laërtius & Cicero, tum omnes etiam, quod nôrim, reliqui expreſsè & determinatè affirment, in corporis voluptate ab Ariſtippo bonorum finem collocatum fuiſſe; necdum tamen exinde extra omnem dubitationem hæc ſummi momenti inquiſitio conſtituta eſt. Vix enim eſt, vt probabiliter dici quis poſſit in ea re poſuiſſe ſummi boni excellentiam, quam inter indifferentia numerauit, quo loco corporis voluptates Ariſtippum habuiſſe, conſtat è ſequenti Laërtij teſtimonio, qui ait: *Nam vt libenter percipiebat præſentium voluptatem, ita, vt abſentibus frueretur, non laborabat.* Quis enim vel momento temporis illo carere ſuſtineat, ſine quo beatè viuere non poſſit, ſed illius iacturâ miſerrimus futurus ſit? verè hoc à Laërtio dictum eſſe tam ex 198
omni Ariſtippicæ vitæ tenore, quàm apophthegmatis eius palam fit. In his enim poſt vnum Diogenem Synopeum, vti amœniſſimi æquè ac hic, maximi ingenij Philoſophus mirè excelluit, eaq; ad ipſum virtutis arduum callum rectà adducunt, quæ apud Laërtium à volentibus legenda hîc breuitatis ſtudio prætermitto. Lepida ſanè eſt Polyxeni Sophiſtæ lautitiam & luxuriam eius inceſſentis taxatio; Magnifico enim ab Ariſtippo inſtructo conuiuio, cùm Polyxenus luxum eius accuſare cepiſſet, quæſiuit ex hoc ille: *poteſnè hodie nobiſcum eſſe?* cumque hic annuiſſet, reſpondit: *cur ergo quereris? videris enim non delicatiorem menſam accuſare, ſed ſumptum,* prout etiam Platonicæ reprehenſionis repulſio. Platonem enim ingenioſâ interrogatione ſuâ, & illius minùs prouido reſponſo circumuentum, adeoque à ſe ipſo conuictum hoc ſequenti dicto confudit: *Vnde nihil prohibet quempiam lautè & bene viuere.* Huc etiam pertinet ſapientiſſimum præceptum Aretæ filiæ datum, quam paterno exemplo Philoſophiæ deditam *præclaris monitis,* vt Laërtius ait, *inſtituebat.* Hanc igitur *vt id, quòd nimiùm eſſet, contemneret, exercens,* videtur ad omnem virtutem erudijſſe. Secundò nequaquam probabile eſt fuiſſe tam magnam, quam plerique perſuadere conantur, inter Epicuri & Ariſtippi de voluptate opiniones diſcrepantiam & diſtantiam, vt alter in animo, alter in corpore illud, quod ſum-

mum bonum dicimus, ſitum eſſe putauerit. In his duobus enim inter illos
non conuenit. 1. Quòd corporis dolores animi ægritudinibus maiores
192 eſſent, & beatæ vitæ fruitionem impedirent; 2. quòd ſummum bonum in
ea conſiſtat voluptate, quæ non in motu ſed in ſtatu ſit: vtrumque enim A-
riſtippus affirmauit, negauit Epicurus. Hoc conſt ito nece ſſaiiò ſequitur,
non in ipſa re, ſed in modo tantùm & qualitate illos diſſenſiſſe, quod ne-
mo, vt certus ſum, negare volet, probabiliter quidem negare quiſquam
non poteſt. Quid autem vterque per iſtum ſtatum & motum intellexerit,
quæ hebetudo mea eſt, fateor me necdum comprehendere poſſe quan-
tumuis iſti ſpeculationi temporis & diligentiæ nonnihil impenderim.
Meliùs intelligerem, ſi permutatio inſtitueretur, eaque voluptas, quæ in
motu conſiſtit, Epicuro, altera, quæ in ſtatu eſt, Ariſtippo defendenda
committeretur. Niſi enim valde me ipſum decipio, maius & perfectius
quid dici & intelligi debet, quod iam in ſtatu eſt, & ad illud, ad quod
tendebat, iam peruenit, præ altero, quod adhuc mouetur, & vt, quod
quærit, aſſequatur, diligentiam adhibet. Hæc, enim Epicureæ Philoſo-
phiæ ſollicitudo fuit, quæ quidem per corporis dolores animi volupta-
tem, id eſt, eius, quod ſummum arbitrabatur, in bonorum genere ſibi
eripi non ſinebat, vt tamen inde ſe expediret, & ab illis liberaretur, o-
mni molimine annitebatur, & felicitatis perfectionem in vtriusque tam
corporis quam animi dolorum vacuitate conſtituebat. Alijs igitur, ſaga-
tioris ingenij acrimonia præditis, huius de ſtatu & motu myſterij explica-
tionem relinquens, ad intelligendam Cyrenaicorum & Epicureorum de
voluptate ſententiarum differentiam ſufficere puto nouiſſe, illos in vtri-
usq; tam corporis quàm animi, hoſce in animi ſolius, quamdiu ad alterius
necdum pertingi poteſt ægritudinum carentia, beatitudinem ſuam collo-
câſſe; ex quo ſine vllo dubio inferri debet, multò fortiorem & generoſio-
rem fuiſſe præ Ariſtippi dogmate Epicuream Sectam. Cyrenaicos autem
vel ideo aliquanto mitiùs haberi & veniâ donari poſſe, quòd reliquorum
etiam Philoſophorum aliquos erroris ſui aſtipulatores habuerint, nimi-
rum Rhodium è Peripateticis Hieronymum, è Stoicis Dionyſium Hera-
cleotem, vtrumque per noui commenti introductionem à Sectis ſuis
transfugam, vnde etiam poſteriori Metathemeni cognomentum inditum
193 fuit. Tertiò valdè mihi probabile fit non aliunde ortam fuiſſe illam con-
tra Ariſtippum vltra modo dicta, de conſtituta ab illo in ſolius cor-
poris voluptate beatitudine calumniam, quod nihil intelligi & cognitum
haberi poſſe (craſſiſſimo ſanè errore) doceret niſi exterioribus ſenſibus
perceptum, vt diſertis de illa verbis ſcribit lib. 1, de Fin. M. Tull. quo ſenſu

nec ipsius animi mentisque tranquillitatem aliter admittere poterat,
quàm ab ipsomet corpore apprehensam & comprobatam. Sed quicquid
de eo sit, non aliter, quæ pro Aristippo dixi, quàm secundùm factam in
ingressu protestationem producta sunto, eaque nonnisi problematicè in-
tellecta volo, nec tam, quod repetere non piget, Philosophorum quàm
Philosophiæ me causam agere, quando pro Cyrenaicis loquor, profiteor.
Puto enim non studiorum tantùm, sed morum etiam interesse, vt persua-
sissimum habeamus, nullum vnquam in Sapientum consessum admissum
fuisse, qui in pudendis & fœdissimis voluptatibus votorum suorum sum-
mam totiusq; felicitatis apicem constituisset. Superest, vt reliquas sectas, 194
quàm fieri potest, breuissimè percurramus, è quibus Academia vetus tota
mea est propter illa, quæ de Platone fundatore eius è Marsilio Ficino in su-
perioribus * adduxi; media & nouissima quæ Arcesilâ & Carneade se præ- * sup
cipuè iactant, facilè contemnuntur, nec in hoc censu partes faciunt, eò p. 50
quòd nihil asseuerent, sed dubitationis & ignorantiæ imperitæ magistræ
sint. Quod si tamen à Platone discipuli eius recesserint, & missâ voluptate
in sola virtute acquieuerint (hoc dissimulandum propter omnium vete-
rum ad Ficini tempora vsque silentium non fuit) parum id ad rem facit,
eò quòd sine omni dubio fructum virtutis, qui animi tranquillitas & vo-
luptatum omnium voluptuosissima est, à parente & progenitrice sua inse-
parabilem esse, vel saltem minimè separari debere firmiter statuisse cen-
sendi sint. Hactenus tamen hæc quoque disputatrix & declamatoria in
vtramque partem omnia ventilans sapientia pro mea militat sententia,
quod eloquentissimus defensor eius M. Cicero in vltimis suis de bono-
rum & malorum Finibus & Tusculanarum quæstionum libris datâ operâ
& ex professo asserat & astruat: *Virtutem ad beatè viuendum se ipsâ esse con-
tentam*. Si enim reuiuisceret, & ex illo quæreretur, an non ideo virtutem
sui ipsius sufficientem mercedem censeret, quod verum interioris mentis
gaudium animique tranquillitatem in se contineret, sine vlla hæsitatione
responderet, certus sum, ita se rem habere. Atque hâc ratione non vnus
Cicero, sed vnà cum ipso omnes Academici ac Stoici tacitè saltem & in
effectu, cum prælata à me reliquis omnibus Calliphonis sententia bellis-
simè conueniunt. Non sunt separandi ab Academicis Sceptici, ad quos 195
priusquam progrediar, cum illis Academicorum & horum inter se com-
paratio aliqua paucis instituenda esse videtur. Ad Scepticos igitur ex Aca-
demicorum Sectis media, quæ Arcesilæ fuit, proximè accessit, vsque adeò
vt ferè eadem cum illa & dogmate vna fuisse videri possit. Hoc vnicum
interfuit, quod Sceptici etiam de illo ipso an incomprehensibilitas siue

ἀβλε-

ἀβλεψία talis, qualem illam venditabant & arbitrabantur, verè esset,
dubitarent, ita vt nec illam satis comprehendi posse persuasi essent. E dua-
bus reliquis vetere & noua, prior illa sine dubio præferri meretur, ac sola
etiam apud posteriores altera obliterata & explosa præualuit Plotinum
nempe Porphyrium Proclum reliquosque, qui etiam repudiatâ Acade-
micâ appellatione Platonici vocari maluerunt. Fuit autem noua Acade-
mia Carneadica, mediæ seu Arcesilaicæ, temperatrix, illamque aliquanto
longiùs ad Scepticos euagantem ad veterem paulò propiùs reduxit, & lo-
co ignorantiæ siue, quòd nil sciri possit, verisimilitudinem recepit & pro-
pugnauit; illaque ratione etiam ante Potamonem quoddam ἐκλεκτικὸν
siue electiuum philosophandi genus amplexa est. Cùm autem Carneades
illius fundator, quem Cicero præ omnibus plurimum admiratus & secutus
est, Stoicos ac nominatim Chrysippum maximi fecerit, ac illi nonnisi le-
uiter, vt habet Laërtij interpres, aduersatus sit; denique discipulus & in
dogmatum hæresi successor eius Clitomachus non minùs in Stoica quàm
Peripatetica Philosophia versatus fuerit, facilè comprehenditur, qua de
causa Cicero eiusdem laudator instituti vtrosque (Stoicos dico & Aristo-
telicos) magni æstimârit, præsertim cùm ad Antiochum suum, quem in
196 illa resequeretur, habuerit. Sed iam ad Scepticos veniamus, quos finem
bonorum vel in mansuetudine secundùm aliquos, vel in animi tranquilli-
tate (vtrumque in idem recidere, & in nullo ab inuicem discrepare puto)
Laërtio testante cognoscimus. Hæc opinio itidem ab assertione nostra
parum recederet, nisi falsissimo niteretur fundamento. Nam quod etiam
aliàs tale quid definire & asseuerare Pyrrhonium non sit, & cùm Zete-
ticæ Philosophiæ principijs contrarietur, in præcedentibus iam dictum
nec hic repetendum est. De prætacto hæc Laërtij verba sunt: *Sceptici fi-
nem aiunt nihil quicquam definire, neque pronunciare, quam rem sequatur vmbræ
in morem animi tranquillitas atque constantia, vt ait & Timon, & Aenesidemus.*
Hoc absurdissimum dogma laciniosâ refutatione dignari nil aliud fuerit,
quàm bonas horas malè perdere; quomodo enim ex nihilo aliquid fieri
possit, captum meum excedit? Deinde magis etiam facere puto ad ani-
mum inquietandum, quàm tranquillandum, maius etiam esse vacillatio-
nis & desultoriæ leuitatis quàm constantiæ argumentum, omnia omnium
improbare, reijcere & damnare, ac vicissim nihil omnino tenere & asse-
197 uerare. Vt autem quadantenus saltem cum hisce Aporeticis in gratiam
redeam, admodum probabile puto, quamuis in vniuersum accepta stul-
tissima fuerit, sibique ipsi contradicens ipsaque superstructione propria
fundamenta destruens Philosophia Pyrrhonia, non tamen omni ex parte
illam

illam reprobari & explodi poſſe, imò veriùs ipſiſmet Chriſtianis moribus
& inſtitutis non conformem tantùm, ſed etiam apud Catholicæ commu-
nionis Theologos receptiſſimam & quotidianam eſſe. Cùm enim pau-
ciſſima ſint fidei dogmata, quæ neceſſariò ſequi oportet, nec pro cuiuſque
arbitrio vel repudiare vel admittere licet, innumerabiles ferè & infinitæ
ſuperſunt de rebus ſacris quæſtiones, quarum pro cuiuſque ingenio & in-
clinatione vel affirmatiuam vel negatiuam amplecti & defendendam ſu-
ſcipere poſſumus, quod cùm de plurimis alijs necdum per factiones &
ſtudia diſtributis veriſſimum ſit, & publicè conſtet, tum vel maximè &
ſingulariter per celeberrimas illas & nominatiſſimas Scholaſticorũ The-
ologorum Sectas (ita enim ſine cuiuſque honoris imminutione vocari
poſſunt, eò quòd ſectæ nomen ex illorum vocabulorum numero ſit, quæ
media vocamus, nec minùs in bonam quàm malam partem accipi poſ-
ſunt) comprobatur, in Albertiſtas, Thomiſtas, Scotiſtas, Bonauenturiſtas,
Occamiſtas, alioſque variè diſtinctas; quibus deinceps diuerſæ nouæ ſuc-
ceſſerunt, quas ideo innominatas prætermitto, quòd dubius ſim, an aliter
facientem illarum amplexatores id illorum honori potius quàm ignomi-
niæ tribuiſſe aſſenſuri ſint. Nec de ſola ſcholaſtica Theologia id, quod dixi,
verum eſt, ſed etiam in Morali & Scripturaria hæc Academica & Sceptica
vel aſtipulandi vel contradicendi inter Chriſtianos libertas locum inuenit.
Hinc tot & tam grandia de Conſcientiæ caſibus Sacrorumq; Bibliorum
explanatione & intellectu enata ſunt & prodierunt, indieſq; augeri non
ceſſant volumina, quæ multorum plauſtrorum iuſta ac vix capabilis vectu-
ra ſunt. Vtq; ſciatur, quàm benigna ſit hac in parte Sanctæ Matris Eccleſiæ 98
noſtræ indulgentia, & quouſq; ſe extendat prædicta libertas in eius gene-
ris ad fidem non pertinentibus controuerſijs, nemo conſtringitur alteru-
tram partem ſequi, & vel affirmantibus vel negantibus ſe ſocium iungere
ſed pro libitu præſertim in abſtruſioribus, quæq; parum ſibi liquere anim-
aduertit iudicium ſuſpendere, & ab vtroque, aſſenſu nempe & diſſenſu
abſtinere vnicuique permiſſum eſt. Eius rei nobile exemplum in ipſo S.
Auguſtino habemus; qui numquam adduci potuit, quantumuis ſatis pro-
teruè & inſolenter à Vincentio Victore procaci & ambitioſo ſciolo pro-
uocatus, vt de animæ origine ſententiam ſuam ſcripto committeret, ſed
quoad vixit in dubitationis terminis perpetuò perſtitit. Lapsũ enim me-
moriæ commiſit magnus aliquis Eccleſiæ Doctor qui animæ creationem
de fide eſſe, & ſententiam de illa affirmatiuam ab Eccleſia determinatam
aliquando fuiſſe affirmat: cuius rei ſiue in Oecumenicis, ſiue in prouin-
cialibus Synodis nullibi veſtigia aliqua ſuperſunt, ac propterea minimè

dubitari debet, licuisse Principi huic Doctorum Ecclesiæ omnium & non
doctrinæ minus sinceritate quàm ingenij admirabili præcellentiâ Antesi-
gnano in hac summi momenti quæstione dubitantium potius quàm do-
gmatisten agere. Ac ipsemet etiam S. Hieronymus, quod vel inprimis
memorabile & obseruatione dignissimum habeo, quamuis ante Pelagij
exortum tum in Epistolis, tum in Apologiæ contra Ruffinum libris ani-
mas ex creatione esse non tantùm apertissimis verbis asseruisset, sed et-
iam præfatum æmulum suum à se ista in re dissentientem satis acriter per-
strinxisset; postmodum tamen nec à duobus Africanis doctis viris Con-
sultus, nec ab ipsomet S. Augustino lacessitus se in priori sententia persiste-
199. re profiteri vnquam ausus est. Quæ de hac libertate Christiana circa con-
trouersorum dogmatũ vel oppugnationem vel amplexationem non ab-
simili aliqua saltem ex parte veteri Scepticorum instituto esse dixi, magis
ad Ecclesiam & Rectores eius in genere quàm ad singulares personas &
Theologos nostros in abstracto pertinet. Valdè enim probabile est, si
rem vsq; adeò procliuem & facilem arbitrati antehac essent maiores no-
stri, & adhuc putarent Ecclesiastici superiores in omnibus & singulis sine
vlla hæsitantia & ambiguitate nudam & meram veritatem reperire, quòd
de tot millibus quæstionum disputabilium si non omnes saltem plerasque
in alterutram partem vel pridem definiuissent, vel etiamnunc & iam tan-
dem illarum determinationi se accingerent. Nam ipsos Theologos &
sacræ eruditionis Studiosos quod attinet, tantum abest, vt non nimiùm
in sensibus suis abundent, suarumq; opinionum se satis certos esse per-
suasum non habeant, vt disputandi altercandiq; calore vsque adeò sæpi-
usculè efferuescant, & victoriæ studio abripiantur, vt si ausint, & vin-
dictam non timeant, fortè vix cohibere quandoq; se possint, quin ad-
uersarios suos tantùm non hæreseos damnent. Hæc autem vehementia
abusus potius quàm virtutis & artis est, nec tam laudem quàm castigatio-
nem & vituperium meretur, nec etiam, sint Deo laudes, in omnibus hæret.
200 Sed misso hoc excursu ad reliquas Sectas progredior, licebitq; mihi cum
bona Lectoris gratia paucis ad Stoicos reuerti. Nec enim sicco pede tran-
siliri debet, quod de illis singulariter, vt puto, reliquis omnibus tam
magnam rem tacentibus Cicero scribit, illos non tam in virtutis adepti-
one quàm eam adipiscendi studio & conatu summum bonum constitu-
*p. 18. isse, quem è quinto Finium libro supra * commemorare non neglexi.
Eius rei enim non alius sensus esse potest, quàm ideo illos ad id asseren-
dum compulsos fuisse, vt aliorum ex adverso disputantium cauillos
præcauerent, nec inexplicabilibus seipsos laqueis constringerent. Cùm
enim.

enim faterentur se illum, quem formabant perfectissimæ virtutis Sapientem necdum reperisse, adeòque Stoicorum nullus erat, qui se ad illum apicem conscendisse dicere auderet, nec tamen à felicitatis fruitione excludi vellent, necessitate coacti ad illam, quæ à Cicerone illis tribuitur, doctrinam confugere debuerunt. Hæc igitur illorum modestia ipsis fraudi esse non debet, nec calumniâ hâc grauandi sunt, quasi felicitatem magis quæsiuerint, quàm habuerint, & ab ipso veræ virtutis contubernio & fruitione deserti fuerint. Sed videamus iam Peripateticos illos, quia 201
maiorum doctrina degenerantes nouarum opinionum commentis secessionem & schisma vel re ipsâ fecerunt, vel fecisse falsò culpantur. Hoc posterius de Theophrasto prius de Hieronymo Rhodio intellectum volo. Ille vt Ciceronis * verba habent omnium Philosophorum Scholis & libris vapulauit propter approbatum ab ipso veteris Poëtæ versiculum:

Vitam regit fortuna, non Sapientia.

Atque ob hanc ipsam causam Thomas Garzonus in vernaculo suo vniuersali omnium professionum ac statuum humanorum Catalogo, quem ab ipso *piazza vniuersale* inscriptum Latinus interpres Emporium Emporiorum vertit, eo loco vbi de Moralis Philosophiæ Professoribus tractat, non dubitauit Philosophum hunc Tulliani dicti iustò liberalior explanator & extensor hâc immeritâ & immani onerare calumniâ, quasi ipsum bonorum finem fortunæ tribuisset. Contra vtrumque ita enim promisi * mihi defendendus est, nec valde difficilem suscepi contra Garzonum controuersiam ideoque paucissimis terminandam; Ciceroni plenius satisfaciendum est, qui verè quidem præmissam sententiam Theophrasto adscribit, sed non rectè illum alij quibus ipse quoq; tacitè saltem subscribere videtur, reprehenderunt. Garzonum enim quod attinet, non puto consequens esse, ideo Theophrastum in fortuna summum bonum constituisse, quòd in humanis illa plurimum possit, præsertim cùm & aliunde & ex vita eius apud Laërtium compertum habeamus, longè aliùs in hac Philosophiæ parte illum mentis fuisse. Sed ad Garzoni refutationem etiam sequentia, quibus Cicero refellitur, pertinent. Esse autem verissimum illud de Regimine fortunæ in humana vita Theophrasticum effatum non tantùm omnium temporum experientia sed etiam sacratior Philosophia nostra, id est, Theologia Christiana irrefutabiliter euincunt. Experientiæ illustre testimonium & documentum habemus in M. Bruto Pompeianarum partium Caio Cassio collega contra Antonium & Octauianum Cæsarianos duce, qui cùm in bona causa non alium, quàm qui illi conformis esse, sibi euentum promisisset post acceptum in Campis Philippicis cladem

* lib. 5. de Fin.

* supra p. 11. n. 60

errorem istum suum experientiæ monitis agnouit, & sequentibus, nescio cuius Poëtæ tragici, versiculis vel seipsum consolatus est, vel virtutis vicem doluit:

O misera virtus
at tu serua fortunæ eras.

Tam plena autem est omnis Historia, Græca, Romana, Barbara, huius generis exemplis, vt tam promiscue & vbique passim obuijs recensendis minimè immorandum sit, Philosophiam quod attinet, & fidei nostræ castimoniam, satis inter omnes nostros conuenit, nihil aliud esse, quod quidam antiquorum fortunam vocârunt, quàm illud ipsum, quod alij ac Stoici in primis fatum nominare maluerunt, quod in Christiano sensu non aliud intelligimus quàm diuinam prouidentiam, quæ ex eiusdem disciplinæ præscripto ipse DEVS est. Quando igitur dicimus à fortuna res humanas regi nil aliud effamur, quàm DEI nutu omnia geri eiusq; sapientissimæ prouidentiæ ac diuinæ voluntati omnia subiecta esse. In hoc sensu dixit in oratione pro Ligario sua Cicero *neminem mirari debere humana consilia à diuina necessitate esse superata.* Huc pertinet etiam illud vulgatissimum Poëtæ, quod inuincibilis veritas pridem in prouerbium conuertit.

Fato prudentia minor.

Rectè igitur fecerimus, si sequens Satyrici distichon:

Nullum numen habes, si sit prudentia, sed te
Nos facimus fortuna Deam, cæloq; locamus;

in sequentem modum & longè verissimum sensum commutemus,

Præcipuum tu numen habes, Sapientia vincat
Quam non vlla, Deam cælo, Fortuna, locandam.

Huc facit illud etiam è sacris literis: *Non est consilium aduersus DEVM,* quæ-
202 q; eius generis alia in ijsdem & interpretibus earum reliquisq; Theologicarum rerum Scriptoribus occurrunt. Atque hæc ipsa causa est, eò quòd nulla esse possit, quod etiam supra dicebamus, nec vnquam fuerit tanta cuiusquam hominis prudentia tam prouidum & sapiens consilium, tam sagax præcautio, vt de sperato actionum suarum exitu & felici euentu certus quis esse possit, quæ res omni tempore magnarum rerum dubiiq; successus negotiorum molitores permouit, vt præsagijs & diuinationibus, & plerumque quidem ad superstitionem vsque magicasq; non rarò artes & diabolicas præstigias addicti deditiq; fuerint. Nam quod ex ipsa re nullo ingenio, nullius prudentiæ indagine elici sumiq; poterat, aliunde sibi mutuandum esse cautissimus quisque censuit. Transeo ad Rhodi-

um Peripateticum Hieronymum eiq; propter Sectæ affinitatem Heracle- 203
otem Dionysium iungo, quorum placita ad examen reuocans præfari
compellor, nihil fere esse in tota hac de Felicitate humana disquisitione,
quod maius nobis facessat negotium, maioriq; præclarissima quæq; inge- 204
nia versauerit & vexârit difficultatum & dubitationum æstu, quàm corpo-
ris dolores; quibus non tantùm prædicti Hieronymus, & Dionysius sed
præter illos & Aristippum, ipse etiam Aristoteles, si vera sunt, quæ pluri-
mi veterum ac illi ipsi, qui superioribus seculis veri & genuini Peripatetici
habiti sunt, ac etiamnunc nostro tempore eiusdem sectæ professi illi tri-
buunt, succubuerunt. Nobis autem dummodo sanctioris sapientiæ, (quæ 205
non rectæ tantùm rationis vestigijs insistit, sed etiam saluificæ fidei incon-
cussibilibus fundamentis innititur) & diuinitus nobis traditæ doctrinæ
sectatores esse & haberi cupimus, ab Epicteto & reliqua Stoicorum cor-
data & virili schola nequaquam recedendum est: ac turpe fuerit imò tur-
pitudinum omnium fœdissima colluuies & cloaca, si qui Christianâ pro-
fessione censemur & crucis nostræ, siue corporis illa siue animi afflictrix
sit, patienti portatione humilitatis, mansuetudinis & tolerantiæ magi-
strum imitari tenemur, ipsis gentilibus ac nominatim Epicuro molliores
& profaniores agnoscamur. Omnium enim præcipuum, quod in vita &
placitis huius Philosophi laude & admiratione dignum videri potest, hoc
est, quòd per corporeos cruciatus non sibi passus sit eripi veram illam
animi voluptatem, quam generosissimæ mentis veraci & infallibili con-
ceptu sibi formauerat. Quod autem præfatum Hieronymum in solo hoc 206
corporis dolore summum malum statuisse veteres asserunt (contrario-
rum enim contraria doctrina est) negare quidem, cùm vnanimiter ita
ab omnibus, qui illius meminerunt, tradatur, non audeo, dubitatione
tamen vix carere puto, quemquam mortalium nedum Philosophiæ Pro-
fessorem tam enormiter desipuisse, vt in solius externi doloris vacuita-
te, nisi etiam sacratiora animi penetralia virtutum scopatione perpurga-
ta sordibus carerent, indeq; malè sibi consciæ mentis cruciatus exclusus
esset, acquiescere, & felicitatem sibi polliceri sustinuerit. Siue igitur cum
Stoicis dolores corporis ad indifferentium classem redigamus, siue cum 207
Academicis & Peripateticis in malorum censu illos computemus, firmi-
ter & ineuincibiliter tenendum est, non esse illos tale malum, quòd nobis
beatitudinis thesaurum, & summi boni etiam inter summos & extremos
cruciatus voluptuosissimum indicibilis suauitatis solatiũ eripere debeat.
Ac si aliter, statuamus huic sequenti blasphemię fortissima nos argumenta-
tio innodabit, vt concedere cogamur ipsum etiam Christũ Dominum, ne

quid de Sanctis Apostolis & tot Martyrum millibus addam, flagellis cœlum & cruci affixum miserum fuisse. Longè sincerius & magnanimiùs hac de re sensit & locutus est vetus ille Abderites, qui sapientem ne quidem in Phalaridis tauro infelicem fore pronunciauit, & idipsum nobili sanè exemplo, pilâ quasi in mortario Cyprij tyranni iussu contusus, eiusq; immanitati masculè insultans Anaxarchus ad omnis posteritatis memoriam comprobauit. Quis igitur dubitet multò miseriorem Nicocreontem fuisse affirmare, qui barbara ista tormenta exerceri flagitiosissimè iussit, quàm generosissimi animi Philosophum, qui constantissimè sustinuit.

208 Negari igitur vt dixi, nequit inter omnes huius vitæ calamitates & miserias nullam esse, quæ impetuosiùs felicitatem nostram oppugnet quàm corporalis iste dolor, qui nihil imaginationis habet, nec in hominis arbitrio & potestate consistit. Animi enim ægritudines hactenus tantùm hominem affligunt, quâ in phantasiam admittuntur, estq; in hominis arbitrio, dummodo ad id requisitis naturæ primogenijs omni ex parte non destituatur, & Sapientiæ pharmaca peritè applicet, illarum cruciatibus se non præbere excarnificandum: quod in corporeis doloribus secus est, qui non tantùm in rei veritate & ineuitabili sensu radicantur, sed sæpius etiam tam intensi & excessiui sunt, vt prorsus intolerabiles videri possint, vsq; adeò, vt subinde non aliter, quod in calculi extrema tortura adolescente me circa nostratem quendam Ecclesiæ Prælatum factum fuisse commemini, quam soporiferis potionibus illis succurri possit, multos etiam in mentis alienationem & phrenesin præcipitârint. Verùm hanc quoque corporalis doloris considerationem ad subsecuturam suo loco de gradibus summi boni quæstionem reijcimus. Nec velim cuiquam mirum

209 videri, *multò minus improbari*, tot veteribus Philosophorum Sectis, *ijsque maximam partem admodum nobilibus & celebribus*, quæ nominibus & aliorum dogmatum diuersitate variè quidem ab inuicem dissident, sed in dolorum corporalium cum felicitate insociabilitate inter se conueniunt, *reiectis & contemptis* contra sensum communem, *vt poterat à vulgari opinione difficulter auellendis, videri* in hac materiâ niti videar. In hoc enim doctrinæ genere pro vniuersali regula teneudum est, oportere nos eo, quem consequi possumus, beatitudinis modulo contentos esse, illumque hic satis beatum agere, qui, vt quàm minimè miser sit, non infeliciter laborat: ideòque mihi, *probatur ipsimet Chrysippo* sapientum triga, in hac parte sufficit: Zeno, Epicurus & Calliphon, præsertim accedente ad illos Cicerone, & constituente istâ quadrigâ suâ iustum & stabilem, sapientiæque maximè conuenientem & conformem quadra-

tum

tum numerum. Carneadis ſententia de primogenijs ſiue congenitis natu- 210
ræ omni quidem ex parte improbari non poteſt, nec tamen ad vniuer-
ſam ſummi boni complexionem ſufficiens videtur. Sunt enim præclara
quidem & omnium præcipua virtutis, in qua beatitudinem, de qua agi-
mus, conſiſtere putamus, adminicula & adiumenta, in ò, vt rectiùs
loquar, illius inſignis pars credi & dici merentur, (de animi primoge-
nijs tantùm non etiam de corporis quæ de parte dixi, intellecta volo)
ſed nequaquam in illis acquieſcendum, ſed ad vlteriora progrediendum
eſt, quod in ſequentibus, vbi contra Stoicos euincendum eſt, non ſolam à
natura virtutem eſſe, & contra alios non diſci tantùm poſſe, ſed etiam 211
doceri oportere, clarè ſatis, vt confido, patebit. Obiter hîc mirari libet
Ciceronem nouam Carneadis Academiam mediæ & veteri prætuliſſe
(ita enim reſtitui & corrigi debet, ſi quid in ſuperioribus de Arceſila e-
iuſq; media Academia Tullium quod attinet, per inaduertentiam & præ-
ter mentem ſecus poſitum & affirmatum ſit) nec tamen vt ille in naturæ
primogenijs, ſed vt rectè facit, in ſola virtute beatitudinem conſtituiſſe.
Poſſit enim ita ſentiens & nimiùm ab inuicem diſtantia inſociabilis aſ-
ſenſus coniunctione complectens, non tantùm manifeſtiſſimæ contrarie-
tatis conuinci, ſed etiam propriâ ſententiâ ſuâ, quam retuli, * conde- * p.
mnari nec video, quomodo aliter ipſi ſuccurri, & elapſus anſa præberi 19.
poſſit, quam ſi dicatur (ita enim, ſi quid video, verè etiam ſe res habet) in fi-
Carneadem à Cicerone probari, quoad modum & formam aſſentiendi ne.
ſed non ſimul, quoad ipſa dogmatum materialia. Maioris adhuc admira-
tionis cauſam ſubminiſtrat, quod idem Cicero in Sectarum enumeratio- 212.
ne ſua, quam ter repetita ternione definit, propriæ ſuæ eiuſq; præcipuæ
(Stoicam enim, quam eandem eſſe cùm Peripateticorum & veterum Aca-
demicorum Antiochum ſecutus perſuadere vult, cum Calliphone &
Epicuro in eodem excellentiæ gradu in effectu & re propriùs perpensâ
conſiſtere ſatis puto ex ſuperioribus * conſtare) oblitus fuerit Sectæ, * Pa.
eamq; non ſine inſigni contumelia inhonoram prætereierit. Nec enim
dici poteſt, quòd illam, tacitè ſaltem ſub Calliphonia comprehenſam
eſſe voluerit, eò quod non minùs Calliphoni, quàm ipſimet Epicuro ali-
am affingat voluptatem, quàm de quâ ab illis ſenſum fuit. Democriti Eu- 213.
thymiam non aliam, quàm ipſammet Epicuri voluptatem eſſe puto, quod
ex relatis eius verbis, * licèt diuerſum dicere videantur, abundè claret.
Quid enim aliud eſt rectus & quietus animi ſtatus, ſecundùm quem ille * p.
nullâ ſuperſtitione aut aliâ quâuis perturbatione agitatus magnâ tran- 23.
quillitate conſtantiâque beatus ſit, quàm illa tantopere à multis calumni-
oſè

osè expositâ & traducta Epicurea voluptas? Ac videntur sanè non otio-
sè à Laërtio adiecta hæc, vt à Latino interprete eius vertuntur, formalia:
vt quidam obliquè interpretantur, quibus apertissimè innuisse videtur, sibi
non probari illam quorundam minùs sinceram expeditionem adeòque
inter Democriticam Euthymiam & Epicuream voluptatem nullam esse
differentiam. Rectè igitur affirmauerimus non minùs in Morali Philoso-
phia, quàm in naturali, & Atomorum doctrina ab Epicuro Democri-
214 tum probatum esse. Diodorus Peripateticus Critolai discipulus an per
virtutis cum doloris vacuitate conbinationem propriam nouæ sectæ ge-
nus introduxerit, in vtramque, ni fallor, partem disceptari possit, maxi-
mè si ab vna parte, quæ Cicero de illo scribit; ab altera, quæ supra de
Hieronymo expendimus, inuicem contendantur. Huius autem æquè
opinionem, quam Hieronymi & Dionysij improbandam esse iudico, nec
ad summi boni ereptionem corporeis cruciatibus sufficientes vires con-
cedo, quos tamen gradum & excellentiam eius, vt infra videri potest, va-
riare non infitior. Sed mitto isti rei pluribus insistere, ac in affirmantis
215. Tullij honorem non obsto, quin assignatam stationem suam Diodorus
obeat & tueatur: Eodem reijciuntur, quæ de Iassij (si non erro) Diodori
* n. augmento siue auctione supra dicta sunt *; hoc loco Euclidis VNVM præ-
79. teriri non debet, qui dum felicitatem, quam quærit & consequi labo-
216 rat, multis nominibus celebrem vocat, & modò prudentiam, modò
mentem, modum ipsum DEVM dici ait, non aliud sensisse videtur, quàm
in Carnadeis primogenijs, id est, diuinitùs concessis donis (vnde enim
omnia nostra, quàm ab ipso DEO eiusque largissima benignitate repeta-
mus, & quò eadem referamus?) boni summam consistere, nec aliò, quàm
ad ea, quæ de vltimo & absoluto bono Platonem docuisse diximus *,
* pa. 60. mentem intendisse, atque hâc ratione cum illis, quibus huius Philosophi
de beatitudine primarij studij principatū adiudicamus, si non omnimo-
217. do potissima saltem ex parte concordet. Huc similiter faciunt, quæ de
Antisthenis, Bionis Herylli, ipsiusq́ Socratis de summo bono dogmati-
bus relata sunt, quibus, si Gazonus hac in re fide dignus est, Thales Mile-
sius, Alcidamas & Bias Prienæus adiungendi sunt. Quæ enim Bion de pru-
dentia, Bias de Sapientia, Heryllus, Alcidamas & Socraticorum multi
imò ipse etiam Socrates de scientia, Thales & Antisthenes de sapientia
& prudentia iunctim affirmant, in idem fere recidunt, magisq; verbo-
rum notionibus, quàm ipsius rei qualitate & substantiâ ab inuicem di-
stant; nec aliud dicere videntur, quàm si non omnimodo, ad minimum ex
parte maxima cum illis, quæ de primogenijs naturæ Carneades professus
est,

est, docere consona. Non otiosè dixi, *ex parte maxima*, eò quòd ad compa-
randam siue sapientiam, siue prudentiam, siue scientiam naturæ primo-
genijs, quibus non originem tantùm, sed potissimam etiam facultatem
& diuitias suas debent, institutio, experientia & eruditio si ad paulò ex-
cellentiorem gradum euehi debeant, adiungendæ sint, quod & hic & ali-
bi iam dictum deinceps, quoad angustiores propositi nostri termini pa-
tientur, adhuc paulò copiosiùs attingere oportet. Illud tamen hic dis- 218
simulandum non est, quamuis sapientia, prudentia, & scientia prædi-
ctæ, vnius mentis siue animi eadem operatio sint, ex obiectorum tamen
diuersitate variationem consequi & distingui non tantum, solere, sed
etiam debere. Sapientia enim ad res diuinas & morales virtutes, quate-
nus circa solam honestatem occupantur, pertinet; prudentia circa vtili-
tatem sollicita est & ad illam virtutum regimen, cui honestate saluâ vti-
lium etiam rationem habere permissum est, hactenus competit; quam
rem in secundo de Officijs libro, quod & ante ipsum Panætius fecerat,
præclarè admodum & felicissimè, vt omnia sua Tullius noster exequitur;
scientia ad rerum cognitionem & mundanæ fabricæ contemplationem
respicit, ex quo sequitur, quòd secundùm hanc distinctionem & loquen-
di proprietatem ex prædictis Thales & Antisthenes si verum est, quod
de hoc antiquitus Laërtius & de illo nostrâ memoriâ Garzonus scripse-
runt, præ reliquis magis probandi sint, dum sapientiam & prudentiam
inuicem coniunxerunt, quos tamen multò adhuc probabiliùs docturos
fuisse & magis probandos fore persuasus sum, si tertiam illis comitem
dedissent scientiam. E Cyrenaicis Anniceridis & Hegesiæ, facta suo lo- 219
co mentio est, estq; aliquod operæ pretium illorum etiam in hoc secta-
rum examine meminisse (Atheum enim Theodorum facilè contemno,
illumq; vel minimâ memoratione indignum cum omni tribu suâ in mor-
boniam exulatum proficisci iubeo.) Ex vtriusque enim & maximè prio-
ris dogmatibus nouum subministratur argumentum pro nostra in præ-
cedentibus, exhibita eruditi Lectoris examini & dijudicationi, pro-
blematicâ propositione de non accipienda Aristippi & sequacium eius,
circa assertam ab illis voluptatem in crudis illis, qui vulgo obtinent tor-
minis interpretatione & sensu. Anniceris enim in amicitiæ adeoq; per
consequentiam ipsius virtutis gratiam molestias voluptati præfert, nec
tamen ita egendo beatæ vitæ quicquam decedere satis generosè putat,
quam ego assertionem voluptatis in animi magis, quàm corporis sensu
consistentis, concludentissimum argumentum habeo. Hegesiæ ad eius-
dem probationem præclarum dictum est, *Sapientem non adeò in bonorum*

electione inhæsurum, vt in malorum fuga, finem constituendo vt neque in labore,
neque in dolore viuatur, idq́; eos assequi, qui circa voluptatum materiam neu-
tram in partem inclinatiores sint. Hæc siue verè siue aliter ab illo dicta & ab
alijs ac me ipso hactenus rectè intellecta sint, (possunt enim, fateor, non
vno modo capi,) hoc saltem, quod probare intendo, inde colligitur, ad
animi magis tranquillitatem quàm corporis indolentiam pertinere. De
220 Eratosthenis, Panætij, & Posidonij non minus ac Dionysius, de quo dictũ
est, è Stoa transfugarum, opinione non attinet hic pluribus agere. Æquè
enim improbandi sunt, quàm illi, ad quos grauitatis suæ obliti, dogma-
tis saltem sequela, si non & domicilij translatione se subduxerunt. Stoici
enim, quantum scitur, etiam post desertam & prædictam istius instituti
primariam & fundamentalem Doctrinam haberi voluerunt & appellari
221 perseuerarunt. Pittacus Mitylenæus, quem in bene operando felicitatem
quæsiuisse Garzoni fide refero, & Platonicus Plotinus (liceat mihi ætate
multis seculis inter se diuisos sensuum si non vnitate, eorundem appro-
pinquatione saltem & viciniâ parum discrepantes coniungere) si per vni-
onem suam, id quod supra suspicatus sum, intellectum voluerunt, vterq;
meus est, faciuntq́; & hic & ille ad illius probationem, ad quod iam è le-
ge factæ suo loco propositionis ostendendum progredior. Necdum
*p. enim me eius pœnitet, quod anteà * obiter dixi, & hoc loco aliquanto
pleniùs repetendum est, videre mihi plurima ex parte veterum Philoso-
phorum de summo bono concertationes eo laborare vitio, & difficulta-
222 te premi quò alteri alteros rectè intelligere, siue per neglectum siue ex
industria abnuerint, alienosq́; & peregrinos sensus sibi inuicem variè af-
finxerint; è quo consequens est, si seposito, vt æquum est, partium studio,
& cessantibus quæ vel maximè veritatis cognitioni officiunt, philantiâ &
odio rem consideremus, calidas illas altercationes partim in meram
logomachiam resolui, partim in aliqualem concordiam, sensuumq́; non
223. multùm ab inuicem discrepantium congruentiam redigi posse. Ad id tan-
tò feliciùs moliendum, multùm, ni fallor, facit sequens consideratio,
virtutem moralem, cui cum fructu & operatione sua (bonam conscien-
tiam siue veram animi voluptatem intelligo) in eo, quod sub manu est
principatum & victoria debere dixi, partim in intellectu, partim in vo-
luntate consistere; idq́; non alio modo, quam vt in hac eius materia in
illo forma quærenda sit. Licèt enim omnis virtutum vniuersitas non alibi
quàm in voluntate, siue, vt in scholis loquuntur, volitione habitationem
suam elegerit, omnes tamen & singulæ non languidæ tantùm & cœcæ,
sed planè etiam inanimæ & mortuæ sunt, nisi ab intellectu vigorem, spi-

ritum

ritum, illuminationem, vitam & animam mutuentur: in huius enim regimine omnis illarum decor & pulchritudo & ipsemet quasi quinta, vt cum Chymicis loquar, essentia consistit. Nec enim optima quaque velle sufficit, multumq́ prodest, nisi etiam quid & quantum velle debeamus, recti intellectus perspicacia nos doceat. Hæc vt certa & confessa allegare satis est, probari opus non habent. Hâc igitur factâ præsuppositione vix dubitandum puto, quòd qui vel in scientia, vel in prudentia, vel in sapientia, vel in his duabus boni summam collocârunt, vel in omnibus tribus deinceps constituere volent, nil aliud se sentire dicere possint, quàm se virtutibus non minùs, quàm alios ita sentientes, hominis felicitatem adiudicare, illius tamen laudis principatum non communitati, sed eius reginæ, quæ tamen & ipsa inter quatuor Cardinales virtutes & principe quidem loco numeretur, siue prudentiam illam siue alio cognato nomine vocare libeat adscribere. Ad eundem modum etiam in plerisq; reliquis non absurdè procedi potest. De Stoicis verbis & phrasi differentibus re ipsâ & vero sensu idem docentibus, obiter supra dictum est, quæ de indolentia siue doloris vacuitate diuersi prætulerunt, quo Hieronymus, Diodorus & Dionysius prædicti pertinent, maximâ ex parte saltem cum Epicuri voluptate cum tranquillitate Stoicorum, Democriti Euthymiâ, gaudio Aristotelico consonare arbitror. Quamuis enim fortè vnus aut alter cum Aristippo corporis indolentiam simul includendam esse putârit, non facilè tamen mihi persuaderi patiar, vel vnum de omnibus animi curam insuper habuisse, illumque doloris vacuitate gaudere noluisse, è quo vlterius consequens est, omnes illos, quos retuli, in virtutum cultura & exercitio siue voluptatem siue doloris carentiam quæsiuisse. Nec enim vllibi in Oecumenica mundi fabrica animi quietem & iucundationem quam in solâ virtute indeque progerminante mentis sibi bene consciæ tranquillitate illud inæstimabile veræ felicitatis præmium inueniri posse, tam indubitatum & euidens est, vt vix putem quicquam esse, in quo mortalium omnium consensus vniuersaliùs, infallibiliùs & constantiùs consentire & conspirare debeat, imò veriùs, si sententia eius rogetur, totus mundus iam nunc consentiat & conspiret. De Aristippo quisque, quod volet, me non impediente sentire poterit: hactenus me in eius defensionem dictorum non pœnitet, vt liberum & de cliente & de patrono relinquam cuiq; iudicium. Simili modo etiam de Aristotele quisque, quod ipsi videbitur, statuet, deque eius circa summum bonum doctrina vel Laërtio, Nicomacho, alijsque vel Ciceroni & Antiocho subscribet, ipsum certè Peripateticum ea de re dogma, quod

etiamnunc in ipsis Christianorum scholis magni fit, & publicæ defensionis dignatione superbit, non alium quàm infimum & vilissimum inter omnes ferè sectas locum sortiri meretur, & si ex pulpitis cathedrisque non potest, saltem exanimis fidelium omnium, nisi ipsorum gentilium plerisque imperitiores & viliores haberi cupiant, exterminandum est. Hoc quia in præcedentibus ex ipsis saluificæ fidei principijs & sacris scri-
* supra p. 225. pturæ fontibus pro instituti ratione satis ostensum sit *, facta illuc remissione hic repetendum non est. Facit autem vel maximè ad reducendum veteres in concordiam Philosophos, quæ de summi boni gradibus dicenda supersunt, in quo non tam nouitio & priuato quàm mortalium omnium, ni fallor, re rectè perpensâ insito & congenito dictamine totius huius conaminis nostri mysterium situm, & ex eo penitioris huius notitiæ nucleus carpendus est. Inter cætera etiam inde potissimum, antequam ad reliqua eaque potiora digrediar, Peripateticorum cum reliquis magis mascula & magnanimiora sentientibus, qualisqualis conciliatio peti posse videtur. In huius ingressu duplex à veteribus commissus error attenden-
126 dus & expendendus est, vnus Stoicorum, Peripateticorum alter. Ex his prior si non alterius primæua causa fuit, ad minimum ad illius obdurationem & remedij neglectum plurimum contulit. Stoici enim, qui temporis ordine & exortu posteriores sunt, nullam admittunt in summi boni fruitione graduum differentiam, cuius paradoxi absurditatem cum Peripatetici prudenter animaduertissent, in hoc vno inexcusabiliter impegerunt, quòd omnes illos, quos ad summum perfectionis & excellentiæ gradum non peruenisse sibi persuaderent ab omnimoda summi boni participatione imprudentissimè abegerunt. Ab vtroque ex æquo cauendum est, & vitatis Stoæ & Lycei extremitatibus regiâ veritatis & virtutis viâ (*medium* enim iuxta antiquam eamque probatissimam sententiam *tenuêre beati*) nobis incedendum est, quod agentes, & veteres illos si non ex toto in concordiam redigemus saltem aliquanto coniunctiores efficiemus, & nobismetipsis in eius, quod verum bonum est, electione & felicitatis nostræ valdè salutari & admodum necessaria agnitione optimè consulemus. Nam antiquos illos, quod attinet quemadmodum, vt supra vidimus, parum refert, an quæ indifferentia sunt, inter bona & mala, cum Peripateticis referamus, vel Stoicorum exemplo ab istis classibus repulsa, nouis nominibus vocata alia stabula quærere cogamus; ita etiam non multùm interesse puto, ad sensum si calumnia absit, & alter alterum rectè intelligere velit, an infelix cum illis dicendus sit, qui plurimis afflictatur incommodis, an verò cum his non attentis

corpo-

corporeis & externis incommodis istis beatus. Semper enim meminis-
se oportet, teneri nos in verbis faciles esse, dummodo de re conueniat,
atque ea de causa per me cuilibet permissum est, an præsentis vitæ sum-
mam etiam, quàm seculorum omnium experientia ostentare possit, felici-
tatem, quæ paucissimis sanè obtigit, isto vel potius miseriæ nomine voca-
re velit, dummodo vicissim mihi largiatur, non omni ex parte miserum ha-
bendum & dicendum esse, qui calamitatem suam fortiter fert, & à veræ
beatitudinis iactura sibi cauet. Quidquid autem sit de illis, de antiquorum 227
Philosophorum multimodis & variantibus opinionibus illarumque vel
conciliatione, vel inconciliabilitate hoc quod superest & propiùs nos
tangit, agere incipiamus. Nostra certè ad vltimum parum refert, quid
veteres illi senserint, dixerint, scripserint, inculcârint & persuaserint, &
quatenus ac quomodo in concordiam redigi possint & debeant, quibus
hoc vnicè curandum est, vt illius boni, à quo neminem, qui vel hacte-
nus nati sunt, vel omnibus de futuro seculis in lucem prodibunt, exclu-
dendum esse dixi, quo, possumus studio sedulitate & diligentiâ consor-
tium consequi inuigilemus. Huius membri hæc summa erit. 1. Nullam esse
huius vitæ vel à naturæ siue geniture infelicitate vel à fortunæ malignita- 228
te promanantem miseriam, quæ omnimodam beatitudinis, dummodo
virtutem pro eo, quo cuique datum est, modulo quis colat, fruitionem no-
bis eripiat. 2. Multas & maximas esse summi boni differentias, ac distin-
ctissimos distantissimosque gradus, quos, postquam eò deuentum fuerit,
ordine recensebimus, & quosque pro meritorum pondere debitè ex-
pendemus. 3. Inter omnia præmemorata, in specie, vt vocamus & no-
minatim nihil esse, quòd minus constantem virum affligere & terrere
debeat, quodque minus de felicitatis & beatitudinis possessione quem-
quam, dummodo officio suo non desit, ac non minùs temperantiæ,
quàm fortitudinis memor sit, deijcere possit, quàm res aduersas, & no-
uercantis fortunæ iniurias ac insultus; cuius rei paulò accuratior perpen-
sio, cùm illud ipsum sit, quod ad præsentem scriptionem, ad veræ Philo-
phiæ solatia confugere opus habentem impulit, non videtur perfuncto-
riè, quantumuis arctioribus se ipsum constringentem & includentem
septis attingere oportere; præsertim cùm nihil ferè sit in humana vita vel
frequentioris euentus, quàm rerum contra expectationem & votum mi-
nus feliciter succedentium vel magis necessariæ solicitudinis & curæ,
quàm malignantis fortunæ, si nec vitæ integritate, nec prudentiâ cuita-
ri & auerti possis, animi patientiâ & robusto pectore placidè lætanter-
que ferendæ & superandæ. 4. Præcipuum esse in aduersis rebus Alexi-

pharmacum illud Ciceronis: *Vacare culpâ magnum est solatium.* 5. Non minoris esse virtutis tum alienam felicitatem citra liuorem æquis oculis contueri, tum ex eiusdem generis miseria lætitiam non capere, quàm
229 propriam calamitatem constanter & lætabundè sustinere. Ad primæ huius propositæ quæstionis resolutionem inprimis & ante omnia quibuslibet constare cupio, eumque in finem monendum esse duco me præsentis seculi beatitudinem è melioris & diuturnioris per mortis portam introeundæ vitæ felicitate metiri, hâc nimirum attentâ ratione & seruato modo, vt, quemcumque euentus prosperitas ad sempiterna gaudia post cineres deduxerit, illius temporalis vitæ curriculum infelicitatis damna-
230 ri non potuisse affirmatu potius statuam. Quænam autem in vniuersum ad id assequendum requirantur, cùm ad ipsam profundissimam & intimam Theologicarum rerum medullam spectent, non videntur hoc loco, vbi Philosophica tractare intentio est, altius penetranda esse, quare ad Theologos nostros, quorum de hac re libri vbique pleni & refertissimi sunt, eius rei curiosos remitto. Ac aliàs etiam sola sufficit præsuppositio, de eiusmodi re acturo, habilium, vt Scholastica regula habet, terminorum. Nec enim opus habeo me cuiquam suspectum facere, quasi captum ingenioli mei superantia temerè attrectare & *super pennas ventorum*, vt sacra phrasis habet, *ambulare* intendam, possitque fortè tale quid molienti illud è sacris literis obijci: *scrutator Maiestatis opprimetur à*
*pro uerb. 25. *gloria.* * Debui autem præmissorum vel ideo obiter saltem meminisse, vt calumniæ nimiùm hoc tempore non apud vnos prævalentis & grassantis
231. mordacitatem præuertam, eò quòd aliàs non nemini suspectus fortè fieri possim, quasi dum mortales in vniuersum omnes ad summi boni in hoc terrestri habitaculo consortiū admitto, eo ipso vigore prædictorum simul asserere videar, quemlibet, quæ quorundam politicorum, falsò ita dictorum, hæresis est, in sua fide saluari posse. Ideò enim neminem excludo, sed quoscumque omnium gentium & climatum, ad eius, quam sub manu habemus felicitatis (quam sine vllo dubio, cùm de fide sit, in Christianæ fidei agnitione & professione Catholicæque communionis consortio consistere credendum & dicendum est) participationem inuito, vt per hanc vnicam viam ad alteram illam stabiliorem & finis expertem sibi
232 aditum faciant. Hâc factâ necessariâ admonitione diuersas & à proposito non alienas, sed paulò profundiores & vix sub breuitate sine obscuritate expendendas & expediendas quæstiones sciens & libens prætermitto, inprimis tanquam summo periculo non carentem scopulum euitans & attingere abstinens notissimas illas difficultates, quæ ab aliquo tem-
pore

pore præclara & excellentia aliquot Catholicæ communionis in Republicâ Christianâ exercuerunt & plurimum inquietârunt ingenia, missas facio. Nec enim opus habeo illud vastissimæ profunditatis nulla humani ingenij solertiâ explorandum & dimetiendum mare: paruâ hâc tenuioris dissertationis cymbulâ intrare, contentus ijs me continere terminis, qui humanam cooperationem concernunt, ne in illius boni assecutione, quod quærere & quantum in nobis est assecutione nostrum facere, contendere tenemur, nobismetipsis defuisse culpemur. Vnum hoc obiter 233.
non definire, sed prudentium & piorum dijudicationi subijcere iuuat; cùm certum sit, & inter fidei nostræ articulos comprehendatur, extra Christum nec quærendam esse, nec inueniri posse ad æternitatis gaudia viam, nihilo tamen minùs è contrario non audeant Theologi nostri omnes extraneos damnationi subdere & à cœlesti futuræ vitæ beatitudine excludere, an illi, qui in Indijs alijsué terræ partibus circa infidelium ad salutifica sacra nostra conuersionem occupantur medium aliquot comminisci & in praxin deducere possint, quo illis quoque succurratur, quorum conuersionem desperatam esse animaduertunt. Est enim fides scripturâ teste Dei donum, & vbicumque diuina gratia non præualet, illic mera impossibilitas est, vt animalis homo * ea præcipiat, quæ sunt spiritus Dei. Saluatorum per Christi meritum, quantumuis mysterium illud ignorauerint, illiusque efficaciam per fidei apprehensionem non agnouerint (nam nec illos aliquo alio quàm hoc introitu ad cœlicum illud consortium peruenisse inter Theologos constat) etsi fortè propter obstacula non magnus admodum repertus hactenus sit numerus, non tamen desperandum esse videtur, posse deinceps piam industriam non pœnitendos effectus præstare. De præteritis ex reuelationibus potissimum constare 234.
deberet, cuius tamen generis vix aliud, quàm quod de Traiano Imperatore S. Gregorij Magni precibus ex inferno liberato à S. Ioanne Damasceno proditum est; quod licèt de fide non sit, nec apud omnes fidem inuenerit, imò à cordatioribus Theologis omnibus reijci & explodi soleat, non tamen, quod sciam & meminerim, exemplum illud ex eo impugnatur, quòd in genere talis saluatio piæ credulitati nostræ aduersetur, sed quod illa orci pœnas, è quibus redemptionem non esse, sacro eloquio credendum est, præuenire debeat. Præterea notum est plurimis è Christianis Philosophis nostris de salute Aristotelis, erga quem tenerrimo amoris 235.
affectu feruntur, non vsquequàque desperari posse, persuasum esse; & non desunt, qui de aliquot alijs, qui in gentilitate, probitati præ alijs maximè dediti, & feruentiores virtutum cultores fuerunt, misericordiæ;

* Pr. ad Cor. 2.

quâdam compassione idem opinati sint. Hoc cum bona Lectoris gra-
tia, cùm vel inprimis ad versans sub manibus obiectum spectet, obiter
mihi attigisse licuerit, penitiorem eius considerationem peritioribus
236 committenti. In hac autem de graduum summi boni differentijs ante
omnia præsupponendum & tenendum est, esse rem impossibilem, vt
omnes promiscuè ad summum euadant, & principem locum occupent,
ideoque quisque contentus esse sorte suâ debet, & in eo patienter acquie-
scere, quod à Diuina manu, quæ non singulis gratias suas eâdem mensurâ
admetitur, ipsi porrigitur. Sunt enim aliqua partim à natura partim à
fortuna, quæ vtraque ad auctorem suum, qui DEVS est, eiusque diui-
nam prouidentiam sapientissimamque mundi gubernationem refertur,
quæ apud plerosque tam potenter interueniunt & impedimento sunt, vt
seclusis miraculis, per quæ semper & vbique operari DEO non placere
præteritorum omnium seculorum experientia docuit, & apud Theolo-
gos extra controuersiam est, vt nullâ humanâ industriâ, nullâ arte, nul-
lo nouarum inuentionum commento superari, emendari & remoueri
possint. Ad hanc classem quinam pertineant, non attinet vniuersalem
Nomenclaturam instituere, facilè enim cuiuis in mentem veniunt in
tanto illorum quotidie quorumuis oculis obuersantium numero, qui
vulgari persuasione ex eo pro miseris habentur, quòd non omnia eis ad
votum cedant, sed vel animi, vel corporis, vel fortunæ defectibus labo-
rent; exempli loco sint, qui à natiuitate cæci vel claudi sunt, qui natu-
rali ingenij stupiditate laborant, qui Iro pauperiores omnibus ad lautio-
rem fortunam emergendi subsidijs destituuntur, qui durissimâ sub inex-
orabilibus Dominis seruitute premuntur, quæque eius generis plurima
237 alia sunt. His omnibus in genere hæc vna Philosophia sufficere debet,
vt voluntati & dispositioni Diuinæ humiliter & patienter se submittant,
vt impositum iugum absque iactatione placidè ferant, vt liberationem
suam meliorum firmâ spe expectent, *vtq; ita transeant per mala temporalia*
(sic enim singularis pietatis & mansuetudinis heros Bellarminus Cardi-
nalis solennem illam Ecclesiastici officij collectam, vt vocamus, commu-
238 niori hominum sorti non inscitè accommodauit) *vt non incurrant æterna.*
Sed missis hisce incurabilibus, quibus non aliam quàm modo dictam
medicinam, quam tamen omnes nemine dempto etiam, qui sequentur,
communem cum illis habent, de reliquis curatiùs nobis agendum est,
quibus id vnicè cordi esse debet, vt, quantum possunt, perque modò me-
moratas trium generum facultates illis permittitur, in hac tendenti ad fe-
licitatem assequendam semitâ strenuè progrediantur, omnemque adhi-
beant

beant operam; vt in ardua enitantur, ipſamque ſummitatem occupent,
vel ſitam ſublimia captum & conditionem illorum excedant, proxima
ſaltem teneant, & in ſecundis tertijsué aut inferioribus etiam conſiſtant.
Hanc piam ſollicitudinem, hoc digniſſimum Chriſtiano homine ſtudium 239
in duobus præcipuè conſiſtere Lectores mihi conſentire vti deſidero, ita
libentes mihi ſubſcripturos eſſe bene confido. Illorum prius in ipſo virtu-
tum cultu, alterum in illarum adminiculis & iuuamentis conſiſtit. Sub
priori membro pro inſtituti modulo & anguſtiâ breuiter expendi debet,
quænam ſint veræ & genuinæ hominis Chriſtiani virtutes, & qualis debe-
at eſſe timorata conſcientia eius. Hanc enim ab illis ideô ſeparare & præ- 240
termittere non debeo, quòd me Calliphoniam in ſummi boni doctrina
ſententiam ſequi profeſſus ſim, quâ ſtante ipſemet etiam veræ & ſinceræ
beatitudinis ſtatus ſibi ſufficiens ſatisque perfectus eſſe non putatur, niſi
ſimul felicitatem ſuam, qui illam aſſecuti ſunt, agnoſcant, & inde pro-
manante piâ voluptate fruantur & gaudeant. Sub altero diſtinctio illa-
rum facienda, ipſiusque diſtinctionis vſus oſtendendus eſt, prædicta ni-
mirum virtutum adminicula & cooperationes partim ſummi boni par-
tem eſſe, partim pro extrinſecis eiusdem inſtrumentis ſeruire, vbi nobi-
liſſima illa & ſalutaris admodum de rebus medijs & indifferentibus ma-
teria in quæſtionem veniet, proque meritorum ſuorum grauitate accu-
ratè ponderari debebit, cuius neglectus papilionum inſtar multos incau-
tos & ſtolidos miſerè perdidit, à quibus lucernas & lumina cum præſen-
tiſſimo & ſtatim plerumque ſubſequi ſolito, interitus periculo circumuo-
tantibus ſumpta ſimilitudo, vulgò notiſſima eſt. Propoſitum hoc de vir-
tutibus & conſcientia membrum ideo mihi breuiſſimè attingendum &
abrumpendum eſſe video, quòd ſub breuitate pertractari nequeat, ſed
fuſiſſimè per omnem hominis vitam, & vniuerſas actiones eius extenda-
tur, omnesque ſtatus & vocationum differentias vniuerſas totamq; quo-
rumcumque officiorum diuerſitatem comprehendat; ac aliàs etiam, ſi pe-
nitùs huic me rei inſinuare intendam, ſatyra mihi potius, quàm diſcurſus
ſcribenda ſit. Quare quod virtutem attinet, ſufficiet mihi ad Saluatoris
noſtri ſaluberrima & pijſſima præcepta me retuliſſe, in quibus totius ſacræ
Philoſophæ nucleus conſiſtit, eiusque abſolutiſſimum compendium eſt:
de coniungenda cum prudentia ſimplicitate, de vitanda Phariſaica hypo-
criſi, de diligendis proximis ſicut nos ipſos, inter quos etiam *inimicos* habe-
re iubemur, *de benefaciendo odientibus nos, de orando pro calumniantibus &*
perſequentibus, de theſaurizando in cœlo theſaurum, tineas & æruginem non me-
tuentem, de faciendo alijs, quæ nobis fieri volumus, de dando Cæſari, quæ ſunt Cæ-

ſaris, & quæ ſunt Dei, Deo, de eodem ex tota anima, ex toto corde & ex tota
mente amando, eaq; ratione & talibus mediantibus per anguſtam portam & ar-
ctam viam ad vitam intrando, quibus ſequentia apoſtolorum eius breuiter
adiungo: 1. Illud SS. Petri & Ioannis ad Iudæorum ſacros Principes:
Iudicate, ſi iuſtum eſt, in conſpectu Dei, vos potius audire quàm Deum, & quod
breui pòſt idem S. Petrus ad eoſdem repetijt, & reliquis Apoſtolis præ-
ſentibus tanquam de conſilij ſententia ipſemet definiuit & in ſequentem
modum enunciauit: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* 2. Illud S.
Pauli: *Si hominibus placerem, ſeruus Chriſti non eſſem*, cuius eiuſdem etiam hæc
reliqua in eandem ſententiam ſunt: *de ſuſtinendis infirmis & in bono proximis*
complacendo, de ijs, quæ pacis ſunt, ſectando, & quæ ædificationis inuicem cuſto-
diendo, de vincendo malum in bono, & pro malo malum non retribuendo (quod
ad Rom 16. optimè exponit idem Apoſtolus, volens nos *eſſe ſapientes in bono & ſimpli-*
ces in malo,) quæque eiuſdem generis plurima alia ad hominis pietati de-
diti officium & chriſtianæ armaturæ panopliam pertinentia apud eun-
dem, & in reliqua ſacra ſcriptura alibi paſſim occurrunt. Iſtius rei ad veram
pietatem ſummè conducens meditatio ea nobis in memoriam reuocare
poteſt, quæ de Coroazim & Bethſaida, de Regina * Auſtri & Niniuitis,
* Matt 12. vers. 41 & 42. Chriſtus Dominus in Euangelio commemorat. Cùm enim inter alia vir-
tutum incentiua, ipſa etiam Gentilium exempla ad illarum diligentiorem
cultum, æmulationis ſtimulis efficaciſſimè excitare ſoleant, quod ipſemet
S. Auguſtinus alicubi fatetur & præclarè exequitur, vel inprimis Chriſtiano
homini ſummè cauendum eſt, ne ab illis, qui ex ſolo naturæ lumine bene
agere & probè ſe gerere ſtuduerunt, qui ad maiora vocati & ſanctiori lu-
mine illuſtrati ſunt, ſe minores & viliores præſtent. Tam illuſtria enim
& ſummè admirabilia apud Græcos, Romanos, Barbaros antiquitus exer-
cita ſunt, & ad memoriam noſtram peruenerunt variarum virtutum ex-
empla, vt non inflammare tantùm nos poſſint, ad imitandum, ſed etiam
pudorem incutere debeant, quod ſubinde nimis frigidè illorum veſtigijs
inſiſtamus, ſeu veriùs illa ſequi negligamus, præſertim æterno retribu-
tionis præmio ad omnem virtutum ac nominatim pietatis, fraternæ chari-
242 tatis & infucatæ ſinceritatis exercitationem à largiſſimo & benigniſſimo
Diributore prouocati. Ac dolendum eſt, animaduerti ſubinde tam ma-
gnæ & ad ſalutem vnicè neceſſariæ rei obliuionem, vt, ſi hiſtorias excutere
libeat, oſtendi poſſint, qui montes ſanctos & diuina tabernacula ſibi polli-
ceri auſi fuerint, etiamſi nullibi ferè non impegerint, vbi cœleſtium man-
ſionum metatio agitur. Idem de conſcientia itidem non niſi carptim &
243 obiter hic attingenda dictum eſto, de quo ſubiecto cùm tot ac tanta ex-
tent

ſent Caſuum, vt vocant, ſimilibusque inſcriptionibus inſignita volumi-
na, non attinet ſæpius actitatorum actum agere, & *poſt Homerum*, vt prouer-
bium habet, *Iliada ſcribere.* Poſſunt tamen, quod plures mecum ſentiunt,
non inutiliter, quæ huc faciunt ac paſſim & fuse à plurimis euulgata ſunt,
in ſuccinctius aliquod compendium reſtringi, & nuclei inſtar talium ſapi-
diſſimarum dapum auidis eſitatoribus exhiberi; quod vtinam ab aliquo
Theologorum noſtrorum, quos maximo, ſint Deo laudes, numero eosque
ſummæ eruditionis habemus, ſub ſequenti vel cognato titulo, literarium
nobis munus donetur: *De virtutibus & officio hominis Chriſtiani. & qualem
conſcientiam eius eſſe deceat & expediat.* Quamuis enim & olim & nuper,
ſub ſummarum aliisque inſcriptionibus huius rei diuerſa & præclara pro-
dierint monumenta; vix tamen videri poſſunt, à dicto conamine idone-
os & negotio pares abſterrere poſſe, eò quòd ſuperſint haud pauca nec le-
uia præſtitis & exhibitis vtiliter deinceps adiungenda, in iſtius decurſionis
campo. Inter omnia iſta fortè vel palmarium fuerit, ſolida & fundamenta-
lis perquiſitio, qualem oporteat eſſe conſcientiam illorum, qui regimini
conſcientiarum præpoſiti ſunt. In altero breui antè propoſito membro 244
diutius mihi inhærendum eſt, cuius initium, tanquam omnium maxima &
præcipua, naturalia ipſius animi primogenia, vt vocantur, conſtituo, il-
lisque præ reliquis, tum corporis primogenijs, tum externis virtutum ex-
ercitio ſubſeruientibus commoditatibus, id honoris dandum puto, vt in
partem beatitudinis admittantur, & formalis illius integratio habeantur.
Iſta primogenia pro numero principalium animæ facultatum, intellectus,
voluntatis, & iraſcibilis, vt vulgò, ſed minùs propriè, nec ſatis ſufficien-
ter vocatur, qualitatis, ternarium conficiunt numerum; Nec puto quem-
quam diſſenſurum eſſe, quod quantò quis ingenio magis valet, quantò
eſt maiori per naturalis genituræ fauentiam ad honeſta propenſione,
quantò deniquc fortiori eſt, ad ea, quæ virtutum ſunt, præſtandi animo,
tantò magis idoneus ſit, ad hanc, in quâ verſamur, palæſtram cum laude
excolendam & in ea obtinendam excellentiæ & præeminentiæ coronam.
Horum trium requiſitorum, qui vel vno nedum pluribus, deſtituitur, (de
paulò celſiori gradu hæc intelligi debent) ab illo vix eſt, vt quid magni
exſpectetur, quique tales ſunt, non omnimodo, quidem à mundanæ be-
atitudinis conſortio excludi poſſunt, ardua tamen in illa ſibi polliceri de-
hortandi ſunt, &, vt ſorte ſuâ contenti in diuinorum donorum mediocri-
tate patienter acquieſcant, moneri debent. Præcipuum tamen è tribus
eſt, quod ad voluntatem pertinet, in qua virtutum omnium ſubſtantia, 245
prudentiæ regimine moderanda, ſita eſt. Quis enim neget multum inter-

eſſe, an ad dextram vel ſiniſtram naturæ ductu in Herculis biuio feramur?
246 virtus an vitium iſtâ magiſtrâ & inſtructrice nobis magis placeat? huc e-
nim pertinet illud, quod de *inuita Minerua* prouerbium habet; pertinet il-
lud etiam Horatianum:

Naturam expellas furcâ, tamen vſque recurrit;

pertinet eodem etiam hoc alterum aliûs Poëtæ:

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Hanc rem aggreſſuro ſtatim in limine fit obuiam nobilis illa inter veteres
Stoicos & Academicos de naturali ad bonum vel malum propenſione
concertatio. Placebat enim illis natura nos non niſi ad bonum propende-
re, his autem viciſſim potius videbatur, non vnius omnes in hoc genere
conditionis, ſed diuerſimodè affectos eſſe, itâ vt alij magis ad virtutem,
alij ad vitia nati & à naturâ facti videantur. In hac controuerſiâ, ſine lon-
247 giori comperendinatione ſecundùm Academicos pronunciandum eſt,
ducente nos ad Stoici paradoxi reprobationem præter magiſtram rerum
experientiam & quotidianorum euentuum manifeſtiſſimam euidentiam,
*Geneſ.8 ipſo ſacrarum literarum teſtimonio * dicentium: *Senſum & cogitationem
humani cordis in malum prona eſſe ab adoleſcentia ſua*; Cui accedunt fidei no-
ſtræ principia, circa originalis peccati & concupiſcentiæ doctrinam: Aca-
demicis antiquitus hac in parte Galenus etiam ſubſcripſit, non minùs Phi-
loſophus & Philologus ſummus, quàm in arte medicâ ſuà excellentiſſi-
mus, qui ſatis ſolerter animaduertit, plurimum conferre ad naturalem, ad
virtutes vel vitia propenſionem, temperamenti'quod complexionem vo-
camus, differentiam. Videntur autem hac in parte Stoici magis eò reſpe-
xiſſe, quid eſſe debeat, quàm quid plerumque ſit, illamque maximæ ho-
minum partis in deteriora deflexum, naturæ humanæ magis aduerſari,
quàm conformem eſſe, perſuaſi fuiſſe. Stoicorum igitur eſſet ſine omni
dubio veriſſima ſententia, ſi primus homo in illa perſtitiſſet integritate,
248 in qua initio, conditus erat in paradiſo Miſſis autem re iam aliter per
protoplaſtarum lapſum ſe habente, Stoicis, quos nec ipſemet Lipſius in
Manuductione ſua, quaſi omnis hac in parte erroris expertes, firmiter tue-
ri audet; hoc ſequens ſine vlla hæſitatione amplecti debemus, eſſe natu-
rales & congenitas hominum ad bonum & malum inclinationes, ita vt pro
diuerſa varieque mixta naſcendi vel felicitate vel infortunio non tantùm
vnus præ alio partim ad bonum partim ad malum ab indolis ſuæ inſtinctu
& ductu afficiatur & propendeat, ſed etiam vnum idemque indiuiduum
magis ad vnam quàm aliam virtutem, magis ad hoc quàm illud vitium à
naturâ factum eſſe videatur. Longum ſit diuerſorum hominum & tem-

porum

porum exemplis hocprobare velle, ac præterea illud tam quotidianum, frequens & euidens est, non historiarum minus quàm ipsius experientiæ testimonio, vt mera putiditas sit rei tam claræ & confessæ probationi morosius insistere. Illâ igitur præteritâ hoc vnum monuisse non obfuerit, v-
nicuique prout ad virtutes & vitia se ex genij sui proprietate affici & trahi 249
animaduertit, ita quàm potest, curam & culturam adhibendã, vt illis virtibus diligentissimè studeat, & summam adhibeat operam, ad quas geniruræ suæ manuductione fertur, vicissim ab illis vitijs non minori sibi sollicitudine caueat, quibus naturæ suæ infectione pronus imminet; contra illa in continua statione excubet, cum his, nullis inducijs interpolatum, perpetuumque bellum gerat. Istam piæ sollicitudinis summam vtilitatem præter nascendi diuersissimam sortem & temperamentorum siue complexionum incredibilem ferè variationem & multiplicitatem, de qua hactenus dictum est, magis adhuc necessariam faciunt diuersa alia validissima vitiorum irritamenta tum ab ætatis tum à fortunæ, vitæ generum, variarumque conditionum mutatione & differentia promanantia; quæ enim de ætate attigi, in confesso & propatulo sunt, & cùm ab alijs, tum à Cicerone in officialibus libris, tum ab Horatio in arte Poëtica tam magnæ rei res breuissimè quidem, sed eleganter & verè pertractata est. De reliquis, vbi ad externa virtutum adminicula & ad res indifferentes siue medias peruentum fuerit, succinctè videbitur. Vti autem, annorum differentiam quod attinet, adolescentiæ & iuuentutis temeritas, inconstantia, inconsiderati impetus & similia culpari solent. ita in senibus auaritia, morositas & similia interque reliqua omnium ferè rerum displicentia animaduerti solent & placere nequeunt, quibus ipsum mundum æquè ac ipsos senescere & indies magis magisque deficere persuasum est, nec idem in effœta ætate sua illis esse videtur, qui fuisse putatus fuerat, cùm in ætatis flore agerent, & vernantibus annis iucundarentur. Et hactenus de Indole siue
naturali ad bona vel mala propẽdentia. Secundum è naturæ primogenijs 250
vigor ingenij & intellectus pspicuitas est, quem, prout à natura vel excellentior vel imbecillior datus est, ad summi boni differentiam & graduum eius distinctionem plurimum conferre, quis ambigat, nisi omni ex parte illo destitutus? Tertium est animi generositas, & tam ad bona aggredi-
enda quàm mala sustinenda intrepidi pectoris inexpugnabilis firmitudo, 251
quam qui in dubium vocare ausus fuerit, & ad quæstionem nostram nil facere dixerit, illum ad agnatos potius deducendum, quàm rationibus & argumentis refellendum esse arbitror. De omnibus hisce tribus ne infini-
tus sim, duo ad propositum facientia ad minimum non præterierim. 1. te- 52

neri vnumquemque sorte suâ contentum esse, & in illa diuinorum dono-
rum mediocritate, quantulâcumque illa circa prædicta sit, humiliter &
patienter acquiescere; nec enim eâdem omnibus mensurâ quod in fortu-
næ bonis itidem obtinet, sapientissimi conditoris manus naturæ dona di-
spensat, sed pro incomprehensibili voluntate sua vnis largiùs alijs parciùs
quæque admetitur; fueritque verissima Theomachia & cum stolidis Gi-
gantibus cœlorum oppugnatio, si quis inconcessa & inimpetrabilia affe-
ctet, taliumque carentiâ in vanum se affligat & angatur. Esset enim res in-
dignissima, si tali in parte ipsius DEI vilior esset (huius rei ipsæ etiam sacræ
* Rom. c. 9 literæ * nos admonent) quàm figulorum conditio. Interim non licitum
253 tantùm sed etiam laudabile est, naturæ defectus quantum cuiusque con-
ditio permittit, humanoque studio, diligentia & industria, accedente diui-
næ gratiæ adiutorio, præstari potest, si quis emendare & supplere conetur,
quæ consideratio cum reliquis prædictorum ad eum locum pertinet, vbi
de nobili illa quæstione; an virtus disci possit, dicenda & contra nonnul-
254 los hac in parte à Stoicis, siue verè siue apparenter, dissentientes probanda
& euincenda supersunt. 2. Alterum, quod hîc resolui debere dicebam, hoc
sequens est, vix magni aliquid ab aliquo exspectari posse, cui de tribus
prædictis ipsius animi naturalibus primogenijs intellectu scilicet, indo-
255 lis bonitate & animi fortitudine vel vnum, nedum plura aut omnia desint;
Ingenij enim perspicacitas & magnanimitas nisi in pectus probum &
indolis bonitatem incidant, multò plus nocent quàm prosunt, præstatque
illis carere quàm donatum esse, quoties tam nobili animi ad virtutem
propensi naturali & congenita dote ac conditurâ destituuntur. Id si non
aliunde constaret, vel ex hoc solo probationis abundè consequeretur,
quod in regionibus sub feliciori climate sitis & clementiori cœli tempe-
raturâ gaudentibus, quantùm quisque ingenio magis pollet (talium autem
istic maior quàm alibi, eo, quod attigi, beneficio vberior prouentus est)
tantùm etiam in vtramque partem, nec peiorem minùs quàm alteram,
prout vel ad virtutes vel vitia se dedit, magis excellat, vsque adeò, vt vel
optimi vel peruersissimi promiscuâ popularitate illic vt plurimùm quique
reperiantur, deque illis, quod olim de Origene sparsum fuisse legimus,
satis appositè vereque affirmari posse videatur: *Vbi bene nemo meliùs; vbi*
256 *malè nemo peiùs*. De hac autem indolis bonitate, quantacumque etiam sit,
vix præclari excellentis & magnifici sibi aliquis, cui illa Dei munere obti-
git, polliceri potest, si à reliquorum vel vtroque vel alterutro (intellectum
siue prudentiam & fortitudinem quàm supra magnanimitatem vocaui
intelligo) deseratur. Quid enim prosit vel optima quæque velle & præstare

cupere

cupere, si quid bonum sit, non intelligat, aut intellectum exercere non audeat? Certè hoc casu non morales tantùm sed & ipsæ Theologicæ ad ipsam æternam felicitatem assequendam necessariæ virtutes nil aliud fuerint, quàm sine anima corpus, indigestum confusum & informe chaos & militaris sine capite & duce manus. Placet enim hâc à bello & conflictibus vti similitudine, eò quòd non tantùm testamenti veteris literæ sacræ * dicant, *vitam hominis super terram militiam esse*, & in nouo fœdore Apo- *Iob
stolus * Christiani hominis vitam sub sacræ armaturæ panoplia exhibeat, sed etiam, quòd vniuersalis virtutum complexio agmen quasi bellicum *ad E-
& mysticum exercitum quendam, contra vitiorum colluuiem & triplices phes.
humanæ innocentiæ tentatores in aciem & conflictum deducendum, ex- c. 6.
hibeat & repræsentet, eaque de causa, si legitime certare & victoriâ fraudari non debeat, rectoribus suis minime nudandus sit. Hâc ratione non imperitè fecerimus, si moralibus virtutibus in quadratum campestre cor- 257
pus redactis, vel Theologicis in cuneum accuminatis, prudentiam (seu sapientiam illam vocare malimus) præficiamus ducem, tergi- ducturam fortitudini committamus. Hæc intelligentibus satis probari confido, ideoque longiori probationi non insisto, si qui alij sint, aliter illi quàm constrictiori discursu aliquo instruendi fuerint. Hinc tamen omnes æstima- 258
re cupio, lubricitatem incertitudinem & inconstantiam omnis humanæ in hac mortalitate felicitatis, eò quòd vt supra tetigi, præfatæ virtutum è bellica disciplina in vtraque parte Rectrices ab illius militiæ suæ societate seiunctæ, ipsæmet quoque, quod antea dicebantur & erant, esse desinant, & in vitiosam calliditatem, & rabidam immanitatem conuertantur; nec vnquam cum humano genere peius agatur, quam quoties ipsis vitijs tales ductrices obtingant, præsertim à sublimioris ingenij naturali dono, ab experientiæ magisterio & eruditionis cultura in paulò excellentiorem eminentiam euectæ. Atque isti periculoso & ancipiti statui maius adhuc 259
& duplicatum accedit ab humanæ indolis in vtramque partem, vel à naturæ, è temperamenti varietate, secundum veriorem Academicorum & Galeni sententiam, propendentis, vel à fortunæ casibus, variè mutabilis, discrimen, cuius posterioris generis exemplorum & Historiæ plenæ sunt, & quotidiana experientia locupletissima testis est. Nam quæ possit homini in vlla re humana certa & infallibilis fiducia esse, si nec ipsi virtuti, in peius flexibilis & sæpius deflexæ, tutò fidere liceat? Si momento in vitium degeneret? Atque hisce omnibus vastissima adhuc accedunt à reliquis siue ad corpus illæ pertineant, siue inter externa & merè fortuita referantur è robus medijs, ad iaphoris & indifferẽtibus numerosissimaq; pericula

eaq;

eaque enim faciunt ad impediendas quàm promouendas & adiuuandas virtutes, prout quis illis recte vti nôrit vel abutatur, ad quas postmodum progredi superest, postquam tamen prius ea, quæ ad animi primogenia
ad pag. 68 in fine pertinent expedita fuerint. Nec enim quæ maioris momenti sunt obiter perstringi ac non nisi leui brachio contingi debent cum igitur non tantùm ad intellectus humani perfectionem tria in primis faciant,
260 sed eadem etiam ad duarum reliquarum animæ facultatum celsiorem eminentiam plurimum conferant, nimirum I. Genituræ felicitas, de quâ sub primogeniorum recensione iam meminimus 2. Experientiâ id est, negotiorum mundi & humanorum casuum per longioris vitæ pluriumque annorum exercitationem penitior & exactior cognitio. 3. Scholastica ingenij cultura, bonarum artium & scientiarum cognitio & eruditio de his quoque pauca dicenda sunt, ne res maximè necessarias omnimodo indictas & intactas præterijsse culpemur. De primo nil aliud præmissis addo quam quod in tribus consistat: ingenio, iudicio & memoriâ,
261 quibus humani intellectus facultates & actiones constant & absoluuntur. Ex istis tribus licet omnia & singula apprimè sint necessaria & aliquo illorum deficiente plurimum illius assecutioni decedat, quod ad huius seculi felicitatem assequendam indagamus & venamur, negari tamen nequit, & apud prudentiores omnes in confesso est, Judicio ex illis principatum deberi, & illo destitutis duo reliqua quantò excellentiora sunt, tantò plerumque magis nocere. Judicium enim si absit reliquis benè vti non possumus, longeque præstabilius est illis carere quàm ad propriam perniciem illorum nobis facultatem suppetere, quoties autem iuncta sunt sibique inuicem auxiliatrices manus porrigunt, iudicio regimen competit reliqua duo illi seruiunt, id eòque sufficere illis debet. *obsequij gloriâ.* Id ita se habere ex ipsâ etiam temporis distinctione euidentissimè patet; cum enim illius sit tripartita distinctio, in præteritum, præsens & futurum, & præteritum memoria, futurum ingenium, præsens iudicium respiciat & complectatur, nemo dubitauerit, licet nec præterita nec futura omni ex parte insuper habenda sint, præcipuas tamen curæ partes illis, quæ præsentia sunt, deberi. Atque hoc ex eo tantò stabilius confirmatur, quod neque futuris prospici, neque ex præteritis vtilitas percipi aliter possit, quam per præsentem eamque iudiciosam & prudentem sollicitudinem. Insuper hoc quoque verum & multis experimentis testatum est, paulo imbecillioris iudicij facultatem & actiones per præualentem vel ingenij vel memoriæ vel vtriusque abundantiam & vires robustiores magis subindè obrui impediri & suffocari, quam subsidio aliquo instrui & iuuari.
Expe-

Experientiam quod attinet, non opus est in illius tractatione fusiorem esse, eò quod in confesso sit, ad res benè vel aliter agendas plurimum in illâ momenti constitutum esse. Hæc enim est, quæ humano intellectui extremam manum imponit, & illam ad summam perfectionem perducit. Nec diffitendum est, licet exquisitior doctrinarum cognitio pulcherrimum humanæ mentis ornamentum, vitæque laudabiliter instituendæ utilissimum instrumentum sit, hactenus tamen ab alterâ ejus expolitione & culturâ quâ experientiam vocamus, Græcis Empiria dicitur, superater, ut præstet illam quam hanc à rebus rectè agendis abesse, si alterutrâ carendum sit. Sæpius enim reperti sunt, qui eruditione destituti & doctrinarum rudes, res magnas bello & pace, sago & togâ egerint, & in variarum virtutum exercitio præclari & excellentes inventi sint, planèque admirabiles se præstiterint, cum vice versâ etiam doctissimi quique usu rerum destituti gravissimè hallucinati fuerint, maximosque ac prudendos, & contrà propriam & contra omnium opinionem, commiserint errores. Ausim igitur firmiter tenere & uti rem certissimam cuivis persuasum velle, si de tribus prædictis unum abesse debeat, pluris faciendam esse naturalem intellectus bonitatem literarum culturâ destitutam, dummodo usu rerum instructa & in Vlyssea palæstra bene exercita & subacta sit, quam eruditionem vel cum solius naturæ dotibus, vel cum solâ experientiâ & rerum usu conjunctam: quod si opus esset multis iisque nobilissimis tum nostri temporis, tum superiorum seculorum exemplis probari posset, eoque casu pro experientiæ defensione non alio, quam ipsâ experientiâ, teste uterer. Hoc tamen non obstante, satis constat & inconvulsa permanet eruditioni dignitas & honor suus, præsertim cum etiam mediocria ingenia illâ juvari, & ad res magnas ac præclaras peragendas expoliri & sublimari soleant. Hanc Alphonsus magnus ille, & omnium vocibus celebratissimus ante duo secula Neapolis & Arragoniæ Rex, tanti fecit, ut vix satis illam admirari potuerit, & quotidianâ exercitatione in dies sibi familiariorem fecerit, ut videre est apud Antonium Panormitam, in suis de dictis & factis illius regiis libris, ubi inter ad rem hanc facientia præ reliquis ferè omnibus nobile illud apophthegma eminet, de *Asino coronato*. Cum autem multiplex sit eruditio, & doctrinarum admodum magna varietas, nulla ferè illarum pars est, quæ non symbolam suam conferat, humanæ prudentiæ ad virtutum regimen & ducatum peritè gerendum, ejusque majori illuminationi utilissimè inserviat: quamvis simul fatendum sit, cæteris ferè hac in parte multùm præstare Philosophiæ & Historiarum cognitionem. Philosophiam cum dico, sacras literas

& Christianam morum disciplinam nequaquam excludo; sed potius principe loco consistere facilè permitto: utrumque autem illud studium conjungi oportere, nemo inficias iverit, eò quod non exempla minùs quam præcepta ad vitam rectè instituendam, moresque formandos grande momentum afferant, nec minùs ad virtutes stimulos addant, quam à vitiosis actionibus & criminum fœditate revocent & retrahant; Etsi autem hac in re potiores sint, morum sapientiæ partes, non videtur tamen à tam nobilis informationis & doctrinæ consortio naturalis Philosophia
*pa. penitus excludenda esse, cujus illâ de causâ prout suprâ promisi * paucis
38. hoc loco contra Socratem instituti defensio debet. Est enim verissimum, Physicarum rerum cognitionem non tantum in genere ad morum probitatem, sed speciatim etiam & inprimis ad ipsam erga DEUM pietatem, magno adjumento & incitamento esse: Id si aliunde non constaret, vel, solâ Conradi Gesneri & Ulyssis Aldourandi doctissima de animalibus volumina abundè nos docerent, quorum uterque, licet omnia alia agere censeantur, quasi ex professo virtutum scholam in istis operibus suis instituisse videntur. Eodem etiam L. Seneca inter Latini nominis Sapientes facilè Princeps respicit, qui singulos naturalium Quæstionum libros suos morali Epilogo finit, quæque è Physico studio ad formandos mores utilitas capiatur, elegantissimè commonstrat. Idem cognoscitur ê sacris veterum Ægyptiorum literis, quas saxis incisas, ex re Hieroglyphicas vocabant, earumque etiamnum in principe terrarum urbe, & Christianæ pietatis acropoli præclaræ supersunt in diversis antiquitus ex Ægypto advectis obeliscis, reliquiæ, quarum interpretatio ex antiquis apud Horapollinem, ê recentioribus apud Hervartum & Pierium Valerianum quærenda est. Idem etiam è sacris literis docemur, quæ & inanimatorum & carentium ratione animalium exemplis ad benè agendum & à malo declinandum nos invitant & excitant. Huc enim facit illud Regij
*Psl. vatis: * *Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus*; eodem et-
81. iam pertinet Sapientissimi filij ejus institutum, formicæ exemplo ignavos & inertes è desidioso veterno suo excitantis & ad laborem vocantis; quæque ejus generis alia sunt. Ipse denique Salvator noster aviculas cœli & terræ flores, dum in moribus & pietatis doctrinâ nos instuit, nos spectare jubet, ubi in discipulis suis omnium seculorum fideles instruens, liliorum pulchritudinem universæ Salomonicæ, quantumvis pomposissimæ magnificentiæ & splendiditati longissimè præfert, Et quem non instiget & permoveat ad agendas DEO laudes, piamque omnipotentiæ ejus & sapientissimorum operum contemplationem tum universæ rerum

natu-

naturæ docta consideratio, tum cœli maximè & lucentium in illo syderum intuitus, quæ omnia præter multiplicem & præsentissimam utilitatem tantâ eruditas mentes incunditate perfundunt ut nec verbis dignè exprimi, nec ab humani ingenij imbecillitate satis comprehendi possit. Inter 166
reliquos autem hujus mundani opificij Theoriæ fructus & commoditates plurimum etiam refrœnat & imminuit hoc studium intellectus humani arrogantiam, eò quod fateri compellatur, nec ea quæ sub oculos cadunt, reliquorumque sensuum judicio subjecta & exposita sunt se satis comprehendere; nec video quid fortius nos constringat ad rationem captivandam, eamque Christi, obsequio humiliter subjiciendam, quam ignorantiæ & cœcitatis, in rebus promiscuis & quotidiano usu ac obversatione apud plerosque evilescentibus, agnitionem. Ad ejus rei probationem, ne quid de occultis rerum qualitatibus nullo unquam tempore à cujusquam etiam ingeniosissimi, quamvis vel per seculorum Myriades hoc universum stare pergat, acumine penetrandis & eruendis dicam, solius loci & temporis exemplis contentus ero. Primò tempus quod attinet de 167
duobus sequentibus alterutrum verum esse, & tertium aliquod non dari necesse est, nempe quod Mundus vel ab æterno exsistat & nunquam interiturus sit, quod multi veterum Philosophorum (ex illorum Aristoteles numero est) opinati sunt, vel quod in tempore creatus sit, & absolutâ, quam divina illi providentia præfinivit, periodo, finem sit habiturus, quæ sacra & Theologica veritas est, & è Gentilibus Platoni placuit. Utrum de illis præferre & approbare libeat fateri cogimur superare illius rei intelligentiam captum nostrum, licet de alterutrius manifestissimâ veritate nemo sanæ mentis dubitare possit. 2. Idem in loci circumstantiâ obtinet, 168
vel enim mundus finitus est, vel immensis & nullibi terminum invenientibus extenditur spatiis, quorum neutrum, quantum scio hactenus de fide est & ab Ecclesiâ determinatum reperitur. Ex istis similiter vel prius vel alterum verum esse necessariò concluditur, nec tamen mortalium ullus est, qui sive illud sive hoc eligat, qualiter se ea res habeat & quomodo intelligenda sit, vel ipse cognoscere vel aliis ostendere possit. Hisce similibusque documentis è deviis in veritatis & humilitatis semitam revocandi, utque curtam ingenioli sui suppellectilem secum habitando norint, admonendi sunt, qui in rebus fidei omnia ferè humanâ intelligentiâ se metiri posse & dijudicanda esse impiè & superbè persuasi sunt. Quo etiam pertinet illud Christi Domini * ad Nicodemum: *Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia credetis.* Non abstineo pro ulteriore prædictorum elucitatione referre etiam illud verè unicum in totâ 269

* Io. 3.

rerum naturâ & ſummè admirabile ſenſus viſus miraculum. Cum enim
in tribus reliquis ſenſibus tactus concurſum ſuum habeat, ac ſine ejus
interventu ac cooperatione nullus de omnibus, ſive olfactus, ſive guſtus,
ſive auditus ſit, officio ſuo fungi potis ſit, admodum veriſimile imò apo-
dictica ferè argumentatione demonſtrabile eſt, non minus in viſu, quam
cæteris tactus acceſſionem requiri, quod ipſum præterea ipſius etiam
experientiæ teſtimonio tam evidens eſt, ut rationes & probationes alias
non deſideret. Cum autem in adoratu & auditu, duobus ſenſibus, contra
ac in guſtu obtinet, res ſenſibiles etiam eminus abſque factâ corporali ad
aures & nares admotione operationes ſuas præſtent, iſtis autem caſibus
eò quod ſonus & odor aëris vehiculo opus habeant, mora aliqua requi-
ratur, meritò ſummè admirabile eſt, in viſu idem non obtinere, qui primo
ſtatim momento, etiam diſſitiſſima quæque apprehendit & exhibet,
quod nulla alia exempla melius, quam Solis reliquorumque Planetarum &
fixarum maxime ſtellarum veriſſimum eſſe doceant, non obſtante tot
millium milliariorum intervallo; nec aliter ſe res iſta habitura eſſet, ſi
diſtantia iſta vel decies millies & amplius multiplicaretur. Atque ab hac
ferè incomprehenſibili celeritate, ictus oculi, tanquam citiſſimum om-
niumque minimum temporis intervallum, pridem proverbio locum fe-
cit. Viderint igitur Mathematici, an non hinc peti poſſit litis inter Opti-
270 cos deciſio: *Oculus an per radiorum emiſſionem, an vero, ſpeculi inſtar, per rei
objectæ receptionem operetur.* Ad eandem naturalium rerum maximâ dig-
niſſimarum admiratione claſſem, etiam pertinere videtur dierum no-
ctiumque ratio, quæ cum tam varia & multiplex ſit, ut quibuſdam in
locis diurnæ & nocturnæ totius anni horæ, ab æqui noctialibus parum
diſtent, in quibuſdam, quo Germanicum clima noſtrum pertinet, in du-
pla ferè ab invicem proportione brumæ & ſolſtitii temporibus diffe-
rant, in aliis integrorum menſium continua ſit ſolarium radiorum vel
ſplendor vel occultatio, ſub ipſis denique polis integri ſemeſtris tempo-
ris perpetuus dies ſit, ac poſteà ejuſdem durationis, licet ſemper ſub
luſtris, indeſinens nox; nihilominus per univerſum terrarum orbem, ſi
totius anni ratio habeatur, lucis & tenebrarum (in Mathematico ſenſu
hæc capienda ſunt, omne enim illud tempus quo Sol ſupra Horizon-
tem non elevatur, nocti Aſtronomi adjudicant) æquâ menſurâ ſpatia
dividantur: hoc ſcilicet modo, ut nullus oſtendi vel etiam imaginatione
concipi in terreſtris ſuperficiei ambitu locus poſſit, ubi non dimidii
anni, quatumvis variis & infinitis ferè modis vel contracta vel extenſa,
dies ſit, quod idem in noctibus obtinet. Hæc eadem dierum noctium

infinita

infinita fere varietas & differentia, eademque tamen nihilô minus sum-
me admirabilis & coniunctissima harmonia, admonet me huius alterius
plurimum cum illâ affinitatis habentis omni admiratione maioris tempo-
rum locorumq; proportionis. Loca enim quod attinet, si quis terrestri globi
vastissimam amplitudinem, vtpote cuius diameter à mille & octingentis
miliaribus Germanicis parum absit, contempletur, simulque consideret,
eundem in comparatione vniuersi non nisi instar puncti se habere, an non
fateri cogitur, se ingens hoc naturæ miraculum quantumuis sub oculos
cadens, & Mathematica demonstratione omnis disputationis expers,
ingenij sui captum excedere, seque supremi numinis istius Vniuersi
fabricæ omniumque illâ contentorum architecti & conditoris, infinitam
sapientiam pariter & omnipotentiam, nullâ, quæ tantæ rei par sit, satis
dignâ admiratione comprehendere posse, eiusque vel solam contem-
plationem, vix sine pij alicuius horroris incussione institui posse? Quanta
enim necesse est istius circuli sit vix credibilis, nisi per lucentium syderum
irrefragabilem in ipsos oculos splendorem incurreret, amplitudo, cuius
centrum, vt in ipsis Mathematicis figuris, ita in hoc etiam vastissimo mun-
dano opificio puncti instar se habeat; attamen in circumferentia sua
quinquies mille & quadringentas Leucas Teutonicas complectatur. Et 272
auget plurimum religiosum hunc stuporem, si dictæ huius inter cœlum &
terram proportionis causam ijsdem mentis oculis intueamur, eò quod,
secundum conditæ naturæ principia, alio, quàm hoc incomprehensibili
modo, huius œcumenici ratio consistere, nec vel hominis reliquorum-
que in terra, aëre, aquis degentium vita consistere, vel reliqua, etiam siue
germinatione siue quouis alio modo progenerata, in statu suo conseruari
possint. Hoc ingens naturæ miraculum vnius Solis exemplum, tanquam
præ reliquis magis sensibile, abundantissimè illustrat. Huius enim quanta 22
magnitudo sit, è luminarium eclypsibus non astronomicis tantum de-
monstrationibus, sed ipso etiam oculari aspectu patescit. In tanto enim
minori huius secundarij luminaris à terrestri globo distantia non minùs
ex ipsius circuli, quem vmbra terræ in luna eclypsata efficit, cum ipsius sy-
deris peripheriâ comparatione quam etiam ipsam obscurationis duratio-
nem Mathematicorum sagacitas pridem obseruauit, obscurantis istius
vmbræ conum acumine suo stellatum cælum non attingere, imo prius-
quam ad alicujus Planetæ Lunâ Superioris sphæram perveniat, jam peni-
tus evanuisse; è quo cum de Solis magnitudine, quâ terram multis parti-
bus superat, evidenter constet, certum tamen est, vix aliquam esse ex ap-
parentibus humano visui fixis stellis, quæ solare corpus si non superet

274 adminimum exæquet. Atque hæc res, vt id obiter attexam, vix permittit apud me credibile eſſe, non minus reliquos planetas, & ſtellas omnes, quod quibuſdam Mathematicis placere animaduertimus, à Sole, æque ac Lunam, mutuare lumen ſuum. Præterquam enim quod valde probabile eſt, omnes quarumcumque ſtellarum, nec ipſo Sole excepto, influxus & operationes omnes, non ſurſum ſed deorſum tendere & vergere; hoc ſequens demonſtrabile; & nulli ſanæ mentis compoti infiiciandum eſt. Si fingamus in ipſa ſtellati cœli ſphæra ex oppoſito Solis ita ut terra intermedia ſit aliquem conſiſtere, ab illo Solare corpus præ nimia diſtantia indeq; ſ proueniente apparentiæ evaneſcentia, ne conſpici quidem poſſe, tantum abeſt, vt ſola Dei omnipotentia, & extraordinario modo agendi voluntate excluſa, per rerum naturam poſſibile ſit, quod per totam illam immenſæ ferè diffuſionis circumferentiam operari, omnibusque & ſingulis luminaribus lucem ſuam dare poſſit. Quod de probabili Solis iſta euaneſcentia dixi, nemo negauerit, qui attendere dignatus fuerit, in quantum minori diſtantia vaſtus ille ſolaris globus, qui multa milliariorum millia in diametro comprehendit, decreſcat, ita vt vix humani pedis longitudo apparenter illi reliquus maneat. Superſunt plura, quæ in eandem rem æque mirificæ dici poſſent, ſed ne infinitus ſim illis prætermiſſiis vnum hoc, quæ de locorum harmonia in medium adducta ſunt, de temporis etiam proportione adiungo Hâc dierum & noctium, & menſium & iam ac anni illiusque partium ratio conſtat, illamque ſtellati cœli reliquorumque errantium ſiderum, Lunæ & Solis inprimis, motus conſtituit & moderatur, atque iſtâ ratione caloris & frigoris, humoris & ſiccitatis, temperamentum pariter ac viciſſitudinem nnnquam ſatis admirabili prouidentiâ rerum natura conſtantiſſimé gubernat. Hac enim inuerſa temporum harmoniâ neceſſe ſit omnia ad interitum vergere ac non ver tantum floribus ſuis, ſed æſtatem quoque & autumnum fructibus ſuis, illorumque vſupl& atiohiemem priuari. In hac temporis contemplatione, præter Zodiaci obliquitatem & Tropicos, ſolarium motuum terminos, inter reliqua ſummoperè ſtupenda naturæ miracula, eminet & omnem fidem, niſi oculi noſtris credere compelleremur, ſuperaret, rapidiſſimus ille cœli orbiumque omnium cœleſtium motus, qui diurno ſpatio, id eſt breuiſſimo in vranici illius corporis vaſtiſſimi comparatione, interuallo abſoluitur, cuius accelerationis neceſſitatem, qui non agnoſcit non video, quid in tota œcumenes huius œconomia comprehendat & intelligat. Coniuncta autem in vnum vtriusque tam temporis & loci, id eſt, velocitatis cœleſtium corporum motus, illorumque diſſitiſſima à terreno centro diſtantia

& im-

& immenſa vaſtitas & olim Philolaum & auorum noſtrum memoriâ Copernicum ac illorum quæ hodieque non paruo numero ſuperſunt, ſequaces induxit & promouit, vt potius ipſis videretur, cœlum ſtare & terram eius loco moueri; quam rem, humanâ contemplatione digniſſimam, obiter memoraſſe hac vice ſufficiet; nec tamen, obiter diſſimulauerim antiquius illud vetuſtiſſimorum aſtronomorum Mundi ſyſtema, mihi, communiorem ſententiam hac in re ſecuto, magis probari, & Philolaicos, vt cœtera prætercam, his duobus ſat ſuperque refutari, 1 Grauia ad quietem leuia ad motum, naturæ, genio ferri & à Deo condita eſſe. 2. Stellarum omnium phœnomena tam euidenti demonſtratione hunc terreſtrem, annuum inprimis, motum deſtruere vt non tantum communi ſenſu carere; ſed ipſis etiam externis ſenſibus deſtituti eſſe dicendi ſint, qui contradicere & diſſentire non abſtinent; nec eſt, vt impoſſibilitatem nobis tam rapidi motus obijciant, qui diuinæ omnipotentiæ etiam in rebus in ſenſus non incurrentibus piè fidimus & acquieſcimus. Ac tantò minus de hac viginti quatuor horarum cœli reuolutione, illoque diuino naturæ opere dubitari debet, quod ipſemet etiam homo non tantum ab oriente ad occidentem; ſed etiam per totum Horizontem iſta quaſi infinita & immenſa cæli ſpatia vno propè oculi ictu peruagari & emetiri poſſit. Præcedentibus hanc vnam adhuc addo nobiliſſimam quæſtionem de cœli & terræ comparatione, vtrum nimirum illud huic an hæc illi dignitate præſtet, quam tamen paulo ambitioſius introgredi abſtineo relicta, quam hactenus obtinuit, ſupremo illo rerum omnium tegumento & cœleſtibus ignibus præeminentiâ ſua & dignitatis prærogatiuâ. Loquor autem hic de illo quod in oculos noſtros incurrit cœlo, non de ſuperiore iſto, quod empyreum vocamus & ſolius mentis acie intuemur, diuini numinis & piarum animarum, beatorumque ſprituum habitaculo, quod non niſi ſummâ impietate & atheiſmo, cum ſublunaribus in comparationem quis vocarit. Stellatum autem cœlum quod attinet, quamuis vt dixi, de dignitatis ſuæ a tot ſeculis quietè detenta poſſeſſione ſtatus quæſtionem illi non moueam; ſequentia tamen ad aſſerendam rerum naturæ etiam in terrenis rebus ſublimitatem, veriſſima & ſummè admiranda eſſe cenſeo. 1. Nemo dubitauerit, non minus terrenarum rerum, quam cœleſtium contemplationem, in æterni & ſapientiſſimi conditoris amorem & admirationem nos allicere, nec minus hanc quam illam ſummè iucundam & apprimè neceſſariam eſſe, vt meritò diſſentiat Petrus Bertius in Ptolomæi ſui præfatione, à vereri illo philoſopho, qui interrogatus, ad quod natus eſſet, vt cœlum intueretur, reſponerat; rectè

& verè

& verè iudicans, terram quoque contemplatione & humani ingenij curâ dignam esse. 2. Illius rei nemini inficiandam veritatem vix aliud
278 quid firmius astruat, quam multiplex illa & verè admiranda naturæ operum in rebus terrestribus copia & varietas, quæ in animalibus, auibus, piscibus, arboribus, frui cibus, herbis, lapidibus, tum pretiosis tum vulgaribus, metallis, reliquisque mineralibus, imò ipsis etiam, quæ tamen simplicissima esse putantur, elementis tanta est, vt illis considerandis & penetrandis non tantum hominis, quantumuis annosissimi ætas tota par esse nequeat, sed ventura etiam omnia duraturi mundi secula, etiamsi in plurimas extendantur myriades, minimè sufffectura sint. In cœlo autem præter syderum motum, pulchritudinem, & in hæc inferiora influxum nihil ferè est, in quo intellectus humanus occupari possit, quæ quantumuis summa sint, & terrenæ varietati excellentiam suam dignè opponere possint, admodum tamen pauca sunt, & magna ex parte imbecillem & caligantem ad tam sublimia humanæ mentis captum ex-
279 cedunt. 3. Apex terrenæ dignationis in hac cum cœli contentione, in hoc, ni nimium fallor, consistit, quod omnes naturalium rerum contemplatores fateri debeant, hactenus saltem terræ præ cœlo principatum deberi, quod huius causa illud productum & creatum fuerit; nec enim vllus quantum homini scire licet & datum est, cœlestium corporum vsus est, quam vt terrestri globo & in illo viuentibus & progenitis ac homini inprimis inseruiant. Atque hoc, quod quartum numerum expleat, non ad vtilitatem tantum & necessarias commoditates pertinet, sed
280 ipsam etiam iucunditatem, eo quod in terra consistere debeat, qui cœli pulchritudinem intueri & admirari velit. Quæ res vel inprimis terrenam excellentiam commendat, ipsumque cœlum terræ quodammodo partem facit. Quod enim in magnificentioribus ædibus inaurata sunt lacunaria, id in hoc terrestri ædificio & hominum habitaculo (quid ni enim ita vocem, cum præter hominem quicquam superficiem eius non calcet, quod tam admirabili structuræ contemplandæ se dedere possit) istotum laquearium vice sunt lucentia ista & astrifera cœlorum tegmina. Hæc de naturalibus rebus fortè prolixius, quam debuit & propositi modus pati potuit, relata sint; Libuit certè & summæ voluptati mihi fuit, tam sublimium rerum cosiderationi paulò indulgentius immorari, quæ vtinam mihi cum omnibus pijs ad illa sublimiora & æterna vehiculum sint, & alarum remigium subministrent, vt verâ æstimatione cognoscere & nostrum facere possimus, Paulinum illud ad supercælestia anhelans desiderium: *Cupere dissolui & esse cum Christo.*

Ex

Ex hactenus dictis satis constare puto, non tantùm quàm in genere iucunda & necessaria sit naturalium rerum scientia sed etiam, quem vsum habeat, & commoditatem præstet, ad moralis Philosophiæ peritiorem
dignioremque tractationem, quod præter Senecam, aliosque iam com- 271.
memoratos ingeniosè animaduertens & piè ruminans Bellarminus Cardinalis æquè morum sanctitate, quàm eruditione & ingenio præstantissimus omniumque in futurum seculorum venerabundâ admiratione dignus inter reliquos asceticos libellos suos, quos complures eosque elegantissimos & veræ pietatis refertissimos in anniuersarijs secessibus suis pijssimâ curâ confecit, isto, *quem ascensionem mentis ad DEVM per scalas rerum creatarum* inscripsit, mirificè pias mentes excitauit, ad diuini numinis amorem illiusque sapientiæ, bonitatis & potentiæ sanctam contemplationem, quæ istius spiritualis exercitij magna & admodum insignis pars est. Superest, cùm hactenus, quem vsum habeat, quamque com- 272
moditatem eruditio præstet, nisi quis illa dexterâ rectitudine vti vel nesciat vel negligat, pro instituti ratione & modo aliqua dixerimus, vt de eiusdem abusu & noxa, nonnihil attexamus. Hîc rursus spatiosissimus circus panditur, quem arctioribus gyris nonnisi obiter percurremus; nec enim omnia sub breuitate, quam propositam habemus, comprehendi possunt,
& quædam consultò præterire præstat. Posset compendio Lector ad au- 273
ctorem de vanitate scientiarum remitti, nisi apud illum medicina modum excederet, qui vtinam non minori pietate & modestiâ quàm facundiâ in isto suo versatus esset argumento. Maior, ni fallor, capietur fructus è Francisci Baconi Verulamij Baronis de scientiarum dignitate & augmento tractatu, è Duartis ingeniorum examine, Cardinalis Cusani de docta ignorantia libris, Posseuini Bibliotheca, alijsque eiusdem & similium argumentorum auctoribus, ac inprimis, quo præstantiorem in hoc genere vix habemus, Ioannis Ludouici Viuis summi iudicij & profundissimæ e-
ruditionis de disciplinis voluminibus. Inter cætera autem vel principe 274
loco literis deditos cauere oportet, ne nimiùm præ se contemnant, quos vel omnino literarum rudes, vel quos indoctiores quàm ipsi sint, esse
censent, vbi locum habere videtur, quod iunior Plinius in Epistolis suis* *lib.
monet, de non magis fraudandis laude suâ æqualibus & inferioribus, quàm Ep.
quos Superiores agnoscimus. Secundò æquè cauendum est, ne vel inge-
nio vel doctrinâ nos superantibus inuideamus, multò minùs, qui liuoris 275
ferè fructus esse solet, illos laude suâ fraudemus, eiusque loco vel clanculum vel apertè, siue voce siue scripto id fiat, illorum famæ & existimationi detrahamus. Nihil enim est, quod æquè doctos & ipsam eruditionem

reliquorum contemptui & ludibrio exponat, vel etiam literis deditos,
quotquot ex illis modeſtiam & veritatem amant, ac mordaces & plus ſatis
rixoſas contentiones auerſantur, offendat, quàm hic calumniandi detra-
276 hendique pruritus & libido, ac iuxta illam, quas propterea tertio loco
recenſeo, iſtæ, plus quàm deceat, feruidæ & pungentes polemicæ in pu-
blicum datæ concertationes, quæ vt plurimum nihil minus aſſequuntur,
quàm quod quærere & captare videntur, idque iam pridem vetus, ni fal-
lor, ſiue ſapiens ſiue Mimographus notiſſimo hoc verſiculo innuere voluit;

Nimium altercando veritas amittitur.

277 Quartò ceſſantibus etiam traductionibus & inuectiuis ipſam inſuper ar-
rogantiam & faſtum nullos magis, quàm ſtudioſum otium profitentes vi-
tare conuenit tum alijs de cauſis, tum ob hanc vel inprimis, quòd nil ab-
ſurdius ſit, quàm inde occaſionem & prætextum arripere ſuperbiæ cri-
ſtas erigendi, vnde modeſtiæ & humilitatis diſciplina præcipuè peti debet.
Harum enim virtutum nulla peritior & ſalutarior ſchola eſt, quàm bona-
rum literarum cognitio. Facit huc non tantum veriſſimum veteris aucto-
ris dictum: *quod doctiſsimus quisque ſcit minimam eſſe eius partem, quod neſcit*,
ſed eodem etiam pertinet, quod ſupra iam dictum eſt, plurima eius eſſe
generis, vt ad illorum veram & ſolidam ſcientiam & perfectam perueſtita-
tionem nullo ingenio, nullo ſtudio perueniri poſſit. Poſſumus igitur
p. valde vtiliter & ſalubriter, Socraticum illud, quod ſuo loco examina-
uimus, contradictionum implicans paradoxum: *vnum ſe ſcire quòd nihil
ſciat*, in ſequentem modum temperare: Nihil nos certius noſſe, quàm
278 quòd pleraque ignoremus. Quintò ex eodem fonte promanare videtur,
in quo non pauci labuntur, ſummopere autem vitari debet, quòd ea
ferè contemnimus, quæ neſcimus, & non didicimus, & *Spartam* noſtram,
quod ſummè laudabile eſt, *ornare* non contenti, reliqua omnia, quorum
cognitionem ſiue contemptu ſiue neglectu ſiue denique ingenij hebe-
tudine & pigritiâ aſſecuti non ſumus, curâ & ſollicitudine noſtrâ, tanquam
vtilitatis & fructus aliquid non habentia, inferiora videri & haberi volu-
mus. Iſtâ ratione vel ſecundùm vulgarem rythmum per nimiam compla-
centiam & ſuperbientem phantaſiam in Dianam rana transformatur, &
veteris Comici de imperitis iudicium ipſis etiam doctis dignitatis ſuæ
oblitis & in plebeia vitia degenerantibus ruborem incutit: *Nil eſſe inju-
ſtius illis, qui, niſi quod ipſi faciunt, nil rectum putant*. Sequuntur tres alij ijq;
279 præ alijs noxiores ſtudiorum abuſus, quorum primus, qui hic ſexto
loco refertur, eſt, quòd reperiantur, qui magno ſuo malo araneas potius
quàm apes in delibandis auctorum ſcriptis imitentur, non tam ſalutaria

quàm exitiosa studij sui sedulitate sectantes. Ad quam classem illi quoque referri merentur, quorum naturalis historiæ Scriptor in sua ad Titum Cæsarem præfatione meminit; *maximam partem studiorum amœnitates sequi*. Qui enim eiusmodi sunt, ita circa corticem hærere perseuerant, vt rarissimè ad ipsum nucleum perueniant, idque plerisque illorum euenisse notum est, qui poëticis nugis, & inanibus ad otiosorum tempus fallendum compositis fabulis nimiùm dediti sunt; quamuis fatendum sit, non pauca eius generis esse, quæ seuerioribus Musis coniuncta, illarumque longè magis proficuam non impedientia imò verius, sæpius & in multis præclarè iuuantia & promouentia culturam, non omni ex parte contemni possint; cuius generis L. Senecæ Apotheosin & Heliodori Æthiopica ex antiquis; è recentioribus Barclai Euphormionem & Argenidem esse, quæ pro exemplis sufficiunt, iudiciosus & veræ virtutis intelligens, & amans Lector haud grauatim largietur. Aliter enim si sit, de ipsis Iliade & Odyssea Homericis earumque felicissimo apud Latinos compendio (quis enim Maronianæ Æneadi hoc elogium deneget) actum fuerit, è quibus tamen ipsius etiam moralis philosophiæ primordia, repeti & fundamenta sumi oportere inter doctos fere constat. Septimus isque proximè præcedenti co- 280
gnatus error & abusus hic est, quòd non desint, qui vitiosis apprehensionibus & inclinationibus suis, etiam aliunde imbibitis, siue congeniti, siue malâ consuetudine aut peruersorum seductione concepti fuerint, è magnis auctoribus & ipsis reconditæ eruditionis adytis, non palliationem tantùm sed etiam defensionem, magnâ bonarum literarum iniuriâ, & intelligentium offensione mutuari non abstinent. Id temerè attentantes tum probatissimorum scriptorum sententijs, tum magnorum virorum & heroum exemplis abutuntur, Terentiani Gnathonis instar, Thrasoni suo Herculis & Pyrrhi factorum assentatoriâ adæquatione illudentis, sibimetipsis æquè turpiter sed longè nocentius quia occultius, blandientes parasitantur. Abstineo speciminibus & documentis rem istam testatam facere; meminisse autem, qui ita agunt, oportebat, illius iuridici axiomatis: *non semper idem esse, quando idem duo faciunt*, & quòd multis casibus *circumstantiarum variatio ipsam quoque rem mutet*. Octauò prædictis duobus 281
non minor si non & grauior hic tertius abusus est, si quis ingruentibus aduersis rebus è studijs, qui præcipuus & maximus illorum fructus est, animi ægritudinum, non solatia tantùm sed euacuationem etiam & expulsum petere contemnat; quod illis fere accidere solet, qui rerum suarum successibus ad exspectationis & desiderij modum non succedentibus animo concidunt, illamque cordis constantiam & pectoris robur, quibus eo

tempore vel maximè opus habebant, sibi excuti patiuntur; similes ista in se imperitioribus & parum cordatis oratoribus, qui per improuisa & inopinata *omni statu* iuxta prouerbium *deijciuntur*. Hoc malo non facilè infestabitur, qui memor esse volet illius Horatiani:

*lib. 2. od. 10.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus

& eiusdem hoc alterum vsu & exercitatione suum faciet:

*lib. 3. od. 3.

Iustum ac tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, nec Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Iuuat & tertium eiusdem addere, nam & paris elegantiæ, nec absimilis argumenti est.

*lib. 4. od. 4.

Duris vt Ilex tonsa bipennibus
Nigræ feracis frondis in Algido
Per damna per cædes ab ipso
Ducit opes, animumq; ferro.

Talem enim illic non vnum & solum victorem Asdrubalis Neronem sed totam Romanam gentem describit, & sub eius schemate, generosæ magnanimitatis & inuictæ fortitudinis candidatos, in omne futurum æuum instruit. Ac, ni nimiùm fallor, non imperiti talium præceptorum & exemplorum obseruatores sunt, qui non cœco impetu in media pericula feruntur & ruunt, sed concessâ moderatione adhibita hactenus, quæ dissimulari nequeunt, & quorum condonationem & conniuentiam in sua potestate non habent, fideliter, intrepidè & constanter sibi curæ sumunt, vt interim proprias iniurias negligere nôrint, & condonare parati sint. Ita agentibus bono iure obijci non potest, quòd maiora viribus suis moliantur, ingensque saxum, quòd præ imbecillitate sua vix loco mouere valeant, etiam tollere & auferre satagant. Ad hunc enim dissimulandorum & remissibilium numerum illa non pertinent, quæ publici Iuris sunt, & communem vel omnium, vel plurimorum commoda, incolumitatem, & salutem attingunt, in quibus, sub moderationis indiscretæ & falsæ prudentiæ prætextu & specie, incuriosum & negligentem esse, non laudis ali-

cuius

cuius sed summi vituperij res est, non sapientiæ sed verissimæ stultitiæ opus est, non sedati pectoris modestiæ adscribi potest, sed pusillanimi potius vilitati imputari meretur, à probis & bonis probari nequit; ac tantum abest, vt ipsimet omnipotenti DEO, cui longè maior, quàm malè & impiè agentibus hominibus obedientia debetur, placere possit, vt æterna etiam supplicia inpœnitentes inde exspectare habeant. Recensitis tribus 282
quartus accedit supernumerarius & quidem capitalis & grauissimus abusus vel leuitatis vel pertinaciæ nimiæ, quibus eruditorum nonnullos infestari & infici vtinam minùs notum sit, & probabiliter infitiari possimus; quæ quantumuis longè diuersa & prorsus contraria sint vitia, multùm tamen tam affinia & coniuncta sunt, ita vt in vnum eundemque hominem non rarò cadant, licèt successiuè & per vices, nec vno & eodem tempore. Idem enim, quod elucidationis loco additur, in adulatione etiam & calumnia accidit, quæ simili modo cum è diametro sibi aduersentur, naturali tamen inclinatione se mutuò amplexantur & libentissimè vnà sunt, docente nos plus quàm expedit, & quod absque ea vix credibile videatur, experientiâ, nec adulationem calumniæ, nec hanc illius collegio & societate carere posse, si vires suas ostentare, & virus diffundere efficaciter debeant. De leuitate igitur & obstinatione quæ dixi, in nullis ferè perspectiùs animaduertuntur, quàm in facientibus à fidei veritate diuortium, quam vbi desultoriâ quâdam leuitate deseruerunt, postmodum in illa oppugnanda se peruicacissimos nullisque rationibus & auctoritatibus expugnabiles exhibent. Sed de illis non est hic agendi locus. Pertinent autem eodem cùm variorum generum alij, tum inter cœteros & hi, qui bonarum literarum culturam profitentes & sacri studij mystæ salutari auentes, non verecundantur, magno eruditionis & doctrinarum dedecore siue in amusorum & rudium siue impotenter & sæuè dominantium gratiam Musico sibi commercio sociatis molestiam facessere, insidias struere & exitium moliri; quâ improbitate dubito, an fœdius & detestabilius flagitium sol aspiciat. Istius infamis cohortis gregarius fuit Nerone sæuiente L. Egnatius sub philosophico pallio impostorem & calumniosissimum nebulonem exercens, qui amicum & familiarem suum Baream Soranum innocentissimum & summarum virtutum virum tyrannicæ carnificinæ nefariè & turpissimè prodidit, * dignus qui eo nomine æternæ ad omnem posteritatem execrationi expositus perennes pœnas luat. Sed missos hos faciamus, non tam Satyricorum illos morsibus relinquentes, quàm meliorem mentem, si qui adhuc hodie eiusmodi sunt, & veram proximi ijs charitatem apprecantes. Sed infinitus sim, si omnia huius

* Tac. lib. 15. Ann.

argumenti congerere & quæuis ad longum enumerare pergam, ideoque
ad ea quæ restant, progredior. Dum enim in materia graduum summi
283 boni versor, minimè transiliri, & indicta prætermitti debet illa nobilissi-
ma & summè necessaria, omniumque seculorum & scholarum disputati-
onibus variè discussa & ventilata quæstio: an & quatenus ad hominis fe-
licitatem res istæ adiaphoræ & externæ pertineant. Non immemor autem
me illas in præcedentibus à summi boni consortio reiecisse, hactenus sal-
tem sine transfugio & apostasia cum Peripateticis in gratiam redire pos-
sum, vt illas non quidem beatitudinis partem faciam, pro adminiculis ta-
men & instrumentis eius admittam, ac sub tali distinctione in hoc gradu-
um & differentiarum examine, prout suo loco promisi, in considerati-
284 onem venire permittam. De his in genere præfari licebit, vix alios reperi-
ri non grauiores tantùm sed etiam frequentiores in tota hominum vita
errores quàm in hoc indifferentium negotio, dum sæpissimè per se qui-
dem bona, sed non vnicuique conuenientia, & multis, si illorum ex voto
potiamur, noxæ & exitio futura appetimus, quod per partium enumera-
tionem, & aliquot exemplorum exhibitionem breuiter ostendi & proba-
ri debet, vbi prius in genere duo præmisero. Placet enim è duobus syn-
chronis duo memorabilia admodum, licèt primâ fronte & externâ spe-
cie sibi inuicem aduersantia, hac de re tradentes in medium afferre, eò
285 quòd ad id, quod agimus, apprime faciant, & quod omnibus persuasum
esse cupio, luculenter probent. Sit igitur axioma nostrum, res medias, si
quis illis rectè vtatur, certas quidem esse & indubitatas, ac non vtiles tan-
tùm, sed summè etiam non rarò necessarias virtutum subadiuuas & ad-
ministras, eaque de causa, si commodè haberi possint, nequaquam asper-
nandas; isto tamen non obstante, pro ingeniorum, occasionum, euentu-
um & fortunæ casuum differentia & discrepantia, illarum contraria sæpe
magis vsu venire & conducibiliora esse, eoque intuitu non minùs, quæ
exemplorum loco sint, paupertatem quàm diuitias, exilium quàm patri-
am, contemptum quàm gloriam, infamiam quàm famæ celebritatem, ab-
iectum vitæ statum, quàm potentiam; denique ne ea, quæ corporis sunt,
ex toto prætermeam, morbum quàm bonam valetudinem, pulchritudinem
quàm deformitatem, robustas vires quàm debilitatem, ad summi boni
assecutionem æquè, ac, quæ prædixi, adiumento esse & ministerium præ-
286 stare. Isto stante de quo è sequentibus patebit, & nemo, vt puto, à dicen-
dis in illam rem dissentire volet, facili negotio Iuuenalem & Martialem,
quos modò innui, in concordiam redegero, quorum alter prædicta indif-
ferentia, quæ à Stoicis è bonarum rerum, quas strictè sumebant, censu e-
iecta,

iecta, media, neutra, interiecta & indifferentia, Græcis ἀδιάφορα voçantur, non quidem, vt statim ostendam, beatæ vitæ partes integrantes constituere, plurimum tamen ad vberiorem eius fruitionem conferre affirmare videtur; ab altero propter maximam incertitudinem à Dijs petendæ non putantur. Est sanè elegantissimum Aquinatis istius Poëtæ de votorum humanorum stultitia carmen *, vbi enumeratis infelicibus diuitiarum, potentiæ, pulchritudinis, eloquentiæ, longæuitatis & militaris gloriæ exemplis, quid à numine petendum sit, prudenter admodum & salutariter hisce versiculis suggerit & admonet: *Sat. 10.

Nil ergo optabunt homines? si consilium vis,
Permittas ipsis expendere numinibus, quid
Conueniat nobis, rebusq; sit vtile nostris,
Nam pro iucundis aptißima quæque dabunt Dij,
Carior est illis homo, quam sibi &c. Et post pauca:
Vt tamen & poscas aliquid, voueasque sacellis,
ORANDVM est, vt sit mens sana in corpore sano,
Fortem posce animum, & mortis terrore carentem,
Qui spatium vitæ extremum inter munera ducat
Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, sæuosque labores
Et Venere & cœnis & plumis Sardanapali.
Monstro, quod ipse tibi poßis dare: SEMITA certè
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ.

Huius sententiam vti non improbo, ita vicissim nec omni ex parte à Bilbilitano vate dissentio, qui pleraque à Iuuenale reiecta & Deorum genubus incerari vetita, ad beatiorem vitam conducere persuasus fuit, quod elegantissimo epigrammate * expressit, digno non ibi tantùm, sed etiam hîc & vbique legi: *lib. 10. 47.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundißime Martialis, hæc sunt,
Res non parta labore, sed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta.
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, sine arte mensa;
Nox non ebria, sed soluta curis:

Non

Non tristis thorus, attamen pudicus:
Somnus, qui faciat breues tenebras:
Quòd sis, esse velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

Ita Martialis, ad cuius locum hunc tanquam compluria aceruatim complectentem in subsequentibus subinde nobis respiciendum erit. Is autem ita scribens parum admodum, quod obiter addiderim, ab altero à quo longiùs distare initiò mihi videbatur, abit. Venit mihi hîc in mentem Ferdinandi II. pijssimi & gloriosissimæ memoriæ Imperatoris generosa admodum, ac diuinæ dispositioni subiectissimè acquiescens precatio, quâ illo tempore, quo illius in Imperatorem eligendi consilijs vehementissima molientium alia omnia machinatio, feruidè admodum & peruicaciter se opponebat, quid de maioris potentiæ, tanquam rei indifferentis adiectione sentiret, quamque Dei voluntati humiliter & obedienter se subijceret, ad omnis posteritatis memoriam, omniumque veras virtutes æstimare scientium admirationem efficacissimo exemplo approbauit. Legimus illud apud Guilielmum Lamormainum S. I. Theologum & Cæsareum Confessarium in lib. de virtutibus huius laudatissimi Imperatoris, fueritque summæ & superbissimæ arrogantiæ obnoxium & iustissimâ detestatione dignissimum facinus, si per tanti Herois, & supremæ in terris dignitatis Monarchæ vestigia inferioris loci & vilioris conditionis homunciones ingredi, grauentur & dedignentur. Vt autem ad aliquam adiaphororum, quæ sub manu habemus, recensionem progrediar, corporis dolores, morbosque ideo hîc parcius attingo, quòd suo loco * re ita exigente iam aliqua de illis dicta sint. Vti autem certum est, virtutum actiones multum illis, quas dixi, corporalibus afflictionibus impediri, quod Publij Scipionis, qui maioris Africani filius minoris per adoptionem pater fuit, aliorumque exemplis constat ita è conuerso itidem fatendum est, aliquando magis expedire morbis correptum quàm corpore sanum esse, quod Apostolorum Princeps, à decumbentis filiæ curatione abstinens, nobili documento testatum fecit. Et quis dubitet, magis illis expedire, qui latrocinijs, populorum oppressionibus, prouinciarum expilationibus, innocentium & benè meritorum persecutionibus, pudendorum flagitiorum & facinorum perpetrationibus reliquisque scelerum immanitatibus quietem publicam infestant, & humani generis incolumitatem impugnatum & oppressum eunt, si nec manum nec pedem mouere imò si nec os aperire ad peruersitatum & impietatum suarum iussionem possint. Hoc intuitu benignè potest fortuna cum illo egisse videri, qui Clementis

VII.

287

288

*p.

VII. & Caroli V. tempore in Romano itinere & bellico procinctu con-
ſtitutus inopinatâ paralyſi, quò minùs militum ſuorum ductor vlterius
progrederetur, & ad vrbem perueniret, præpeditus fuit, cùm ad hoc au-
reos laqueos in ſinu ferret, vt illis ſacratum Principem impio & nefario
auſu conſtringeret. Eiusdem generis ſexcenta alia, ſi opus ſit, referri exem-
pla queant, idemq́; obtinet in robuſtioribus corporis viribus, quibus Cro-
toniates ille Milo iſtis ſolis, (nam voracitatem eius eòdem retulerim) apud
poſteros notus, vtilius caruiſſet, quàm quod illis abutendo ſeipſum miſe-
rando admodum necis genere occidit. De pulchritudine ſi quis dubitare,
vel etiam diſſentire audeat, illi Lucretiæ & Virginiæ Romana & mille eius-
dem vrbis & aliarum gentium alia exempla opponam. Venio ad externa 289
& fortuita, inter quæ multum eminent & pleroſq; in ſtuporem vſq; abripi-
unt, diuitiarum magnitudo, potentiæ ſublimitas & ſplendor, gloriæ & famæ
celebrioris fulgor, magnorum Principum fauor & gratia, amicorum multi-
tudo & exquiſitior cultus. In quibus omnibus reliquisq; etſi non deſit iuſti
deſiderij inculpatus appetitus & veri gaudij delectatio, ſi quis illis necdum
adeptis laudabiliter vti propoſitum habeat, & iam conſecuta ad aliorum
vtilitatem, publicam ſalutem, proprijq́ue nominis laudem & æternam ce-
lebrationem impendere ſtudeat, non tamen video, quoties dubium & po-
ſitum extra hominis poteſtatem euentum conſidero, ſatis cauſæ nobis eſ-
ſe, ob quam illorum denegatio anxietate & mœrore nos affligere vel poſ-
ſeſſio ingeſtientem, & iuſtò maiorem lætitiam efferre, & tantùm non extra
nos rapere debeat. Videamus paucis de opum affluentia, eſt enim trita & 290
multorum ſtilo variè vexata materia, quanquam ſic quoq; multorum ocu-
los perſtringat, nec vnquam, quamdiu homines erunt, ſi cum præteritis fu-
tura contendamus (ex illis enim de his non coniectare tantùm, ſed etiam
iudicium facere primarium eſt prudentiæ munus) mortalium ingenia & cu-
piditates laceſſere ceſſabit. Latiſſimè enim patet hic negotioſiſſimus hu-
manæ ſollicitudinis campus, cumq́; ad reliqua, quæ admirari homines & ap-
petere ſolent, non ita promiſcuus pateat quibusuis acceſſus, rariſſimi ſunt,
qui diuitias ſibi polliceri non auſint, dummodo induſtria ſibi ipſi non de-
ſint, & fortuna vel tenuiſſimam aliquam aurulam aſpirare non abnuat. In
hoc per vniuerſum orbem extenſo laſciuientis pariter ac ſæuientis fortunæ
territorio licèt negotiatores, & mercimonijs dediti præ cunctis alijs regna-
re videantur, nemo tamen tam abiectæ ſortis eſt, qui inde ſe excluſum ve-
lit, ſiue opifices, ſiue ruricolæ, ſiue alij etiam in ſordidiſſimis quibusq; vi-
tam conterentes fuerint; vſque adeò omnibus perplacet, & tantum non fa-
ſcino moleſtum eſt, Flauianum illud dicterium: *Lucri bonum eſſe è qualibet re*

Q *odorem*

odorem. Certè reperti sunt antiquitus non pauci è seruis & libertis, ipsis Dominis suis locupletiores, quò pertinet, illud nescio cuius, non mordax minus, quàm argutum & elegans ad Claudium Imp. de penuria sua conquerentem responsum. Sed quàm lubricum & anceps sit hoc ipsum, quod tantopere plerosque vbique ferè exercet & fatigat, opulentiæ consequendæ studium funestissima supersunt ex antiquitate omnibusque illam subsecutis seculis experimenta, vt mirum sit illis non terreri, quibus iustissimè obijci & exprobrari potest, quod illorum exitus non extimescant, quorum vanissimas curas stultè imitantur. Quàm multos enim diuitiarum immensitas exitio dederit, vix enumerare curiosus talium collector possit, eaque non in vita tantùm, sed post mortem etiam possessoribus suis insidiantur & obsunt. Eius rei nobile documentum habemus, in illo, qui rerum apud Galbam Imp. potitus est, de quo Tacitus: *Testamentum T. Vinij magnitudine opum irritum; Pisonis supremam voluntatem paupertas firmauit.* Contra opes inprimis proscriptionum sanguinaria edicta sæuierunt, contra easdem delatorum, quadruplatorum, calumniatorum malignitas exæstuauit; his prauè abutentium ingenio & artificio suo accusantium oratorum *caninâ facundiâ* exitialibus morsibus genuinum impegit; hæ sunt, quæ pessimi cuiusque libidinem irritârunt, quæ non minùs violentis illarum inuasionibus, quàm insidiosis fraudibus pabulum & prœdam præbuerunt; hæ sunt præcipua illa *malorum irritamenta*, quæ ferrei seculi ab Ouidio elegantissimè descripta flagitia & scelera olim exercuerunt,
290 nec vnquam prouocare cessabunt. Sed vt absint pericula & cessent istæ internecinæ clades, ipsa tam periculosæ rei vel sola possessio tam molesta & anxia est, vt sat magna sit congestarum diuitiarum stultitiæ pœna, ideoque meritò Crates Philosophus celebratur, quòd non contemnendas opes suas in mare profuderit, nec Sigismundus Imper. absurdè fecit, quando multorum millium summam, quæ placidè illum quiescere & dormire non sinebat, inter suos distribuit. Et quis ausit sapientissimum Salomonem stultitiæ & insipientiæ damnare, qui non diuitias minus, quàm paupertatem Deum suum deprecabatur? Sed quicquid de illis sit,
291 hoc quidem certum est, ambiguam, incertam & dubiam esse opum abundantiæ fruitionem, ita vt non minùs ad vitiorum quàm virtutum exercitium, ad malè faciendum, quàm bene operandum facultatem præstent & adminiculentur, quo benè attento nullatenus improbari possunt, imò summis laudibus extollendi sunt, qui ideo diuitijs renunciant, opulenta patrimonia abdicant, omnium & quarumcumque rerum dominio, per spontaneæ paupertatis votiuam obligationem, sibi interdicunt, vt dein-

ceps

ceps in omnem futuram vitam à tam illecebrosa, ad mala & peruersa perpetranda, prouocatione tuti sint. E conuerso cùm nec possibile nec vtile sit, verè heroicam istam virtutem omnes & singulos sectari & amplecti, nec ab illis malè agitur, qui vel à se vel à parentibus & maioribus suis bene partas facultates non spernunt, sed tuentur, vt præter sua suorumque subsidia præstò habeant, quibus liberalitatem exerceant, in pauperes eleëmosynas erogent, ac non publicè minùs, quàm priuatim patriæ necessa- 295
rijs, amicis, alijsque prosint & subueniant. Cùm igitur certum & exploratum sit, diuitias, quæ cum reliquis externis id commune habent, in quæstione de hominis bono indifferentes, ac tam boni quàm mali pro diuersitate & intentione vtentium capaces esse, omnino dicendum & concludendum esse videtur, triplex esse hominum circa opes, quæque illis exæquauimus, & eodem Iure habendas esse diximus, officium; Primò: vt nonnisi honestè & innocenter, si commodè & citra molestiam fieri possit, illas acquirere, siue hæreditate siue propriâ industriâ id fiat, velimus; Secundò, vt illarum prudentes & laude dignos dispensatores agamus, nec illarum custodia nimiâ sollicitudine & anxietate nos lancinet, memores istius regij vatis: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Tertiò, vt æquâ mente feramus, si fortuna parum prospera, vel lautiores nobis facultates non tribuat, vel tributas eripiat. Qua in re admirari, & debitis laudibus venerari libet sapientissimi Numinis ineffabilem benignitatem, quæ in tanta rerum varietate, tanta mundanorum casuum incertitudine, in tot ordinum, generum & statuum humanorum differentijs & gradibus nullum tam abstrusum angulum, tam tenuam rimam vacuam & desolatam reliquit, vt non vbique reperiatur, in quo se virtus exerceat, & bonæ mentis pia sedulitas conscientiæ suæ consulere, salutisque negotium agere possit; Ex prædictis autem consequens est, quadruplicem esse hominis circa opes, reliquasque, quæ extra hominem sunt, commoditates, virtutum differentiam, quatenus 1. nimirum illas non habemus, quo casu æquanimitate & patientiâ nobis opus est, vel 2. quatenus acquirimus, vbi Iustitia & vitæ innocentia, quod agant, inueniunt, omnesque fraudes, insidias, imposturas, concussiones & violentias excludunt, 3. quatenus possidentur, quæ liberalitatis pariter ac parsimoniæ, magnificentiæ, σω̃ ἀρχίιας magnanimitatis palæstra est, vel deniq; 4. quatenus eripiuntur & pereunt, vbi rursus ad æquanimitatem, rerum fluxarum & mutabilis fortunæ contemptum, indifferentem erga opes & indigentiam animum humilemq; & placidam in diuina voluntate acquiescentiam, vnicum superest refugium. In solo igitur hominis animo consistit, hæc externa bona vel mala dici &

haberi debeant, nec diuitiæ, quod pro exemplo sit vel meliorem vel peiorem, quem faciunt, siue illæ præsto sint, siue absint, vt mihi non superflua tantùm sed etiam stulta videatur fuisse istius veteris Philosophi apud Laërtium, qui Honetorem vocat, quæstio: *an oporteat Sapientem pecuniosum esse*, de qua integro libro tractâsse traditur; poterat illa aliquanto artificialiùs & Philosophiæ conuenientiùs formari, in quo sensu à Seneca non minùs vitâ quàm doctrinâ pridem decisa & resoluta est, nimirum an officiat Sapientiæ professori diuitiarum possessio; Huc enim pertinet dictum eius: *Imbecilli animi esse diuitias pati non posse*, atque hoc ipsum proprio exemplo testatum fecit, ac verum esse comprobauit, quem constat ter millies sestertium in bonis habuisse, quod facit, secundùm Budæi de Asse aliorumque computationem hodiernæ monetæ nonaginta circiter aureorum nummorum tonnas. Nisi valdè fallor, longè maioris virtutis fuit, vsque adeò magnarum opum possessorem tam frugaliter, vt ab illo factum esse nemo dubitat, viuere potuisse, quàm si illas contemptui habuisset, &
294 pro suis agnoscere dignatus non fuisset. Priusquam ad reliqua progredior, flagitante, quod sub tractatu habemus, subiecto, dissimulari hoc loco non debet Sebastiani Foxij Morzilli Hispalensis error, quo non minus quàm Peripatetici à vero nimiùm recedere, & in contrariam ab illis partem declinans itidem ipsis extremis inhærere animaduertitur. Scripsit is ante seculum admodum insigne & valde probatum de Philosophia morali compendium, in quo cùm complurima præclarè, tum hoc vnum assensu & calculi adiectione nequaquam honorandum prodidit: * *Bona corporis & fortunæ non solùm virtutes animi augere decorareq; non posse sed etiam ijs detrimento esse. Nam quis*, inquit, *obsecro*, tam bonus tantisque ornatus virtutibus exstitit, quem vel corporis præclaræ dotes, fortunæ amplæ superbum & arrogantem non reddiderint, quemque ad turpissima vitia non induxerint? & post aliqua: Ex quo intelligitur nihil minus ad virtutem conferre, quàm si corporis & fortunæ nobis bona suppetant, cùm hæc potius ab illa nos distrahant. Hæc si vniuersum nullâ factâ distinctione, vt à Foxio non tantùm scripta, sed etiam intellecta sunt, accipiantur, nequaquam subsistere valent & falsissima sunt, videturque illum Aristotelicæ aberrationis, quam mordaciori aliquo lixiuio eluendam putabat, exagitandæ paulò intensior calor, à veritatis linea non nihil in transuersum abstraxisse. Multis exemplorum millibus Foxianus lapsus ille refelli posset, si tam manifestè falsa refutatione indigerent. Hoc enim stante omnes diuites, auari, rapaces, flagitiosi sint, omnes potentes rerumque potientes omnium criminum mancipia habeantur, sint Iustitiæ osores

*lib. 2. c. 6.

res

res & præuaricatores, ſint innocentiæ hoſtes ac perſecutores, populo-
rum oppreſſores, prouinciarum expilatores, vno verbo immanes tyranni
ſint; omnes formoſæ impudicæ; omnium valentium & corporis viribus
gaudentium nonniſi ad effundendum ſanguinem pedes veloces ſint, quo
nil fingi vel dici poteſt abſurdiùs. Exploſa igitur prædictâ quàm malè &
perperam aſſeruit generalitate, hanc ſequentem moderationem eius, non
illibens admitto & amplector: *Certè quamuis hæc omnia* (corporis & fortunæ
bona) *per ſeipſa nec bona nec mala ſunt, tamen occaſionem vitiorum MVLTO-
RVM præbent, naturamque noſtram, ad vitia procliuem, SOEPE potius corrumpunt,
quàm exornant.* Hæc certè proba & veriſſima ſunt, illisque meritiſſimè
magno terrori eſſe debent, qui pertinaci ſtudio & improbo labore, per
multa rerum diſcrimina, per ſaxa, per ignes ad honores, ad opes, ad nimi-
am potentiam tendentes & enitentes, ſibimetipſis non rarò exſtruunt,
præceps immane ruina, nec huius tantùm vitæ calamitatibus, ſed æterni et-
iam exitij ſe periculo exponunt. Huius generis fuerunt non tantùm Seia-
nus, Plautianus, Ablauius, & ex recentioribus Cæſar Borgia, ſed etiam ipſi- 295
met Scipiones Africani maior & minor C. Marius, L Sylla, Pompeius,
Cæſar, Cicero, quemque hic iam antea, ſecundùm Plinij veriſſimum elo-
gium, proſcripſerat Proſcriptor Antonius & proauorum æuo è Purpurato-
rum ordine Ioannes Vitellius Cornetanus præpotens ſub Eugenio IV. Pa-
triarcha & Exercituum Dux, Aſcanius Sfortia, Alphonſus Petruccius, &
Pompeius Columna, breuique antea apud Ludouicum XI. Galliarum re-
gem cardinalis de Balues, ac paulò poſt in Anglia apud Henric VIII Tho-
mas Volſæus lanionis filius, & tot eiusdem ſortis alij, quos recenſere infini-
tum ſit, quorumq; tragicorum caſuum omnis hiſtoria refertiſſima eſt, qui
omnes occaſione fortunatorum ſucceſſuum & adeptæ potentiæ ſibimeti-
pſis exitium accelerârunt? illos enim vel ſua improbitas, vel aliorum inui-
dia, vel ipſa etiam virtus peſſundedit. Nam & hanc *fato potentiæ raro ſempi-
ternæ* ſæuientis fortunæ caſibus varijsq; calamitatibus ſubiectam & obno-
xiam eſſe, præter ea, quæ iam relata ſunt exempla Photionis, Demoſthe-
nis, Demetrij Phalerei, apud Græcos; è Romanis Metelli Macedonici,
Publij Rutilij, M. Bruti, C. Caſſij, L. Senecæ, Thraſeæ Pæti, Bareæ Sorani
(hos duos Fannij & Seruilij nomina habuiſſe ex filiarum appellationibus
coniecturam capio) Domitij Corbulonis, vt de multis pauca ſeligam
partim exilia, partim ſupplicia, aut mortes voluntariæ fateri cogunt Quin 296
tamen non licitum tantùm, ſed etiam laude dignum ſit, per bonas artes
ad conceſſa graſſari & ſublimiora emergere, nemo in dubium vocauerit,
ſed meminiſſe oportet talium ſponſarum procos & dignitatum candida-

tos, qui id vitæ genus eligunt, fortunæ casibus despoticum in se domina-
tum permittere, nec magis deinceps in sua potestate esse, quàm qui naue
conscensâ in altum prouecti fluctuum & ventorum discretioni se commit-
tunt. Hisce posterioribus: ad hanc de potentia materiam, in quo regno
suo vel inprimis fortunæ inconstantia libidinem & proteruiam suam ex-
ercet, præcipuè pertinentibus, placet attexere maioris lucis causa, quæ ma-
gni nominis è Neotericis Scriptor, summæ elegantiæ operi suo inseruit.
* ca. 54 55 & 56 Quæ enim quarto eius libro * in vtramque partem disputauerat, postea
inter conclusiones sequenti enunciato complexus est: *Verum est hoc parado-
xum: potentes plerumq; probitate cæteros præstant.* Id si hoc posteriori æuo ita
se habet, temporum nostrorum felicitati, quod iustè gratulemur, habemus.
Longè aliter olim iudicauit, cuius de annuli insculptione plus satis mor-
dax dicterium superest; quod licet fatear longè amplius mendacis scom-
matis quàm sinceræ veritatis continere, manet tamen pariter inconuulsa
omnium retrò seculorum, hoc Peripateticum paradoxum euertens, expe-
297 rientia, cuius exemplis nihil apud Historicos aliosque frequentius, ideoq;
hoc loco inuidiosè non recensendis. Ac si non vnicum certè rarissimum
est ante imperium luxuriæ, rapacitatis & sæuitiæ suspectissimi per principa-
tum in melius mutati iunioris Vespasiani, qui ad patris differentiam vulgo
Titus audit, specimen & experimentum. Certè si in illis, quorum domi-
natus initium iniustè vsurpatæ potentiæ infamiâ non laborat, contrari-
um regulare esse largiendum sit, in plerisque tamen reliquis, si non omni-
bus, verum esse animaduersum est, quod de M. Saluio Otthone, qui post
* l. 1. Hist. Galbæ necem Romanam orbis regendi potentiam non tam fruitus est,
quam libauit, Tacitus * noster commemorat: *non posse principatum scelere
298 quæsitum subitâ modestiâ & priscâ grauitate retineri.* Atque huc ni fallor, ex-
empla etiam pertinent plurimorum, ante regimen summum & maximum
suorum amorem obtinentium, à quibus postea, non perdurante eodem
affectu ipsis paritum est: estq; notum de veterum Gandauensium moribus
ioculare pariter ac verax dictum: *amari ab illis Principis sui filium, non ipsum
principem,* quamuis illud quodammodo etiam aliò spectare, nec omni ex
parte ad propositum nostrum quadrare videatur. Longè aliud multoq; fe-
licius secundi, quem memoraui è Flauia gente Cæsaris fatum fuit, quem
cùm rerum necdum potientem *propalam alium Neronem & opinarentur &
* in vita c. 6. & 7. prædicarent,* adeoque *non temere quis tam aduerso rumore,* vt Tranquillus *
auctor est, *magnq; inuitis omnibus transierit ad principatum; cessit tamen illi
ea fama pro bono, conuersaque est in maximas laudes, neq; vllo vitio reperto & con-
tra virtutibus summis.* Multò aliter ac iniquè admodum cum Sulpitio Gal-
ba

ba fortuna egit, qui *omnium consensu dignus principatu creditus* fuit, *nisi im-*
peràsset. Satis de potentia, videamus etiam de fama & gloria nulli bono
repudianda, si ad illam bonis artibus pertingi & verâ laude dignis actio- 299
nibus obtineri possit. Hic spatiosissimus præ reliquis omnibus est histo-
riarum campus, quem tamen cum perpetua infamia & indelebili ad om-
nem posteritatem vituperio communem habet. Possumus autem de hac
famæ celebritate idem, quod antea de diuitijs diximus, æquè verè affir-
mare, quod summi, medij, infimi promiscuè & ex æquo ad illam aspirent
vsque adeò, vt vix aliquis reperiatur tam vilis sortis & sordidæ conditio-
nis homuncio, qui non audeat in historijs sibi locum aliquem polliceri, &
posterorum notitiam sperare, dummodo vel ingenij pauxillum obtineat,
vel ambitionis aurâ aliquâ velificari nôrit. Hæc enim est, quam vltimam 300
fere, post omnia humana alia superata, mortales exuunt, si grauissimo scri-
ptori Æneæ Siluio Piccolominio, qui in Pontificatu Pij II. nomen habuit
de Ioanne Huniade, eiusque æmulo, victoriæ ad Belgradum siue Albam Iu-
liam contra Turcas obtentæ laudem ad se rapiente narratorum, sibi fides
constat. Tractat pluribus de hoc subiecto, tum in officialibus, tum in alijs
libris suis Cicero, obtinetque inter res expetibiles, (solam enim bonam
conscientiam, præcipuum & dignissimum bene & inculpatè patratorum
prœmium excipio, & principe loco colloco) fere prærogatiuam, ideoque
nemini, cui obtingere potest, inficiandam & despiciendam, quamque ad
summi boni gradus pertinere, humanæque fœlicitatis non contemnen-
dam, siue partem esse siue adminiculum nemo mentis compos abnuerit.
Manet interim hoc quoque verum, æquè famam & gloriam quàm reliqua
externa, rebus medijs, & indifferentibus accensendas esse, ideoque multò 301
præstabilius haberi quouis Care obscuriorem esse, quàm aliud, quam
quod è virtute sit, & veram laudem mereatur, siue in Historicorum siue a-
liorum scriptis, apud posteritatem nomen obtinere. Sunt autem non v-
nius generis, qui hac in parte infelices fuisse reperiuntur; alij enim præter 302
votum & intentionem suam turpibus facinoribus nobilitantur, cupientes
pariter cupiditatibus suis obsequi, & nullâ illarum infamiâ grauari, quibus
propterea inuisas & odiosas mirum non est historias esse, vtpote, in qui-
bus satis præuident se non alia quàm Hipponactea & Archilochia præco-
nia manere; alij dedita opera hoc ipsum agunt, vt rariori aliquo maxime-
que notabili facinore celebre sibi nomen faciant, & adseram posterita-
tem perennent, qualis fuit Ephesini templi incensor Herostratus; alij de-
nique etiam rectè agendo & regiâ viâ ad gloriæ arcem scandendo siue
culpâ suâ, dum vel maiora viribus suis moliuntur, vel quo alio vitio defi-
ciunt,

ciunt, aut fortunæ malignitate ſpei & exſpectationis ſuæ falſi ſunt, quo cum tribulibus ſuis Italus poëta Gaſpar Murtola referendus eſt, qui in fine Hetruſci operis ſui, *de Mundo creato* conqueritur, illud, *dum laudem quære-*
303 *ret, ignominiam & vituperium reperiſſe.* Poſſet hîc nec incommodè nec alienè inſeri, quid præcipuè ſpectare, quodque laboribus ſuis optare præmium debeant, qui lucubrationes ſuas publicant, niſi res longior eſſet, & nobilium ſcriptorum exemplis illuſtrari deberet. Vnum hoc raptim attingere & affirmare licebit pluris æſtimandos eſſe, qui proba ſalutaria & pia ad vtriusque ſeculi beatitudinem facientia vel ſub ambigua laudis & gloriæ ſpe vel etiam cum certo apud aliquos contemptus & exploſionis periculo publicis vſibus conſecrant, bonæ conſcientiæ hîc præmio contenti, & vberiorem remunerationem alibi ſuo tempore recipiendam patienter expectantes, quam qui vel protrita vel vana & ambitioſa, vel minus neceſſaria publici applauſus certi euulgant, nec aliud, quam inanem oſten-
304 tationem vanamque gloriam affectant & venantur. Dicendum etiam aliquid eſt de fumo aulico, & magnatum gratiâ, de quâ fertur nec inſcitè nec falsè commentus verſiculus:

Principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt.

Hoc enuntiatum ad omnes in genere pertinet, hîc autem inquirendum videtur de illis, qui principum familiaritatibus vel ex officij & miniſterij ſui occaſione, vel ex eorundem benigniori affectu & propenſione propiùs admouentur, quos in ſtatu admodum lubrico conſiſtere omnium temporum experimentis in confeſſo eſt, faciuntque ad eius probationem magna
305 ſaltem ex parte relata paulò ante, cùm dè potentia ageretur, tragica quorundam multò tempore in aulis præpotentium exempla. In tribus igitur conſiſtunt, quæ iſta de re obiter & carptim dicere propoſui. 1. An & quatenus ambienda ſit principum gratia, maximè interior illa, quæ rerum potiri aliqua ex parte donat, & ad quam præcipuè & in excellentiori gradu vetus illa ſententia reſpicit: *Partem Principatus tenet, qui benè ſeruit.* 2. Quâ arte & modo amor & fauor Principum conſeruandus ſit. 3. Quid illis faciendum ſit, qui loco iſto excidunt, & quo animo iſtiusmodi caſum ferre deceat. Primum quod attinet, optimè intellexiſſe videtur incertitudinem iſtius inæqualis & claudicantis cum Magnatibus amicitiæ, qui illis, vt foco vtendum eſſe monuit, ad quem ſi nimium accedis, vreris, ſi longiùs abſtas, friges. Quod idem animo versâſſe videtur, qui dixit, vel potius edixit:

Dulcis in experto cultura potentis amici
Expertus metuit.

Atque inde permotus olim Philippides Poëta, cùm in flagranti eſſet Re-

gis sui gratia, vnum hoc beneficium ab illo petijt, *ne secretorum eius particeps fieret*. Quia tamen neque Principes sine clientibus & ministris esse possunt, neque vnquam deerunt, quos aularum splendor & bracteata felicitas inescet, superest, vt ad id vitæ genus à fato destinati & à fortuna vocati perpetuas sibi excubias indictas nec vicissitudine aliqua subleuandam in acie stationem imperatam esse nôrint; qua de re, vt & de illo, quod secundo loco dicebamus, politicæ prudentiæ scriptorum libri pleni sunt, & ex professo illud argumentum expendunt, qui de ciuili conuersatione, cuius Palatina militia præcipua ferè pars est, & de aulici officio tractârunt. Ad posterius respexit, qui olim Principi suo respondit: *Non potes me simul amico & adulatore vti*. Qualis autem debeat esse status, vt 306
hodie vocant, ministrorum cum Principe suo conuersatio, in C. Mœcenate & M. Agrippa nobile exemplum eiusq; ipsius Augusti Cæsaris illustre testimonium habemus. Is enim cùm post vtriusque obitum in puniendis suorum flagitijs aliquanto imprudentiùs egisset, pœnitentiâ nimiæ seueritatis suæ, quam emendare integrum iam non amplius erat, ductus, immemorabilem illam multis sine dubio comitatam suspirijs querelam prolapsus est: *Hæc mihi non accidissent, si Agrippa aut Mœcenas viueret*. Nec enim Seneca audiendus est istam eludens conquestionem, quem satis refutauerit missa ab hoc Hetrasto atauis regibus orto equite in sinum de plurium criminibus cognoscentis schedula: *Surge carnifex*, & illud, ni fallor, sinchroni Elegiographi Tibulli:

Mœcenatis erunt vera tropha æa fides,

quibus accedunt nauales Vipsanianæ victoriæ, earumque inter reliqua militaria dona prostrata noui generis corona præmium terrestribus pariter & maritimis expeditionibus contributionum subsidio prouidens & subueniens Mœcenatiana Rana, quæ vt ciuibus * Plinio testante magnum subinde terrorem incussit, ita amico Principi multoties solatio & saluti fuit. Ne quid iam dicatur de nobilissimis vtriusque apud Dionem Cassium orationibus, quibus æstuantem & incertum de dominatu vel deponendo vel retinendo animi & electionis Octauianum Imp. liberrimè monuerunt; ac licèt sententijs è diametro discrepârint, vtrimque tamen 307
fidum consulenti consilium dederunt. Tertium quod attinet, vti in omnibus humanis, tanquam fortunæ casibus subiectis & ad infallibilem certitudinem nullius prouidentiâ & sagacitate redigendis, (talia enim præsumptuosè affectantes in ista Terentiana tribu primores sunt, qui id agunt, vt cum ratione insaniant) ita etiam in aulica potentia & principali gratia agendum est, vt nimirum tum negligentia & supinitas vitetur, tum

* lib. 17. c. 1.

etiam à nimia sollicitudine & anxietate caueatur, præsertim si tale quid
incidat, quod in potestate non sit, quo casu præstat caducis & fluxis sta-
bilia & æterna præferre, & istius meminisse, quod olim Apostoli Prin-
cipi sacerdotum Scribisque & senioribus Hierosolymitanis responde-
*Act. 4. bant *Si iustum est in conspectu DEI vos potius audire, quàm Deum iudicate Huc
igitur omnis illa quæstio recidit, vitandam esse quo potest, humano stu-
dio magnorum principum offensionem & gratiam eorundem conser-
uandam potius quàm insuper habendam; id si consequi non liceat cœ-
lestes fauores firmos & fixos terrestribus, qui fluxi, inconstantes & in ho-
ras mutabiles sunt, longissimè præferendos esse; huc enim ipso Salua-
tore nostro nos instruente vocamur, cuius doctrina est. **Nolite timere eos,*
* Mat. 12. *qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: Sed potius timete eum,*
qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Sed missâ aulâ etiam in ge-
308 nere videamus de amicis, quos ad hominis felicitatem vel inprimis gran-
dis momenti esse vel inde satis constat, quòd de amicitia tractatus mora-
lis Philosophiæ siue ethicæ propriè ita dictæ altera pars sit, qua cum virtute
sociatione eius & tam salutaris disciplinæ in vtramque partitione quid
aliud docere velle veteres illi Philosophi dicendi sunt, quam hanc sine
illa commodè exerceri non posse, sed suaui contubernio eius & fido
adiutorio non subleuandam tantùm, sed etiam solidandam esse? Esse au-
tem amicitiam quoque è rebus medijs, ac non tantùm fortunæ incon-
stantiæ, sed etiam humani ingenij & voluntatis mutabilitati subiectam
& obnoxiam quotidie experimur, & omnia retro secula experta sunt, ad-
deoque probatiores sunt euentus eiusmodi quam plerique vellemus.
Hunc tam sanctæ & desiderabilis possessionis stabilitatem validè concu-
tientem & labefactantem arietem antiquus ille Epicharmicæ, vt videtur,
factionis, si ita loqui liceat, cautelarius in mente habuisse videtur, quan-
do hanc in amicitiæ cultu monitoriam regulam præscripsit: *ama osurus*;
309 quam amicitiæ sinceritati plurimum officientem, multumque trahentem
astutiæ præcautionem M. Tullius in Lælio suo vehementer improbat &
acriter refellit, idque rectissimè, si summum illum amicitiæ gradum, de
quo ille agit, & cuius in omnium gentium & temporum vniuersali historia
paucissima, eaque de causa admodum celebria, pluriumque præconijs de-
cantata supersunt exempla. Si quid enim mihi de tam magna re iudicij est,
longè satiùs & ad veræ prudentiæ & probitatis normam rectiùs, amicitiæq;
castimoniæ conuenientius & generosius est, ab illo potius decipi, quem se-
mel cum iudicio & ex animi constantis decreto in sanctioris necessitudinis
sacrarium admiseris, quam tantæ dignationis amico temere diffidere. Te-

me-

meritatem in hoc argumento, peritorum iudicio, vix declinabit, qui in grauioris etiam momenti rebus ex sola humana infirmitate & futurorum tum euentuum tum morum incertitudine, de Pyladis seu Pytheæ sui fide in rebus expectatæ adhuc contingentiæ iudicare & statuere volet Præstitæ hac in parte constantiæ valdè egregium omniumq; in futurum seculorum memoria & laude dignissimum eadem illa, quæ tot alia insigniorum virtutum exempla dedit Gallia, in iunioris Thuani regij Parisiorum senatus Præside Historicorum nostri temporis Principis filio documentum exhibuit, qui se capitis discrimini ac planè ignominiosæ mortis periculo exponere maluit, quàm vt amicitiam falleret, & per grandis ac periculosissimi secreti amico animo & sub fido silentio sibi concrediti propalationem imminentem vitæ suæ perniciem in amici, à quo decipi potuit, & vt statim euentus docuit, siue per imprudentiam, siue quamcumque aliam ob causam proditus est, deriuaret. Eant nunc, quibus immodicâ antiquorum temporum & hominum admiratione huius posterioris æui infelicitatem ad veræ & heroicæ virtutis progenerationem sterilem & effœtam esse, falsò persuasum est. Non priuato meo sed cumplurium, qui virtutis ingenuitatem à spurijs, commentitijs & personatis simulachris discernere nôrunt, iudicio, nobile hoc nouitiæ magnanimitatis instar vniuersam antiquitatem prouocat, & ad omnem posteritatem æternis passibus iturum est; præsertim cum tam præsenti, constanti, intrepidâ & hilari animi nec ipsis horrificæ mortis terroribus expugnabilis firmitate, siue iustè siue aliter istam extremam sortem subiêrit, vt superiorem aliquem in ista felicissima felicitate sua habuerit neminem, pares, si quos tamen habuit, paucissimos; facit certè dubiam celebratis illis apud historicos cygneis vocibus palmam: *Vtinam tutam fortiter ferias: libemus Ioui Liberatori: Pate non dolet: si vos ferrum negaueritis: gratias ago optime Imperator: Propino hoc pulchro Critiæ: sic prandete, vt apud inferos cœnaturi*, & quæ exstant eiusdem generis passim aliæ Meritò igitur de illo hoc elegantissimum apophtegma, quo nunquam deinceps celebrari desinet, diuulgatum est: *alteram ob fractam, hunc propter seruatam fidem perijsse.* Paulò aliter se res habet in reliquis illis magis promiscuis pau 310
loque vulgarioribus amicis, cum quibus eadem fiduciâ & pari iure agere, quo cum illo, de quo vidimus, quem è tot millibus vnum in societatem & necessitudinem ipsa connubiali fide sanctiorem selegeris, summæ dementiæ fuerit; In his enim licet fortè vafri istius Siculi, ad cuius exemplum Plautum currere Satyricus in Horatiana arte nasus subsannat, locum non habeat præceptum *nulli fidere*; ad minimum, tamen quod Romanus Iurisconsultus * in alia re admonet, obseruandum esse videtur: *neque omnia, neq; omnibus,*

bus, neque semper & vbique. Nec tamen, etsi secundariæ, vt ita vocem, in amicorum cohorte notæ aliter quàm omni sinceritate, amore & fidissima curâ tractandi sunt, nec minus etiam in aduersis, tuitio, solatium & subleuatio illis debetur, quam illorum commodis promotioni & incolumitati, dum prosperè agunt, fauendum & auxiliandum est, vocantibus nos ad ista vtriusque temporis officia ipsorum etiam gentilium exemplis, qui & clientibus & libertis ipsisq; adeò seruis suis neutrubiq; defuerunt, extantque vicissim apud eosdem horum in patronos benefactores dominosq; suos præclarissima insignis & immotæ fidei ipso etiam sanguine & morte
311 testata & confirmata documenta. In hoc genere felicissimum iudicare possumus. M. Brutum, Vticensis Catonis sororis filium & generum, qui post alterum in Philippicis campis conflictum, in quo prioris victoriam Cassiani euentus consortium obliterauit, mori iam certus & Stratoni suo latus præbiturus *lætitiæ propior* fuit, siue, vt magis energetica quàm ad rem præsentem ista Corneliana est, phrasi vtar, lætissimum se exhibuit, summaque sibi consolationi esse non dissimulauit, *quod nullus* ipsi *amicorum fidem fregisset*. Longè aliter cum plerisque reliquorum actum est, quorum infelicitas vulgaria dicta partim progenuit, partim iam generata vera esse confirmat: *Infelicium nulli amici*: *Nullus ad amissas ibit amicus opes*: *Quo se fortuna eò etiam hominum fauor inclinat*, & illud, ne omnia coaceruam, Ouidianum:

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
312 *Tempora si fuerint, nubila solus eris.*

* lib. 16. Ann. Placet hanc rem, vt valdè raro ita admodum præclaro, quod Tacito * debemus, illustrare exemplo Cassij Asclepiodoti equitis Bithyni, eò magis memorabili, & melioris notæ insignitione digno, quod nec natiua Græculi hominis leuitas tantæ virtuti impedimento fuerit. Quâ enim fide iste Bareæ Sorani amicitiam ad vsque mortem eius, cum fortunarum omnium suarum detrimento constantissimè coluerit, libet ipsius auctoris potius quàm proprijs referre verbis: *Idem tamen dies*, inquit, *& honestum exemplum tulit Caßij Asclepiodoti, qui magnitudine, opum præcipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebrauerat, labentem non deseruit, exutusq; omnibus fortunis & in exilium actus æquitate Deum erga bona malaq; documenta*. Hæc postrema verba admonent me, vt huic, quod audiuimus, documento bono, alterum etiam, quod sequioris notæ fuit, & isto in loco proximè præcesserat, *addatur*; *æq; enim ad rem nostram ac prius id pertinet*: de hoc in præcedentibus, dum de eruditionis abusibus ageretur, obiter iam dictum est; hic Taciti de eo verba referentur: *Quantum misericordiæ sæuitia accusationis permouerat, tantum ira P. Egnatius testis conciuit. Cliens hic Sorani & tunc*

emptus

emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti & exerciti cæterum animo perfidiosus & subdolus auaritiam ac libidinem occultans. Quæ postquam pecuniâ reclusa sunt, dedit exemplum præcauendi, quomodo fraudibus inuolutos aut flagitijs commaculatos, sic specie bonarum artium falsos & amicitiæ fallaces. Hinc discimus, eò etiam obtinuisse tempore, de quo omnis ætas conquesta est, ac etiamnunc perdurat, nimirum almas fruges & infelicia lolia eiusdem agri germina esse. Hæc de amicitiæ ad felicitatem faciente symbola sufficiant; addam pauca de patria & domicilio, in quibus itidem aliquid situm est ad eandem momenti. Ad priorem pertinet illud Themistoclis ad Seriphium quendam: 313
Neq; tu, si Atheniensis, neq; ego, si Seriphius essemus, clari vnquam fuerimus. Apophtegma sanè egregium, quo pariter docemur, magnum quidem esse natalis soli valorem, nec tamen soli illi fidendum esse, nisi virtutis industria accedant, sine qua nobili patriæ non pauci ignobili & degeneri fuêre dedecori. Huc etiam facit Platonis, ni fallor, facta Dijs suis gratiarum actio, quod & marem & Græcum & Atheniensem se nasci voluissent. Vice versâ complutia supersunt illorum exempla, qui inter reliquas difficultates & fortunæ nouercantis iniurias etiam originis sordes feliciter eluctati sunt, & patriæ suæ barbariem ingenij culturâ & morum probitate superârunt, cuius generis inter Philosophos Bion Borysthenites Anacharsis Scytha & si Poëtæ * credimus, ipsemet etiam Democritus Abderita fuerunt, de quo vltimo sequentes eius versus supersunt *Iuu. sat.

Cuius sapientia monstrat
Summos posse viros & magna exempla daturos
Veruecum in patria crassoque sub aëre nasci.

Hæc & eius generis alia paucis potius in huius discursus nostri septis libanda, quam latiùs deducenda sunt, ad finem enim properare & prolixiores ambages declinare teneor, quo respiciens pauca etiam de domicilio addo, in quo, quid differentiæ sit, satis animaduerterunt Georgicorum & Oecumenici scriptores, quando de vicinis eligendis monita dederunt. Eandē 314
rem præ alijs omnibus Atheniensis & Romanæ vrbium exempla plurimum illustrant, in quibus exterarum gentium & aliarum ciuitatum plurimi inclaruerunt, fortè nunquam ad aliquem celebritatis gradum enixuri, nisi dignum ingenio & virtutibus suis habitaculum prudenter elegissent; facit eodem Philippi Macedoniæ Regis, Magni Alexandri progenitoris, nobilissimum exemplum, quem Græcis obsidem datum Thebanum aliquot annorum domicilium & Epaminondæ contubernium tanti nominis tamq; eximiæ virtutis Regem fecerunt, vt summi iudicij auctor Tullius* noster *lib. 1. off.

non dubitauerit ijs, quæ ſequuntur, verbis ipſo filio maiorem celebrare:
Philippum quidem Macedonum Regem rebus geſtis & gloriâ ſuperatum à filio:
facilitate verò & humanitate video ſuperiorem fuiſſe. Itaq; alter ſemper magnus,
315 *alter ſæpe turpiſſimus fuit.* Denique de vitæ genere ſummi boni gradus
ſub manibus habenti quædam attexenda videntur, eò quod vix numera-
bilibus exemplis probari queat, quod potiſſima non rarò humanæ felici-
tatis pars ab illius vel prudenti vel inconſulta electione dependeat. Ac
tanto facilior in iſto negotio lapſus & erroris occaſio eſt, quod iſta conſul-
tatio in eam, vt plurimum vitæ & ætatis humanæ tempus incidat, quando
rariſſimus quiſque eſt tam firmi iudicij, vt ſe ipſum rectè nôſſe, rerumque
huius mundi conditionem & varietatem ſatis peritè intelligere & inter-
noſcere poſſit. Hinc multiplices illæ diuerſorum in maturiori vitæ decurſu
ac ſœpius ætate multùm iam prouecta & fere exacta querimoniæ, quod
vel propriâ culpâ ſuâ decepti, vel ſuorum auctoritate & ſuaſu inducti e-
iusmodi vitæ genus in adoleſcentia vel iuuentute prætulerint; quod poſt-
modum in virili ætate conſtituti, rerumque vſu melius edocti ad genium
ſuum parum facere, & vel ſuâpte proprietate & conditione, vel indolis
auerſione, animi, ingenij corporisque virium defectu vel denique mali-
gnitate fortunæ improbitate hominum, vel alij quibuscumque de cauſis,
quæ variæ & numeroſæ in hoc vaſtiſſimo mundanæ conuerſationis pelago
tanquam ventorum violentiſſimis flatibus & tempeſtuoſiſſimis fluctibus
expoſito, adeòque naufragandi frequentia periculoſiſſimo & plus quàm
infami occurrere poſſunt, ſibi minus conuenientem eſſe, ſerò nimis, vtpote
emendationis tempeſtiuitate iam effluxâ, magna cum acerbitate, ac non-
nunquam vix ſine gemitu & lacrymis animaduertunt. Eſt autem hac in
parte præ aliorum pleriſque horum miſerior & deploratior conditio,
qui eiusmodi vitæ genus & ſtatum elegerunt, cui pœnitentia ſubue-
niri, & ad aptiora tranſitu medicina fieri nequit, vnde plurimorum in-
curabiles animi morbos & exitus prorſus exitiales omnibus ſeculis perue-
niſſe indubium eſt. Talibus vinculis innodato vnum ſupereſt remedium, vt
ex neceſſitate, vt adagium habet, virtutem faciat, & quod vel caſu vel culpâ
peccatum eſt, quâ fieri poteſt arte & ſolertiâ emendare ſtudeat; Longè e-
nim ſatiùs eſt, vt Spartam ſuam, quomodocumque illam iam nactus ſit,
quantum poteſt, ornare ſtudeat, quàm vt in huius vitæ fabula, ſeu, vt Au-
guſto Cæſari loqui placebat, mimo perſonam ſumptam, cuius deponendæ
316 facultas iam præterijt, cum exploſionis dedecore ineptè peragat. Mitiùs
cum illis agitur, qui laxioribus capiſtris conſtringuntur, quibusque à ſago
ad togam, ac viciſſim ab hac ad illud, à laboribus ad otium, à vita vrbana

ad

ad rusticam, à motoria fabula ad stabile domicilium, ab honoribus & dignitatibus ad vitæ communis mediocritatem, ex hominum frequentia ad solitudinem, & reliquis similibus, & rursum in singulis inuerso modo transire, ac tantum non, quadrata rotundis & hæc illis mutare permissum est. Huc facit illud ex vrbano apud Horatium ruricolâ facto Vulteio, qui intra breue spatium vsu edoctus, quantopere Poëticis rusticæ vitæ laudibus deceptus esset, illud memorabile:

vitæ me redde priori,

summis precibus benefactori suo exposuit, vt salutariter admodum venustissimus ille Venusinus sequens morale lepidæ isti, de vita desultoria historiæ subnexuerit:

Qui semel aspexit, quantum dimissa petitis
Præstent, maturè redeat, repetatq; relicta.

Verùm hæc quoque admodum dubiæ res est aleæ, nec semper ista, si ita vocare licet, vitæ generis transfugia, id, quod appetunt, inueniunt, sed subinde putatitiæ infelicitatis fugâ maioris miseriæ illaqueatio est, quod exemplis probatum facere, & longum, nec huius loci est. Vniuersè igitur rem hanc considerantibus potius, ni fallor, videbitur, si & hi, qui suæ spontis sunt, alijsq; nec impedientibus, nec iustè reprehendentibus de vno ad aliud se conferre possunt, potius in morum constantia & vitæ semel electæ stabilitate acquiescant, & animi tranquillitatem quærant, quam in subitarijs & repentinis de vno vitæ statu ad alium transgressionibus. Solet enim non rarò illis, qui istâ viâ se molestijs, passionibus & ærumnis suis vitare posse sperant, idem quod febrientibus euenire, qui si de lecto ad lectum transferantur, se melius habituros ab imaginatione sua persuadentur, quod aliter esse mox animaduertunt, ita vt quod de loci mutatione Poëta ait, huic etiam, quam versamus, rei conuenire videatur. 317

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt,
Strenua nos exercet inertia nauibus, atque
Quadriges petimus bene viuere, quod petis, hîc est,
Est Vlubris animus, si te non deficit æquus.

Ac sanè idem, vt dicebam, in conditionum humanarum infinita ferè discriminatione obtinet, qua in re duo sibi inuicem è diametro contraria summè admirari subit. Pars enim mortalium, de qua iam agere cœpimus, tædio & fastidio præsentium & per malè, sicut putant, electorum displicentiam in œconomico statu suo nouis, vt politici loquuntur, rebus student, potiusque alia omnia appetunt, quàm vt in semel amplexis durent & persistant, rursus altera huic contraria ipsa quoque non minima pars 318

illo-

illorum est, qui tantoperè sibi in instituto suo placent, vt vix aliquid sit, quod tam eximij & magnifici quid contineat, cuius non tantùm contemptum præ se ferant, sed etiam planè & seriò spernant & vilipendant. nobique ab illis, qui tales sunt, peccatur, ideoque media vt in reliquarum virtutum exercitatione, ita hîc quoque incedendum est. potestq; ad præsentem rem hos posteriores, quod attinet, quod auctor de causis corruptæ eloquentiæ elegantissimi libelli, qui perperam & erroneè à quibusdam Tacito, ab alijs Quintiliano adscribitur, de temporum diuersitate in fine eius iudiciosissimè concludit, professionum etiam & ordinum discrimini non minori iudicio applicari: *Bonis* vitæ, quam elegerit, *citra obtrectationem alterius, fruendum esse.* Ad priorem classem saltem aliqua ex parte (aliquanto enim latiùs patet) Ouidius respexit scribens:

Fertilior seges est alienis semper in aruis.

*sat. 1. l. 1. Propius ad hanc rem facit sequens Horatij * locus: ad Mœcenatem suum.

Quî fit, Mœcenas, vt nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu sors obiecerit illâ
Contentus viuat? laudet diuersa sequentes?
O fortunati Mercatores, grauis annis
Miles ait, multo iam fractus membra labore.
Contrà Mercator, nauim iactantibus austris
Militia est potior, quid enim? concurritur, horæ
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat iuris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor vbi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in vrbem est,
Solos felices viuentes clamat in vrbe.

Reliqua, quæ paris elegantiæ nec minoris illic prudentiæ sequuntur, à volentibus in loco videri possunt. Præsentis autem de statu & genere vitæ materiæ potissima, ni fallor, pars sunt, quæ de matrimonio & cœlibatu sacri pariter ac profani auctores prodiderunt, præsertim, si eam, quæ apud Catholicos inualuit, & non frequentissimi tantùm, sed etiam vniuersalissimi moris est, obligationem annexam habeat, vt nulla quantumuis contritissimi cordis pœnitentiâ, quâ tamen peccata omnia etiam in S. Spiritum commissa eluuntur, aboleri & exui valeant. Possent hoc loco etiam illa paucis tangi, quæ vitam actiuam & contemplatiuam concernunt tanquam inprimis hoc subiectum nostrum concernentia, n si longum nimis esset, & à pluribus iam deflorata apud alios sat commodè haberi & inspici possint. Vnum hoc de vtraque dicere non prætermiserim non

paràm

parùm ad maiorem hominis felicitatem facere, si ad vtriusque coniuncti- 319
onem, idoneis ingenijs voluntas & facultas non desit. Harum externarum rerum ad virtutum felicius exercitium & beatitudinis augmentum opitulantium pars etiam est generis nobilitas & maiorum splendor. Sunt & præterea non pauca alia, quæ omnia exequi infinitum fuerit, quæque de recensitis dicta sunt, & paulò pòst dicentur, hæc quæ prætermittimus, cum illis communia habent. De omnibus enim & singulis verè affirmatur, & firmissimè tenendum est, quòd non minus noceant, & humanæ beatitudini obstaculo sint, si in malos & imperitos possessores incidant, quàm beneficium præstent, & veræ laudis iter ingressum adiuuent, si quis illis rectè vti meminerit. Atque hoc vsque adeò verum est, vt non rarò Stoicorum, quæ diximus, reiecta eorundem productis (ita Seneca & Lipsius Græco- 320
rum προηγμένα Latinè vocant) longè potiora sint. In omnibus enim fine aliqua differentia & virtutes & vitia locum inueniunt & exerceri possunt, ita vt, quod vni ad laudem & famæ celebritatem, alteri ad vituperium & infamiam occasio, incitamentum & materia fit. Quis enim dubitet pauperem inopiam suam patienter & innoxiè ferentem tenaci & rapaci diuiti per fas & nefas opes corradente, illisque auarè & sordidè incum- 321
bente longè præstantiorem æstimare? quis Nicocreontem Xenarcho, Antipatrum Demosthene, Dionysium Dione, Marium Catulo, L. Syllam tot millibus bonorum ciuium nefariè trucidatorum, Antonium Cicerone, Caligulam Canio, Caracallam Papiniano, Theodoricum Boethio, Henricum VIII. Thomâ Moro, longè viliores & misferiores fuisse abnuat, imò quis non ipsimet Magno Alexandro Callisthenem Philosophum & Philadelpho Ptolomæo Phalereum Demetrium præferat, potiusque in cauea & carcere virtutis cultor mori, quàm in Alexandrino & Babylonico regali solio crudelitati & sæuitiæ mancipatum sessorem agere malit? Huius sententiæ fuit Iuuenalis, quando sequentia de optimo Præceptore & flagitiosissimo discipulo scripsit:

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni.

Imò quod amplius est, vero quasque res pretio æstimanti (quod vel inprimis philosophicum est, & vniuersi orbis opulentiam valoris magnitudine longissimè excedit) conducibilius, & optione plurimum præferendum videri debet in Phalaridis tauro torreri, quàm talium aliorumque siue parium siue intolerabiliorum tormentorum iussorem esse, & verissimam carnificinam exercere. Nihil igitur omnia suauiter disponens & fortiter ad exitum perducens diuina sapientia maius & æstimabilius humano ge-

neri concessit, quàm quod illi largissimè & benignissimè indulsit, tam in quauis fortuna, nec minus in abiectissima miseria quàm præcelsissima quaque prosperitatis excellentia felicem esse, & verissimarum virtutum exercitio & suauitate lætari. Hoc, qui intelligit, non opus habet, vt ad beatitudinem assequendam in paupertate ad diuitias anhelet, in abiecto & contempto vitæ statu dignitates & honores ambiat, doloribus corporis correptus in sola sanitate animo suo medicinam quærat, tyrannicarum persecutionum solatium in sola ab illis liberatione & fortunæ siue regressu siue Metathesi situm esse falsò putet. Cùm igitur & hæ recensitæ & reliquæ omnes eiusdem farinæ, vt vulgò persuasum habetur, calamitates & miseriæ non minùs quàm diuitiæ, honores, potentia, vires corporis Athleticæ, & Milonianum robur similiaque vnumquemque, qui præsentibus contentus esse didicit, felicem esse & voluptuariam vitam agere donent; merentur sanè, & vt aliquam memorationis consequantur dignationem, ne omnimodâ præteritione & silentio quasi infamiâ aliquâ
322 notata esse videantur. Tanto breuius autem hoc fiet, quod prædictorum aliqua huc quoque pertineant. Fiat igitur initium à facultatibus per fortunæ iniquitatem vel negatis vel ereptis, quibus, qui se affligit casibus regnum illius Deæ, seu, vt magis Christianè loquar, diuinam prouidentiam ignorare videtur. Hæc enim licet abyssus multa sit, & ab humani acuminis hebetudine comprehendi nequeat, hactenus tamen nemini ignota esse debet, quod liberrimum illius sit de omnibus humanis rebus arbitrium, & nullius censuratione & obloquio obnoxia in hoc territorio suo dispositio. De hoc eiusque similibus & cognatis sapientissimè alloquitur in consolatione sua Boëthium philosophia, seu potius ipsa fortuna, quam introducit cum illo expostulantem: *Non habes ius querelæ tanquam tua prorsus perdideris. Quid ergo ingemiscis? nulla tibi à nobis illata est violentia. Opes, honores cæteraq; talium mei sunt Iuris. Dominam famulæ cognoscunt: mecum veniunt, me abeunte recedunt.* Et post aliqua sub eodem prosopopœiæ schemate: *Nos ad constantiam nostris moribus alienam inexpleta hominum cupiditas alligabit? Hæc nostra vis est. Rotam volubili orbe versamus, infima summis summa infimis mutare gaudemus. Adscende, si placet, sed eâ lege, ne vti, cùm ludicri mei*
223 *ratio poscet, descendere iniuriam putes.* Idem obtinet in reliquis, quibus variè subiecta est, omnium quorumcumq; hominum, nec ipsis Principibus Regibusque exceptis, conditio. Quid enim frequentius est in omnium gentium & regnorum historijs, quàm ipsorum etiam Monarcharum vel subditorum seditionibus, rebellionibus, defectionibus; vel externis vicinorum & æmulorum infestationibus, oppugnationibus, expulsionibus

mul-

multipliciter & miserrimè infestatorum: è quibus tamen nemo verè miser fuisse iure dici potest, qui incursantes istos asperos casus fortiter pertulit, qui animo non concidit, sed in quauis fortuna eundem vultum retinuit, & mentis constantiam conseruauit. Ex illorum numero fuisse non dubito tres illos, quorum de præsenti recordor (plures enim his fuerunt) Byzantini Imp. qui æquissimo animo violentis successoribus suis cesserunt, & à Cæsareo throno ad monasticæ vitæ quietem & tranquillitatem transiuerunt Michael Curopalates, Theodosius Atramythenus & Ioannes Cantacuzenus. Et quis neget illos multum sapuisse, qui tam placidam vitam amplecti, quàm vel vlteriores fortunæ vices experiri, & ciuilem sanguinem fundere, vel etiam tyrannico mucroni iugulum prœbere maluerunt? Est autem tam frequens istius ad Thracicum Bosphorum aulæ historia, tum malorum Principum, tum tragicorum successuum & exituum exemplis, vt meritò scribat * Iohann. Baptista Egnatius in suo de Romanis Princip. opere: *Piget planè, ac pariter me pudet tot portentis verius quàm principibus referendis immorari, nisi quòd præterquam, quod rei series ita exigit, nonnihil etiam huiusmodi homines vitæ prosunt, dum eorum exitu & deterrentur pessimi, & optimus quisq; ad virtutem honestumq; accenditur.* Nescio tamen, an vllibi in toto habitabilis terræ circuitu pluria & magis varia in ipsis Regibus alijsque reperiantur funestarum cladium documenta, quàm in vicina nobis magna Britannia, quæ sub primo Rege suo Iacobo meritissimè nomine isto vocari cœpit, & antiquitus, priusquam insulam esse constaret, ab orbe nostro * penitus diuisa esse putabatur, in cuius vtroque regno tam spissus exstitit rigidus hic fortunæ census, vt non tantùm in citeriori violentæ mortes in maximum excreuerint numerum, sed etiam in altero vix dimidia regum pars suo decesserit obitu, plerisq; vel hostium vel suorum manu mactatis. Superant autem, ne quid de reliquis dicam, omnem ferè fidem, quæ de Eduardi II. Angliæ Regis, deque Georgij Clarentiæ Ducis Regij fratris nece traduntur. Ecquis igitur sit priuatæ sortis homuncio, qui subire detrectet, quod videat ipsos in orbis regimine rerum summæ præpositos secum commune habere? quid enim attinet de exilio, de amicorum perfidia, de exuentis obedientiæ frœnum plebeculæ & insultantium procerum periurijs, de carcere, de equuleo & fidiculis similibusque addere, cùm nec ab ipsa morte, nec ea promiscuâ tantùm & vulgari sed etiam fœda & ignominiosa quisquam eximius sit? Quod olim Crœsus Lydorum Rex nonnisi exitio proximus & rogo iam impositus quantumuis primum serò admodum satis, tamen adhuc tempestiuè animaduertit, & commodâ Solonis recordatione præsentissimam necem declina-

*l. 2 in Niceph.

324

*Virg. Ecl. 1.

325

uit. Eiusdem viri mihi quoq; recordanti, libet hic obligatum supra fidem liberare, ac magnum illum Sapientem contra nostri temporis magnæ ce-
326 lebritatis auctorem defendere. Cùm igitur, vt suo loco vidimus, satis compertum habeatur, quæ fuerit Solonis de virtute sententiâ, non puto dubitandum esse, quæ Crœso Regi fortunâ suâ nimium inflato Solon respondit, non tam ex proprio isto sensu suo, quàm secundùm maioris partis hominum persuasionem locutum esse & intellecta voluisse. Quis enim ambigat apud occæcatum immensis prosperitatibus potentissimum illum Lydum omnem sapientiæ laudem decocturum, eiusq; loco opinionem ipsius stultitiæ incursurum fuisse, si in tanta rerum affluentia stolidi possessoris sensu beatissimum, negare conatus fuisset, felicem esse. Sufficere ergo & satiùs fore putauit, si fortunæ inconstantiam illi reuocaret in memoriam, & dubia futurorum exspectatione, Regium animum, vanissimâ imaginatione tumidum, infringeret in effectu hæc illi imprimens & inculcans: *quamuis de potentia & opum magnitudine tibi mirificè blandiaris, deest tamen, quod potissimum est, summus hic felicitati tuæ cumulus, quod an perpetua futura sit, nullisq; deinceps aduersæ fortunæ casibus infestari, vel etiam prorsus labefactari & euerti debeat, certus esse nequis. Caue igitur, nimium in illo fidere, quod in potestate tua non habes, sed iisdem leuitatis alis, quibus domum tuam intrauit,*
327 *quandocumq; libuerit, relicto te ad alios auolare potest.* [Ad rem reuertendo placet omnia huc facientia, quæ adhuc supersunt, breuiter comprehendere, & sequenti hoc compendio constricta exhibere, nihil esse in omni numerosissimarum aduersitatum & variorum fortunæ casuum vniuersitate, quod non in bonum vertatur, si eo quis rectè vti didicerit, & volubilitati istius inconstantissimæ Diuæ, seu potius æternæ prouidentiæ patienter se subdere, & in Diuina voluntate patienter acquiéscere nôrit. Hoc enim est illud non Abrahamicum tantùm, sed etiam Philosophicum, de quo diximus: DEVM SEQVI; cuius bene memores & piè obseruantes illi ipsi sunt, qui, vt sacer textus habet, de diuino numine humiliter & sapienter iudicant: *Omnia bene fecit*; quique secundùm veteris vatis oraculum:

Nec iactare iugum vitâ didicêre magistrâ.

In tam magnæ rei ac fortassis captum & conditionem meam excedentis paulò diligentiori perpensione, nisi omnia me fallunt, primarium & summum esse videtur, ne animi constantiam de statu suo deijciat, nimia contra humanam malignitatem indignatio, indeq; conceptum scandalum, quod subinde indignissima quæque ab illis pati cogamur, quæ ipsimet longè digniùs meruissent, & sustinere tenerentur. Illic enim non rarò locus est satis argutum non inscitæ apud Comicum Mulierculæ obiurgium: *etiamsi*

iam si ego digna hac contumeliâ sum maximè, at tu indignus, qui faceres tamen. Hoc enim qui probè attendit, interq; Deum & homines istiusmodi in casibus, quod vel inprimis pium & Christianum est, rectè distinguere non intermittit, tantò fortius, ni fallor, & lætiùs quæuis aduersa, etiamsi omnium grauissima sint, perferet, nec quæ indignis modis sibi impacta, immeritus sustinet, quasi ab hominibus profecta, sed tanquam ab ipsomet Deo immissa placidissimè concoquet. Nec malè agit, dummodo possit, tali circumuentus iniquitate generosus animus, si in ista, longè præ alijs excellentiori adeoque omnium eminentissima virtutum palæstra diuinum illum Platonem nostrum non tam imitari & exprimere, quàm vincere intendat. Is enim sub discessum è Sicilia & valedictionis tempus, ab anxio existimationis suæ iuniore Dionysio interpellatus, quasi Athenas reuersus subindè minùs honorificam in Academia sui mentionem facturus esset, salsè & iokulariter insulti hominis superuacuum timorem elusit, quando in hunc modum ipsi respondit: *putasné tantum nobis in schola nostra superesse temporis, vt tui meminisse possimus.* Ita igitur faciamus, abstrahamus ab hominibus malorum nostrorum memoriam, & sursum sint corda nostra, ne vel erga mortales impatientiâ, vel erga immortalem Deum 328
ingratitudine nostrâ fructum temporalis miseriæ, qui est æterni gaudij retributio, perdendo euacuemus, sed id potius agamus, vt, quæ hîc in lacrymis seminata sunt, illic in exultatione meti possint. Nec sunt vnius generis instrumenta, quibus subinde exercere & probare suos in more Deus habet, inter quæ non vltimo numerandi sunt loco, grauium scelerum, tum auctores, tum administri, quorum quousque & quâ ratione, vti soleat operâ mixta seueritate diuina clementia, vulgari apud Germanos nostros prouerbio fertur; apposito sanè illo, & varijs tristium experimentorum exemplis per omnia secula comprobato. Aduersùm illos autem, ne canum instar nos geramus, summoperè cauendum est, qui saxo vel baculo icti, obliti percussoris in ista iracundè & brutè desæuiunt. Apex hic est totius Christianæ Philosophiæ, nec per subrusticam incuriam ignauè transmittendus. & neglectui habendus. Nec enim nobilior vllus est, magisque magnanimus, quàm generosi pectoris cum nouercante fortuna & 329
peruersa malitia philosophicus conflictus, in quo patiendo magis quàm agendo vincitur, vbi oppressus inuicto animi robore, benèque sibi conscij pectoris iucunditate ex aduerso pugnantes terret & opprimit, vbi, qui succumbere videtur, plerumque superior est. Nec comminisci possumus efficacius eius generis ærumnarum solatium, quàm quod sequens continet dilemma, quo argumentationis genere vix aliud est in ista disputatrice

Philosophia efficacius, vt meritò inde cornuti syllogismi appellationem acceperit: Quæcumque nobis à Deo siue per homines, siue quocumque alio modo mala immittuntur, vel peccatis nostris promeruimus, vel immerentes patimur (hæc quomodo intelligi debeant, paulò pòst explicabitur) prius quoties verum est, maximè debentur diuinæ bonitati & clementiæ gratiæ, quod potius nos in hac vita *temporalibus pœnis benignè & misericorditer castiget, quàm æternæ flammæ, & nunquam finiendis cruciatibus reseruet. Si innocenter vel hominum iniurias, vel alias afflictiones sustinemus, debitæ eo nomine diuino numini gratiarum actiones duplicantur, quod & per gratiam suam à delictis nos præseruârit, & nos dignos censuerit, quorum virtutem per aduersorum immissionem exer-
330 ceret, & animi constantiam experiretur. Quadruplicatur autem, vel potius longè adhuc cumulatiùs augetur ista diuina gratia, quæque pro illa debetur gratitudinis nostræ obligatio, quando paternas illas admonitiones, & ad bonum nostrum immissa tribulationum flagella, non tantùm constanter & intrepidè, sed etiam lætabundè & hilariter, à benigna manu infinito amore nos prosequentis numinis recipimus, & placidissimâ libentiâ perpetimur. Huius generis solatiorum historiæ sanctorum Martyrum passim refertæ sunt, quorum exemplis in quibusuis aduersitatum differentijs, quantum per eius, sine quo nihil possumus, corroborationem, assistentiam & illuminationem conceditur, strenuè insistere summè
331 expedit, maximæque virtutis, nec minoris laudis exercitatio est. Quibus autem datum non est ad istum, quem attigi, malorum ferendorum gradum vti, pro aliquorum fortè captu, paulò sublimiorem conscendere, illis in inferioribus subsistere sufficere debet; satisque est, non valentibus cum animi lætitia & exultatione huius vitæ aduersitates & vel mentis, vel corporis cruciatus sustinere, vt ad minimum patienter, placidè & æquanimiter illos perferant. De hac differentia memini non vnius, si non querimoniam, saltem confessionem cognouisse, videnturque, vt in plerisque alijs, ita in hac etiam malorum calamitatum palæstra prorsus diuersa esse Dei dona, & variæ hominum complexiones, ita vt nonnulli siue naturæ instinctu, siue disciplinæ ductu magis ad Heracliticum, quàm Democriti-
332 cum philosophandi genium propendere & apti esse reperiantur. Memoratur enim à non vno veterum, Heraclito Ephesio mundanæ miseriæ considerationem continuas ferè lacrymas excussisse, vice versâ, lætioris ingenij Sapientem Democritum ineptias humanas perpetuo risu castigâsse. Vter certius non minus Poëtis, quàm ipsis Philosophis olim prœbuit disputationis & examinis materiam, prout apud Iuuenalem & Senecam videre

est.

eſt. Quamuis autem non mihi diſpliceat huius poſterioris amborum iſto- * de
rum ex Epheſo Philoſophorum morem improbantis iudicium: *alienis tor-* tr. an.
queri malis æternam miſeriam eſſe, alienis malis delectari voluptatem inhumanam;
præſtat tamen potius ad Democritum, quàm alterum propius accedere,
idq́; eo magis ad propoſitum facit, & præſenti argumento ſubſeruit, quòd
hic de prijs agamus malis, de alienis Seneca loquatur. In his enim vti hinc
inter flebiles Elegiæ ploratus inde inter ſatyricæ amarulentiæ morſus reli 335
quæq́; vanioris Poëſeos nihil non adeoq́; ipſos etiam aliorum dolores in
ludicri riſus materiam trahentis iuſto liberiores exceſſus mediâ viâ rectè in-
cedemus, ita in illis vix vlla animi hilaritas nimia videri poteſt; ad exem-
plum militis contra hoſtem, ſiue ad ſingulare certamen, ſiue in aciem pro-
cedentis, cuius tam ſuperbus inceſſus eſſe non poteſt, vt ipſum dedeceat,
nulla tam firma fiducia, tam præſens intrepidus & lætus contra pericula
omnia ipſamq́; mortem animus, vt iuſtam cuiusquam reprehenſionem in-
currat; quam etiam tubarum clangoribus & campeſtri, ſi ita vocare liceat,
celeuſmate, militaris diſciplinæ ratio vltrò excitare docuit. Huc prætera-
lia illa quoque nos vocant & inuitant, quæ ſupra * è ſacris biblijs de vero & * Po.
laudato gaudio, de pia exultatione & ſpirituali lætitia relata ſunt, quem ſa- 44.
luberrimum theologicæ, hoc eſt ſanioris, efficacioris & infallibilioris con-
ſolationis ſuccum qui ſalubriter inbiberit, eiusque ſuauitatem incorrupto
& intacto à malis humoribus ſtomacho peritè guſtando perceperit, re
ipsâ experietur plus eſſe in aduerſis quàm proſperis rebus ſolatiolæ dul-
cedinis, quâ perfuſi, qui ad inferiora deturbati ſunt, ex animo Deo ſuo
gratias agere permoueantur, ſuamque in putatitio infortunio felicitatem
agnoſcentes fateri non detrectent: Perieram, niſi perijſſem. Plura adhuc ſu-
perſunt, quæ ad prædictam ſecundùm Academicos & Peripateticos
malorum; ſecundùm Stoicos ad reiectorum claſſem pertinent, è quibus
cùm omnia referre longum nimis, fortè etiam tædioſum ſit, duo ſaltem
non præteribuntur, Senectus & Mors, quorum iſta non paucis moleſtiſſima
&, vt Tullius ait ipſa etiam Æthna grauior eſſe videtur, huius ſine hor-
rore & tremore aliqui vix meminiſſe poſſunt. Erga vtramque reliqua hu-
ius vitæ aduerſa diuerſimodæ & contrariæ ferè operationis ſunt, vt ſe-
nectutem, ſi in illam incidant moleſtiorem & calamitoſiorem; è conuerſo
mortem optabiliorem, ipſumque in fortunæ affluentioris delitijs iucun-
dantibus illætabile lethum acceptabile & gratum faciant. Sed in vtro-
que modus tenendus eſt, & vtraque, (quod etiam pleriſque alijs moleſtijs
magno vſui & certiſſimo remedio eſt, vſque adeò vt commune ſolatium
& alexipharmacum contra illa ſubminiſtret) tum fortiter & placidè immi-
nentia

nentia expectari, tum incumbentia perferri debent, quæ vitari nequeunt, sed ex lege naturæ eiusq; conditoris dispositione, quam fati necessitatem veteres vocauêre Philosophi, & nos quoque in pio sensu appellare possumus, subeunda sunt. Senectutem enim nemo vnquam nisi citeriori morte effugit, mortem nulla ætas declinare potest, vsque adeò, vt stultissimum sit ijs rebus angi, contra quas cura & consilium nec hilum proficiant, hocque vnum præstent, vt vel ante tempus miseri simus, vel ergaDeum ingrati (ad senectutem hoc peculiariter pertinet) si prolixiorum annorum compotes,
334 id grauiter & iniquè feramus, quod adolescentes & iuuenes optauimus; Imò etiam impij, qui diuina non noscamus dona & præmia, è quorum numero longæuitas est, hâc præ omnibus cæteris honorata prærogatiuâ, vt solius in sacro Decalogo ipsius Dei manu exarato honorificentissima mentio fiat, ac præter hoc vnicum nulla illic alia promittuntur rectè factis præmia. Quamuis igitur fatendum sit, non deesse senectuti incommoda sua, quæ Hieronymus Cardanus in suo de capienda ex aduersis vtilitate opere coaceruauit, & in eandem sententiam verè dictum sit à Poëta*:

Multa senem circumueniunt incommoda.

* Hor. in arte Poët.

Æquè tamen hoc quoque verum est, quod alius * ex eadem Apolinea sodalitate ait:

* Ou.

non omnia grandior ætas
Quæ fugiamus, habet seris velit vsus ab annis.

Nihil igitur habet, in quo senectutem accuset, qui veris omnia, vt æquum est, pretijs æstimat, qui semper, vt tenetur & summè expedit, præsentibus contentus est, qui naturæ legibus obtemperare didicit, qui Deo obsequi non dedignatur, qui in re qualibet virtuti suæ palæstram constituit, qui in honestarum actionum conscientia acquiescit, qui bonæ menti & amanti Deum animo ex ipsis etiam duris & ingratis lapidibus & suauius pabulum quàm ex ipsis delicijs & titillantis fortunæ blanditijs præparat, quàm possint vllæ esse gulæ & ventri deditorum, quantumuis delicatissimæ & exquisitissimæ cupediæ. Sed non attinet in communem hunc locum longiùs expatiari, quem in Catone suo Cicero tam eleganter & eloquenter pertractauit, vt vel millies relectus, sine vlla repetatur nausea & tædio omnemque, vt de se ipso affirmat, & legenti, & lectionem in memoria recolenti, omnem abstergat senectutis molestiam. Non igitur vel prædicto Cardano, vel nupero de Bono quantumuis egregio scriptori subscribere possum, quorum prior grauioris ætatis molestijs nimium tribuere, illisque tantum non omni ex parte fractus & oppressus fuisse videtur, eiusdemque cum illo sententiæ fuit memoratus in præcedentibus Iuuenalis

uenalis, posterior hîc extremam senectutem à beatitudine prorsus excludit, quo nil dici aut fingi potest contra venerandam canitiem indignius & iniuriosius; quæ quantò æternæ beatitudini, eiusque introitui (verissimè enim scripsit, qui vitæ ianuam mortem vocauit) vicinior est, tantò etiam felicior à sapienter iudicantibus, & Philosophiam neq; ad ostentationem, neque ad passionum suarum obtegumentum perniciosâ adulatione & dedecoro abusu deprauantibus haberi meretur. Fatendum quidem est in isto ætatis gradu constitutos tantò magis animi corporisque viribus deficere, quantò copiosior non annis tantùm, sed mensibus etiam & diebus numerus accedit, ex quo, quod suo loco iam fassus sum, hoc quoque sequitur, quòd non in eodem permaneant, quo ante id detrimentum fuerant, felicitatis suæ gradu, sed ex eo illos toto, vt habet adagium, statu deijci, & è beatorum cetu abigi, id etiam nunc constanter nego, eiusque approbationem, cuius contrarium verissimum esse scio, nullius vel eloquentia, vel doctrina, vel auctoritas vnquam mihi persuaserint, quantumuis eiusmodi capulari seni etiam in delirio & mentis alienatione, quod euentu rarum non est, moriendum sit. Libet enim, etiamsi vel taurologus ex eo censeri debeam, hîc repetere, quod supra dixi, satis illum in hac vita felicem fuisse, qui ita vixit & obijt, vt melioris post obitum vitæ beatitu- 346
dinem non perdiderit. Apex igitur, si in hac moralis Philosophiæ materia quicquam sapio, & capio, totius in præsenti vita felicitatis est, vt omnia illa, quæ vitari nequeunt, & vel ex naturæ præscripto, vel ex insultantis & nouercationem exercentis fortunæ ludibrio Deo permittente nobis imponuntur, placidè feramus, nec Pelion Ossæ superstruentes Giganteâ impietate theomachiam instituamus. Semel enim scire, semperque meminisse, nec vnquam obliuisci debemus, oportere nos, dum in hoc mundo peregrinamur, datusque nobis ex alto spiritus, mortali corporis sarcina premitur & hebetatur, eo, quem contingere & assequi possumus, felicitatis modo contentos esse, satisque hîc beatum esse, qui vt quàm minimè 347
miser sit, si non consecutus est, saltem quàm potuit, operam dedit. Ad huius rei planiorem explicationem non prætereundum illud, quod ante hoc temporis re ita ferente sic vocaui, quoq; sæpius me pariter oblectaui & consolatus sum, veræ sapientiæ siue artis viuendi trifolium, quod in hisce sequentibus, vt mihi quidem, saluo aliorum iudicio videtur, consistit: Innocentia, Prudentia, et Patientia. Ex hisce prima complectitur illum virtutum exercitum, quem supra in aciem redactum in campum deduxi; Duæ sequentes sacri illius & inuincibilis agminis, eodem in 348
loco à me datos, ducem & tergiductorem exhibent. Patientiam enim

quadratæ iſtius ſanctioris phalangis ſiue partem, ſiue ſpeciem eſſe nemo
neſcit. Sequens igitur, in quo me falſum eſſe nunquam perſuadebor, rectè
349 ac ſapienter viuendi artificioſiſſima methodus eſt, vt vitæ innocenter &
inculpatè conſtanti tenore, tum conſcientiæ noſtræ coram vindice malè
geſtorum æterno numine conſulamus, tum ſecuritatis noſtræ contra im-
minentia ab hominibus pericula curam habeamus. Ad hæc ardua & in
omni hominum vita longè præcipua paucis autem conceſſa & ſupremum
humanæ in hac mortalitate felicitatis faſtigium comprehendentia, cui
conſcendere non datur, illi ſupereſt, & operam dare conuenit, vt
prudenter emendet, quod innocenter effugere non potuit obſtantibus
ipſi vel vitiorum incurſu ſuo, vel virtutum odio & perſecutione alienâ.
Duplici enim modo hac in parte diſcrimini expoſiti ſumus, dum vel trans-
grediendo Dei pariter & hominum iuſtam animaduerſionem contra nos
prouocamus, vel rectè faciendo virtutum oſoribus, ac inprimis tyranni-
câ impotentiâ graſſantibus & impiæ tyrannidis ſceleratis adminiſtris ad
exercendas & exerendas contra nos improbitatem & immanitatum ſu-
arum virulentias fomitem & materiam ſubminiſtramus. In priori caſu
non prudentiæ minus quàm pietatis fuerit (nec enim vel ipſam erga Deum
pietatem à veræ & ſolidæ prudentiæ regimine rectè quis exemerit) per
veram & ſeriam pœnitentiam cœleſtis gratiæ incurſum diſpendium re-
ſtaurare, Deoque reconciliari, multisque non infeliciter ceſſit eiusdem
virtutis ope etiam apud homines eluctari & aduerſorum nubila in exper-
tem periculis ſerenitatem reducere. Alter propoſitorum caſuum ad ſolos
homines pertinet, nec ad hanc tantùm prudentiæ, ſed ſubſequentem et-
350 iam, quæ eius ſubſidiaria eſt, patientiæ virtutem pertinet. Illius clypeo ſe
tutos præſtiterunt, quos in vita Iulij Agricolæ etiam ſub malis Principi-
bus Tacitus commemorat, vitatis *deformis obſequij & abruptæ contumaciæ*
extremis tutam transegiſſe vitam; quam laudem iſti etiam ſocero ſuo
tribuit. Ne autem profanis huius generis exemplis commemorandis,
quæ plurima ſanè ſuppetunt, prolixus ſim, ipſimet etiam Apoſtoli hâc ra-
tione præſentiſſimis mortis periculis ſœpiùs ſe expediuerunt, tum ex ſpe-
ciali Magiſtri ſui præcepto *fugiendo de vna ciuitate in aliam*, tum diuerſis a-
lijs modis, doctæ ab eodem & mandatæ ſibi prudentiæ conformibus; cu-
ius generis S. Pauli exemplum duplex ſpeciminis loco in medium afferam.
Reuerſus enim poſt prædicatum gentibus Euangelium Hieroſolymam,
cùm Iudæorum efferata rabies præſentiſſimam ipſi necem intentaret, com-
miſſis inuicem Phariſæis & Saducæis imminenti periculo ſe ſubduxit, &
inſtitutâ breui pòſt ad Cæſarem appellatione, plurium adhuc annorum

vitam lucrifecit. Supereſt è trifolio noſtro in omnibus aduerſis refugium, 351
extremum præſidium, & verè ſacra in hoc tempeſtuoſo aduerſitatum &
calamitatum pelago anchora PATIENTIA, ſine qua in amore Dei & ſan-
ctiſſimis placitis eius firmiter & ſolidè fundata, nec præmemorati Apo-
ſtoli, nec reliqui ſancti Martyres tormentorum cruciatus ipſamque igno-
miniosiſſimam mortem dignè & meritoriè ſuſtinere potuiſſent. De huius
tum laude, tum neceſſitate à pluribus ſacræ diſciplinæ auctoribus admo-
dum egregia & ſalutaria tradita accepimus, ad quos lectorem remitto, v-
num hoc dixiſſe contentus, felicem illum imò beatiſſimum eſſe, qui ſub in-
cude tribulationum conſtitutus illius memor ſit, & rebus ſuis probè & pe-
ritè applicet. Quantoperè enim huius aduerſitatum omnium vniuerſalis 352
emplaſtri, tum obliuio, tum contemptus non ad temporis tantùm, ſed ipſi-
us etiam æternitatis felicitatem perdendam obfuerit, non attinet triſti-
bus & funeſtis exemplis, quorum omnia plena ſunt, probatum facere:
nec vllibi maiori nocumento & prauiori flagitio illius obliuiſcimur,
quàm quoties ab omnipotenti manu nobis immiſſis per impiam iugi ia-
ctationem obluctamur; quò pertinent, quæ de ſenectute dicta ſunt, &
de morte dicenda ſuperſunt. Hæc igitur ſub trifolij nomine contra a- 353
nimi, corporis, & fortunæ aduerſa omnia educta in campum tripartita
virtutum acies veterem Romanæ militiæ diſciplinam & ordinem repræ-
ſentare videtur, apud illos enim in Principes Haſtatos & Triarios legi-
onum & cohortium exercitus diſtribuebatur, hâc ratione vt præliandi
initium à principibus fieret, iſtis quoties opus eſſet, haſtati ſuccederent,
& hoſtilem impetum, cui ſuſtinendo primi impares fuiſſent, nouis viri-
bus & redintegrato prælio propulſarent; quod ſi nec his ex voto res ſuc-
cederet, tandem ad triarios, qui extremam manum conſtituebant, ideo-
que pridem prouerbio ab illis ducto datus locus eſt, in vltimum diſcrimen
conflictus deducebatur. Huc etiam facit vaferrimi illius veteris Laconis
Lyſandri acutiſſimum pariter ac ſapientiſſimum dictum: *vbi leonina pellis* 354
non ſufficit vulpinam aſſumendam eſſe. Liquet autem ex prædictis has duas
non ſufficere, ſed illis tertiam deeſſe, ſiue ouillam, ſiue aſininam illam voca-
re libeat, vtrumque enim illud tam lanigerum quàm pandum animal pati-
entiæ ſymbolum eſt; ac quis putet huius poſterioris torporem & igna-
uiam, humanæ excellentiæ non ſatis conuenientem, illaque hanc indi-
gnam eſſe, illi per me licet in biblica allegoria, quam nec ego repudio de
oue ad mactandum ducta acquieſcere; Ab illo, qui Sileni vectoris ex-
uuias non aſpernabitur, reliquam, ſi ita loqui liceat, aſinitatem facilè pro-
pulſabit ſuperioris ſeculi non infelix Poëta, cuius hoc elegans ad rem
hanc noſtram faciens diſtichum eſt:

Sint asini, quoscunque asinos sors aspera fecit.
Qui placidè sortem ferre scit, ille sapit.

Hæc igitur verè sacra est in huius seculi procelloso salo, contra quasuis procellas, ac ipsosmet decumanos fluctus anchora, hoc præsentissimum est, omnium ægritudinum & dolorum alexipharmacum est omnium malorum Nepenthes, est tam contra omnes asperioris fortunæ insultus quàm aduersùs ipsius etiam naturæ ineuitabiles ictus, impenetrabilis Clypeus, quo si alibi vsquam certè in fortiter ferendis senectutis & multinumeris incommodis ac placidè intrepideque tum expectandâ, tum subeundâ morte summè & maximè nobis opus est. Hæc igitur vltima rerum linea illa ipsa est, quæ apud plerosque non tantùm senectutem antiquitus hodiéque multos infamauit, sed ipsam quoque vitam non paucis horridam & inuisam facit, quorum stolidis ineptijs nec vlli rei, præterquam ad ineuitabilis sortis aggrauationem, tantoque dolorosiorem sensum seruienti metu & tremore tandem effectum est, vt ex ipsismet etiam sapientiam professis diuersi seducti, & phantasticis apprehensionibus expugnati, ad stultitiæ castra transiêrint. Hæc enim eadem mors illa ipsa est, quam etiam Philosophorum nonnulli ad malorum classem relegant ipso voluptuoso, qualem calumnijs suis illum fingunt, Epicuro longè viliores; quod profanum vulgus, si non & odisse saltem à sacratioribus veræ Philosophiæ adytis arcere & excludere tenemur. Quo enim colore id malum esse dicatur, quod non tantùm omnibus nos mundanis malis expedit, liberosque præstat, sed etiam ad æternam incomprehensibilium bonorum fruitionem nos transfert, quæ tanta & tam exquisita sunt, vt gentium doctore teste, ante quem idem affirmauerat Nobilissimus & eloquentissimus
* c. 46. Prophetarum Esaias * nec oculus illa viderit, nec auris audiêrit, nec in cor hominis ascenderint. Verè igitur affirmare possumus indignum esse, qui vnquam natus sit, quisquis libens mori, id est, Deo obsequi, naturæ legi satisfacere, caduca æternis, terrena cœlestibus commutare detrectat & auersatur. In quam eandem ferè sententiam Lucius Seneca de Animi tranquillitate tractans, *tanquam auctoritatem habens*, loquitur, ac vt peritissimus iudex de sapientiæ quasi tribunali pronunciat; *qui mortem timebit, nihil vnquam pro homine viuus faciet.* Et iterum : *Malè viuet, quisquis nesciet bene mori.* Plena sunt huius Stoicorum omnium Principis scripta eiusdem generis dictis vere aureis, quorum veritatem præclaro exitu, si sectam eius & gentilitiam profanitatem cogitemus, postmodum confirmans obsignauit. Hæc est verè & summè necessaria è Platonis sanctione Philosophia, qui Philosophi vitam continuam esse mortis meditationem definiunt,

omnis

omnis veræ sapientiæ eminentissima summitas, ad quam cuicunque diuino ductu eniti & pertingere concessum est, illum humanis omnibus superiorem esse certum est. Quid enim ille timere possit, qui iam pessundedit, pedibusque calcat & proterit; quod terribilium omnium terribilissimum esse non vulgari tantùm persuasione putatur, sed naturæ etiam inclinatione & ipsorum sensuum testimonio animaduertitur, qui tamen animi firmitate, virtutum ope & infallibili meliorum spe superandi sunt.
In hac igitur de senecta ad clausulam eius transitione, non intermiserim 355
meminisse, hoc ad vtramque pertinens, nec minùs ad senectutis solatium, quàm mortis commendationem faciens salutare multisque profuturum monitum; nullis oportere esse optabiliorem, adeòq; plurimum etiam iucunditatis continentem mortem, quàm ipsis depontanis & decrepitis senibus, longæuitatem, & numerosiores annos suos molestè, iniquè & impatienter ferentibus. Huius autem generis & olim fuerunt (de Liuio Salinatore id affirmat Cicero, nec deest apud alios eorundem copiositas) ac etiam nunc supersunt, vt verendum non sit otiosè hæc & infructuosè attingi. Isto enim vitiosissimo animi morbo laborantibus non opus est vel Hegesia, vel quocumque alio Pisithanato, sed sponte suâ ad hunc optatissimum miseriarum & calamitatum omnium, in hac curis exercita doloribus corporis exposita, varijsque afflicti animi ægritudinibus obnoxia & pressa mortalitate portum, voto confugiunt; & in tali statu constitutorum intellectui non tantùm rectè exponit, sed etiam dulce facit, quod aliàs delicijs affluentium plerique nec capere, nec probare possunt, hoc sequens sublimioris sapientiæ effatum : optimum vitæ bonum mortem esse. Huc facit duplex illud sacræ paginæ apud Syracidem * exclamatorium Epiphonema : *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis*, &c. *O mors, bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus*, &c. Pertinet etiam ab altera saltem parte hoc Boëthij, miseriam suam tum deplorantis, tum consolantis distichon:

* Eccl. c. 41.

Mors hominum felix quæ nec se dulcibus annis
Inserit, & mœstis sæpe vocata venit.

Quanquam, quod raptim quasi in transcursu meminisse liceat, non vsque 356
adeò certum, sed adhuc dubiæ & magnæ ex intima Philosophia petitæ quæstionis sit, an felicius quis moriatur rebus prosperis durantibus aut finitis? Nec enim displicet mihi, illud quotidianâ meditatione ruminari dignum è Nasoniana Metamorphosi : *timidi est optare necem*; quantòque magis longiusque perpendo, eò pulchriora & sapidiora iudico, quæ in eandem sententiam suo loco * iam retuli. Satius igitur censeo in Philo-

* p. 41.

sophica veræ felicitatis & infallibilis veritatis schola ipsius nuclei & me-
dullæ loco habeo, & summè felicibus & extremè afflictis & reliquis o-
mnibus illis vtribusque interiectis, quorum maxima pars est, medioximis
vitæ clausulam ad minimum inter indifferentia referendam esse, vt si
357 mortem amare & optare nequeant, saltem timere, auersari, odisse & hor-
rere abstineant. Perplacet igitur mihi, & iugiter menti meæ obuersatur
nobilis illa & generosa Ciceronis exclamatio: *O miserum senem, qui mor-
tem contemnendam esse in tam longa ætate non viderit*; apprimè etiam probo
illud inæstimabile felicioris genituræ beneficium, quo vicinos nobis Gru-
dios & Taxandros à communi genitorum omnium almâ parente naturâ
donatos esse publicâ accolarum confessione constat, hilaremque popu-
lariter senectutem agere, licèt ab aliud agentibus, ioculariter celebrantur,
358 apud quos etiam, vti Genij mei homines, si vt in exilio moriar, fata iu-
beant, dies meos finire aueam. Qui ita nati non sunt, illorum muneris &
officij est, vt, quod à genitura & benigniori cœlestium ignium influxu
consecuti non sunt, id artis, disciplinæ & culturæ beneficio adipiscantur,
quandoquidem in eo vel præcipua pars, vel certè è primarijs, non postre-
ma earum rerum consistit, quibus perficitur *incoctum generoso pectus honesto*,
huiusque sapientis conditura apparatu sacratioris Sophiæ candidati mi-
nimè rudi & nequaquam hebeti palato sed sapidissimo gustu percipiunt
istius veræ beatitudinis sublimiorem excellentiam, quam supra ex Bilbili-
tano vate referebam: SVMMVM NEC METVERE, NEC OPTARE DIEM. Ni-
359 hil enim indignius & illorum professioni aduersius sit, quàm si illius spiri-
* p. 44. tualis gaudij & cœlestis consolationis, de qua suo loco* diximus, ope cuius
nunquam per omnem vitam in quibuscumque & quantislibet aduersita-
tum & ærumnarum procellosis flatibus obliuiscendum est, in ipso extre-
mo mundanæ fabulæ actu, quo tempore vel maximè illius opus est, nos
destitui sustineamus. Hâc enim præposterâ vitæ rectè agendæ & finiendæ
methodo ignauos & vecordes milites stultissimâ & inertissimâ imitatio-
ne, quod ab omnibus Christianis pectoribus longissimè sequestratum es-
se conuenit, sequamur, qui ante congressum & hoste necdum conspecto a-
nimosi indomiti & feroces, in ipso conflictu animis concidunt, omnisque
prior venditatus & ostentatus ardor nonnisi fumus est, miserèque flacce-
360 scit & euanescit. Ad prædictam virtutum trimembrem gradationem,
non fortuita tantùm, sed etiam ipsa naturalia, tam animi, quàm cor-
poris, pertinent; qua de re cùm in præcedentibus de primogenijs agere-
tur, aliqua ex parte iam dictum est, in quibus idem ordo, qui in illis, ob-
seruandus est. Cui igitur naturæ, seu potius auctoris & rectoris eius Dei

Opt.

Opt. Max. fauentiori beneficio, tum corporis valetudo, decor & vires, tum animi dotes, quarum triadem intellectu, voluntate siue bonâ indole & animi fortitudine constantem, suo loco expendimus, concessa sunt, & in excellentiori gradu obtigerunt, habet, de quo munifico illi bonorum omnium datori debitissimas gratias agat, illisque benè vti studeat; si vicissim in vno vel altero *rerum magna parens* nouercam potiùs quàm matrem egerit, superest, vt, quæ natura negauit, quàm scitè id fieri potest, in melius prudenter emendet; hoc quoque si minus dextrè procedat, & tum Ouidianum illud:

Interdum doctâ plus valet arte malum;

ac alterum hoc alterius poëtæ * præualeant. * Hor.

Naturam expellas furcâ, tamen vsq; recurrit.

Nihil hîc etiam aliud restat, quàm ad sacram patientiæ anchoram, & in illorum, quæ emendari nequeunt, æquanimi sufferentiâ humiliter & gratanter conquiescere. De morte igitur contemnenda, fortique ac lætabundo animo subeunda, cùm & olim & nuper diuersi ijque insignes au- 361 ctores, & præclarissima scripserint ingenia, sufficit ad illorum consecrata æternitati hac de re monumenta lectorem remittere; nec enim hoc maioris momenti & grauioris ponderis negotium, pro dignitate in arctioribus hisce tenuioris opellæ spatijs pertractari & expediri potest. Tractat hoc argumentum toto Tusculanarum primo libro Cicero, qui idem in Catone quoque paucisquidem, sed admodum egregijs & neruosis de eodem agit, & pridem ante illum idem præstiterat in Phædone suo Plato, multique veterum Philosophorum alij, quorum tamen ad nos scripta non peruenerunt. Quidni enim hoc potissimum egerint, cùm idem Plato idoneus, si quis ex gentilitate alius & viuendi & docendi auctor, vitam Philosophi continuam mortis meditationem esse dixerit. Cyrenensis Hegesiæ huius generis orationes, quas non paucas fuisse necesse est, an in sola vocalitate constiterint, vel præterea siue omnes, siue aliquæ etiam conscriptæ ad memoriam posteritatis fuerint, non memini me alicubi reperisse; vt videri possit non disserendi tantùm, sed scribendi etiam de hac mortis materia silentium ipsi impositum fuisse. Apud Latinos L. Seneca etsi ex professo hoc argumentum tractâsse non memoretur, passim tamen tum Lucilianis epistolis, tum operum suorum alijs, ac inprimis ad Martiam & Polybium consolationibus mortis metum lectoribus suis eximit, & eiusdem contemptum insinuat; qui cùm & reliqua moralis philosophiæ salutaria dogmata non minus doctè & probè quàm eloquenter executus sit, ac inprimis (quod nec ipsemet Quintilianus, quamuis huius inter latinos Philoso-

losophorum principis laudes non nimis liberaliter prosequatur, negare potuit) *egregius vitiorum insectator* fuerit, non admirationis tantùm; sed etiam indignationis præbere causam possit, quod Hieronymus Cardanus in suis aliàs non contemnendis, *de capienda ex aduersis vtilitate* * libris tam viliter & abiectè de tanti nominis heroë, prout facit pronuntiet, ideoq; minimè probari posse videtur Iustum Lipsium, cui Senecæ Manes propter vitam non minùs quàm scripta defensam plurimum debent, vbi contra Quintilianum, Gellium, aliosque causam eius satis dextrè & feliciter agit, Cardanicæ mordacitati pepercisse. Per me quidem non huic tantùm, sed & cuilibet alij Ciceronem Senecæ (inter illos enim odiosissimam ante thesin instituit) ipsam etiam Philosophiam quod attinet, præferre integrum & licitum est; nec tamen video, quid ad laudes Tullianas faciat, si præ illo alter hic immeritis conuicijs proscindatur, ac tantùm non lutulentis obteratur & conculcetur pedibus. Ipsa auctoris verba referre non abstineo, ne quis putet ipsi iniuriam à me fieri. *Testimonium Ciceronis libenter affero, Senecã refugio, hic enim virtutem laudat, vitiosè viuit. Stoicum se profitetur, Epicurum amplectitur, eruditus vult videri, naturalesq; quæstiones tam temerè quàm insultè scribere ausus est, eruditionem non vno loco, & scientiam rerum detestatur, in ipsos eruditos malignè inuehitur, deniq; in ea quam vnicè profitebatur eloquentia nec casus* (forte catus aut castus legendum) *nec eruditus, nec felix, impietatis & mortalitatis animorum auctor egregius. At Cicero culmen eloquentiæ.* Redit deinde ad Senecam. *At ille fœnere impudico (locupletatus) tyranni que spolijs. Sed vereor, ne si manes Ciceronis nunc hæc audiant, indignius ferant, se tam nefario homini comparari, quam gaudeant his laudibus nostris*, quæ illius gloriâ ac virtute factisque longè sunt inferiores. Explosionem meretur tam probrosum quantumuis docti viri de doctissimo pariter, & virtuosissimo iudicium; ideoq; siue datâ siue quæsitâ occasione à proteruis istis & mendacibus maledictis innocentissimum virum tueri constitui, hoc loco sola contradictio satis sit. Nec enim quicquam indignius est, quàm hunc & doctrinæ excellentiâ, & vitæ integritate, & mortis constantiâ summum virum tam indignis modis ab homine tractari, qui de seipso publicè testari non erubuit, *se mortis metu adeò torqueri, vt nil aliud magis molestum sit, & cùm recordetur se moriturum, nihil non solùm tam suaue esse aut triste, cuius non obliuiscatur, sed animo etiam linquatur. Nactus enim,* ita pergit, *cor frigidum atque humidum, imò leporinum, mortis cogitatione solâ deficio.* Et audet ibidem, homo ineptè & iniuriosè suspicax, istam scabiem suam alijs etiam affricare, & omnibus fere communem & vniuersalem facere; dum istum pauidissimi animalis, nec in timidiore muliercula aliqua feren-

362

* l. 2. c. 11.

ferendum timorem ſuum illis affingere non abſtinet, ita ſcribens : *Suſpicor in alijs fermè idem contingere, verùm plerique dißimulant.* Longè abſit, vt id in plerisque verum ſit; abſit etiam ab illis, quibus ea in parte diſſimulatione verè opus eſt, iſtius animi ſui morbi pudendâ confeſſione exiſtimationem ſuam proſtituant, ſemetque ipſos potius infament, quàm cauto & prudente obtegumento ſibi parcant, eaque ratione cuiquam per mali exempli exhibitionem nocumento ſint. Quid enim turpius eſſe poſſit viro Philoſopho, & in diuino iſto ſtudio non varietatem tantùm, ſed etiam ſubtilitatem editis præclariſſimis & immortalibus voluminibus profeſſo, quàm hæc ſequens confeſſio eius : *Atq; cùm in omnibus alijs aduerſis Philoſophiæ præceptis non parum profecerim, in hoc vno (verè enim fateri volo) nihil fermè auxilij inueni.* Apage tam pudendam & ſtupidam indocilitatem, ab omnium ſapientiæ ſtudioſorum, & ſanctiores Muſas colentium pectoribus : longè alius præ hoc plus quàm effœminato Inſubre, penitusque virilis animi in hac principe humanorum certaminum palæſtra, nunquam ſine honore memorandus hic Cordubenſis noſter athleta fuit. Quantus enim absque vlla vel ſimulatione vel diſſimulatione omnique ex parte intrepidus, vt reliquorum omnium fortunæ caſuum, ita mortis etiam contemptor fuerit, non tantùm perennaturo ad omnem poſteritatem ſapientiſſimo calamo ſuo, ſed morum etiam conſtantia, & inculpatæ vitæ per aduerſa & proſpera æquabili & indeflexo curſu, inprimis autem, Corſicani exilij ſui placidiſſimè lata iniuria, & Neroniani id eſt, Tyrannici ideoque ſuſpectiſſimi & quotidianis obnoxij periculis contubernij inſuaui & grauiſſima ſarcina, ſed multò magis in ipſa morte oſtendit. Atque vtinam Tacitus noſter, qui vt omnia ſua, ita hanc quoque mortis Senecæ hiſtoriam pari grauitate & elegantiâ deſcripſit, memorabilia & morituri, & morientis dicta ac apophthegmata eius poſteritati non inuidiſſet, quæ vt illo tempore euulgata & publicè notiſſima referre ſuperſedit, hacq; taciturnitate eius illa interiêrunt. Atq; hoc exemplo admoneri poſſunt, qui hiſtorias, quæ ad poſteritatem potiſſimum pertinent, conſcribunt, ne putent, ſcriptionis ſuæ tempore promiſcuè quibusuis propalata etiam lectoribus ſuis poſt ſeculorum lapſum, quantumuis tacentibus ſe, æquè nota fore. Sed ſatis de Seneca; è poſterioribus contra mortis horrorem 363
præclara ſubminiſtrat documenta in ſuis vtriusque fortunæ remedijs Franciſcus Petrarcha, non minùs ſaluberrimis ex intima petitis ſapientia monitis & doctrinâ refertiſſimis, quàm ſummâ eloquentiâ quantumuis necdum ſatis facundo ſeculo conſcriptis. Noſtrâ memoriâ maximi nominis Philologus & Poëta Daniel Heinſius Flander Academiæ Lug-

dunensis in Batauis professor quinque de mortis contemptu heroico carmine exaratis libris ad affinem suum scripsit Ianum Rudgersium in consolationem conclamatæ valetudinis eius, quæ instantis & breui pòst secuti obitus non fallax prodromus fuit, non lectione tantùm, sed etiam admiratione & applausu dignissimis. Nec placet iam reliquam & omnem frigidæ mortis bibliotheeam excutere, in qua vel inprimis Theologi nostri excellunt, ac tantùm non regnant, quorum in moribundorum gratiam maximo numero conscriptæ consolationes & instructiones, in transitoriorum despicientia, & mortis horroris exemptione præcipuè occupantur, & ad æternorum desiderium, & cœlestis Hierosolymæ portas planum & expeditum iter patefaciunt; maior tamen & copiosior inde fructus percipitur, & ad ægros promanat; si, cùm adhuc valentes & sani sunt, hæc piè monita versauerint, & sanctè moriendi studium non ad ipsum vsque mortis limen distulerint. Moriendi enim ars, ipsius rectè viuendi disciplinæ prima & potissima pars est, & verissimus est vernalis apud nos ea de re rythmus, in sequentem modum à nescio quo Latinè redditus:

Antè obitum moriens non moriturus obit.

364 Priusquam Libitinæ regiam relinquamus, non aliena, à proposito quæstio hoc loco fuerit, an conueniat, & naturæ pariter aliæque leges permittant, mortem, quam vtriusque generis philosophia nos contemnere docet, spontè appetere, nobisque ipsis violentâ manu conciliare. Hæc in præcedentibus, cùm de Pythagoricis & Stoicis deque Cyreneo Pisithanato Hegesia ageretur, attingenda fuit, nec nocebit illic dictis hîc pauca adiecisse. Est enim non incelebris nec infrequens occasionibus ita in facto ferentibus de eiusmodi mortis genere quæstio, ad cuius examinationem planiorem viam quæ sternant, partim ex Philosophia, partim ex Theologia peti possunt. Illam quod attinet naturæ benignitas, seu diuina potius prouidentia, vti animantium communitati in vniuersum, ita humano etiam generi optimè consuluit, quod vitæ amorem ipsi indidit, & congenitum esse voluit. Sine illo enim generis conseruatio, & perpetuitas consistere non poterat; vicissim morum sapientia, vt vidimus, rectè & piè nos instruit, quoties supremo numini ita visum est, & vniuersali necessitati siue ex naturæ resolutione, siue præuenientibus illam, qui multiplices sanè sunt fortuitis & violentis casibus obtemperare oportet, vt libentes impauidi, & gratias agentes, fatum excipiamus. Præstat enim nos volentes potius duci, quàm nolentes trahi, & malus [illegible]les est, vt Seneca ait, quid Imperatorem suum gemens sequitur. Istis iunctim consideratis & iustâ trutinâ vtrimque expensis, concludi & dici debet, tunc

demum

demum ac non prius viuendi voluntatem nostram cessare oportere, quando diuina voluntas illi renunciare iubeat, & ad meliora transeundi, tempus aduenerit. Istis præsuppositis certis claret, & consequens est, non probabilem tantùm, sed etiam probatissimam fuisse veterum Pythagoricorum de vita hominis non in propria, sed Dei consistente potestate sententiam, ac propterea non priuata sponte sed superno iussu abrumpenda. Quoties igitur, quid de illorum corporibus faciendum sit, qui proprijs manibus sibi necem consciuerunt, quæstio incidit, ad ea, quæ dicta sunt, respectus habendus est, ita tamen, vt ad sequentia, quæ partim fidem nostram, partim Iustitiæ viam, & politicam potestatem concernunt, itidem attendantur, & in æquam cum præcedentibus considerationem veniant. Primò igitur sciendum est secundùm Christianæ fidei principia hoc mortis genus non tantùm vetitum esse, sed etiam æternæ damnationis pœnam mereri. Est enim vnanimis Theologorum sententia, hoc transgressionis genus sub Decalogi præcepto, *non occides*, contineri. Secundò, quando constat sanæ mentis fuisse, qui propriæ necis ipsemet sibi auctor fuit de eius corpore magistratus auctoritate post ipsa etiam fata & vitæ sensum supplicium sumi posse. Ac ad minimum Ecclesiastica sepultura interdicendum esse. Præcipua autem difficultas & maximum huius rei dubium in hoc situm est, an, qui tali exitu vitâ abijt, in dubio censendus sit, sanæ vel motæ mentis fuisse. Posterioris generis nec temporaliter, nec aliter puniendi veniunt, eò quòd peccare & pænam promereri non possit, qui intellectu destituitur. Istam rem si probè examinare & peritè definire volumus, vix aliud videtur dici posse, quàm quotiescunque de certa malitia & deliberato rationis vsum habentis proposito non constat, vix aliter censendum & statuendum esse, quàm vel furore, vel vehementiori & inuincibili animi mœrore superatum fuisse, qui vitæ suæ vim fecit, sibique ipsi sæuas manus intulit. Quis enim negare velit malitiæ & peruersæ intentionis suspicionem in hoc casu ordinariè cessare, eò quòd nemo præsumatur se ipsum odisse, sibique nocere, & dolores inferre velle. Quamuis enim in tot ac tam grauibus præsentis vitæ incommodis lucis & spiritus tædium multis subeat, rarissimè tamen inuentum est, vt absque accedente intellectus læsione spontaneam mortis subitionem quis eligat. Nec videtur hac in parte minor melancholiæ quàm furoris excusatio, cuius violenti paroxismi licèt cum altero isto aliquanto mitiori malo in comparationem non veniant; non vereor tamen affirmare melancholicarum impressionum & apprehensionum inexpugnabilem, quæ de facto sæpissimè accidit, vehementiam, ipsis etiam freneticis con-

uulsionibus subinde, si non perniciosiorem saltem æq; noxiam ac indeclinabilem esse. Sed vt tam frenesis quàm melancholia absint, quid de illis animi motibus dicemus, quos primò primos Philosophi vocant, à quibus nec illi, qui mentis compotes sunt, liberi & immunes habentur. Hos motus in hominis potestate non esse inter Philosophos conuenit, ex quo consequens esse videtur, quòd nec punitioni subiecti sint, maximè cùm tertij alicuius læsio ab hoc casu absit, nec de conscientiæ tribunali, de quo Theologi viderint, nobis hic sermo sit. Sed hanc maioris indaginis rem, de qua certi aliquid, nil temere definiuerim, in medio relinquere, & propius non contingere, sine dubio satius fuerit; præcedentia autem regulariter, ni fallor, ita se habent, possunt autem incidere casus, quibus exceptioni locus sit, eò quòd è Platonis sententia, quam hac in parte iura & Doctores forique praxis sequuntur, non vna sit pœnæ deliquentibus infligendæ causa. Hic enim in Gorgia suo duplicem illam constituit, cui tertiam addidit commentator eius Caluisius Taurus Atheniensis Philosophus, quam vt huic non facientem prætermitto. Præter igitur principalem & generalissimam delicta coërcendi rationem, quæ ipsius delinquentis personam respicit, & à Platone τιμωρία nominatur, hæc altera accedit, quam παραδιγμα Græci vocant, cùm punitio propter exemplum necessaria est, vt cæteri similibus à peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, interminatæ pœnæ metu congruo deterreantur. Talis consideratio quoties præsentem casum intrat, reipublicæ interest etiam in mortuorum cadaueribus animaduersiones non intermitti, extra quem casum in hoc regulariter impunibili mortis genere (in priori enim per consequentiam, & per indirectum saltem aliter se res habet) Magistratu politico & Iudicibus Criminalibus non competit de Ecclesiastica sepultura cogni-

* l. 15 tio. Libet vno atque altero exemplo prædictam illam vocatam ad EXEM-

c. 10. 365 PLVM punitionem illustrare. Refert in noctibus Atticis suis * Gellius de virginibus Milesijs illas *sine vlla euidenti causa* quodam tempore, annus enim non additur, *repentè voluntatem cæpisse obeundæ mortis, ac deinde plurimas vitam suspendio amisisse. Id cùm accideret indies crebrius, neq; animis earum mori perseuerantium medicina adhiberi quiret, decreuisse Milesius vt virgines, quæ corporibus suspensis demortuæ forent, vt eæ omnes nudæ cum eodem laqueo, quo essent præuinctæ efferrentur. Post id decretum virgines voluntariam mortem non petijsse, pudore solo deterritas tam inhonesti funeris.* Sumpsisse se illam narrationem, addit è Plutarchi de anima librorum 1. qui ex illis sunt, qui periêrunt. Simile exemplum apud * Plinium de Cloacis habemus Romano-

* l. 36 c. 15 rum Quiritium, quod Tarquinio Superbo Romæ regnante contigit. *Cùm* e-

nim

nim dictus Rex *id opus plebis manibus faceret, esset q; labor incertum longior*
an periculosior, passim conscita nece Quiritibus tædium fugientibus, nouum & in-
excogitatum antea posteaque remedium inuenit ille Rex, vt omnium ita defuncto-
rum figeret crucibus corpora spectanda ciuibus simul & feris volucribusque laceran-
da. Quamobrem, vt idem addit auctor, *pudor Romani nominis proprius, qui sæpe*
res perditas seruauit in prælijs, tum quoq; subuenit. Ex quo apparet fuisse salu-
tare & quæsiti fructus compos illud nouiciæ tum temporis pœnæ com-
mentum, quod etiam postmodum varijs temporibus non vno in loco v-
su venit, potestque deinceps etiam rebus ita exigentibus salubriter adhi-
beri. In casu tamen, qui hîc sub manu versatur, regulariter cessare credi-
derim, eò quòd probabile sit, etiam prœmijs prouocatos, si illis tali in re
locum permitteret Christiana pietas, rarissimos nos habituros esse huius-
modi necis patratores, tantum abest, vt pœnarum terroribus ad abster-
rendum opus sit. In dubio autem naturali potius quàm violentâ morte
ac nominatim αὐτοχειρίᾳ quos repentinè obijsse reperimus, decessisse
præsumendi sunt, præsertim quoties vel telo, vel laqueo, vel aliquo simi-
li instrumento conscissæ necis vestigia non comparent; tenenturque ta-
libus in casibus animarum curatoribus, confessarijs, ac medicis præterea
alijsque quibus de viuentium moribus præ alijs melius constat, testimo-
nio & iudicio plurimum deferre rerum capitalium Iudices, quibus desu-
per notio competit. Coronis hactenus de boni Gradibus dictorum, sit 366
sequens in vtramque partem satis probabiliter disputabilis quæstio, vtri
infeliciores dicendi sint, illinè, qui rerum fortuitarum fruitionem iam ad-
eptam perdiderunt, an isti, qui nunquam illam degustârunt. In huius du-
bij determinatione, quamuis videatur ingeniorum & complexionum di-
uersitas attendenda, nec minimarum in hac materia operationum esse,
non tamen dubitauerim veritati conuenientius dicere, regulariter mi-
tioris afflictionis esse, in hoc fortunæ regno loco excedisse, quàm ad il-
lam non peruenisse. Prioris enim generis qui sunt, tanquam ab experien-
tia rerum magistrâ edocti, certiùs & peritiùs de tali statu iudicare pos-
sunt, quàm qui altero continentur, in quibus prouerbia illa : cœcus de co-
lore & sutor vltra crepidam locum habere, & illis similes esse viden-
tur, quorum de cibo aut potu, quem necdum degustârunt, sententia ex-
quiritur. An tamen in valdè ambitiosis, quæ dico, locum habeant, no-
lim paulò contentiosiùs disputare, vnum hoc satis mihi certum esse vi-
detur, quod tantò maiori æquanimitate caducâ istâ & fallaci externa-
rum rerum, felicitate post factam degustationem, carere non possimus
tantùm, sed etiam debeamus, quàm si nunquam ad illam, è qua

ſola propior illius cognitio haberi poteſt, pertingere datum eſſet.
Eſt enim commune ferè humani ingenij vitium, vt de necdum habitis,
maiora nobis plerumque imaginemur, & promittamus, quam poſtea
de adeptis percipiamus; ideoque opinionis ſuæ neutiquam falſus fuerit,
qui in talibus ſpem ipsâ re iucundiorem eſſe dixit. Vt magno exemplo
hoc, quod dixi, illuſtrius fiat, tantòque firmiùs confirmetur, optimè id
cognouiſſe videtur, ab ea, quam præmiſi, magiſtra inſtructus, quisquis is
fuit ex antiquis regibus, qui de ipſo diademate affirmare non dubitauit,
non inuentum iri, qui è luto illud leuare dignetur, dummodo quid rei
ſit, & quantæ illud curæ & miſeriæ comitentur, ſatis nôrit. Quod ſequitur
non tantùm ad vtramque hanc infelicium claſſem, ſed ad reliquam etiam
in ſummitate volubilis illius & volutabilis rotæ, quibus terrenarum re-
rum inſtabilitas gyratur, conſiſtentium pertinet, vt probè meminerint
omnis veræ ſapientiæ in hac materia nucleum & medullam eſſe: 1. Proſpe-
ra huius mundi deſpicere. 2. Nulla eius aduerſa formidare, vtrumque il-
lud ad vtramque fortunam iunctim pertinet, nec vnquam diſſocianda
ſunt, ita vt, qui felices ſunt, à nimia præſentium confidentia & complacen-
tia abſtineant, & iam tunc rebus aduerſis, à quibus nulla fortunæ ſub-
limitas ſatis tuta eſt, prudenter & maturè priusquam ingruant, ſe præpa-
rent; viciſſim qui à ſortis malignitate premitur, miſeriæ ſuæ non ſuccum-
bat, & rerum proſperitate placidè & ſuauiter careat, quamuis nec tan-
tillum melioris ſpei ad emergendum affulgeat. Atque hactenus de ſummi
367 boni gradibus dictum eſto; ſequentur parergorum loco vna atque altera
quæſtio, tum vt hinc inde promiſſis ſatisfiat, tum vt non omnimodo præ-
tereantur, quæ ad principalis argumenti illuſtrationem ſeruire poſſunt,
& à propoſito non omni ex parte aliena eſſe videbuntur. Fiet initium à
368 Laurentij Vallæ de voluptate libris, quos tamen non niſi leuiter, ſtrictim
& ſaltuatim contrectabo, omnia enim & ſingula examini ſubdere & re-
futatione dignari integri tractatus res fuerit. Rectiſſimè igitur, vt ab eo,
quod optimum eſt, incipiam; & pijſſimè Valla fecit, quòd in tertio iſtius o-
peris libro veram & ſolidam Chriſtiani hominis voluptatem in alterius
vitæ æterna felicitate conſtituerit. Hoc enim nemo verè piorum & Dei
timorem habentium inficias iuerit. Ijdem autem ad vnum omnes viciſſim
confitebuntur & largientur, non ſufficere oſtendiſſe, quo loco quæren-
dum ſit, quod verè ſummum & nunquam interiturum hominis bonum
eſt, niſi etiam quâ viâ, quo duce, quibus comitibus, quo commeatu, quo-
rum adminiculorum ſubſidio, eò perueniri poſſit, manifeſtetur. De hisce,
cùm in hoc diſcurſu mihi agere propoſuerim, expendere oportet, an in

duobus

duobus præcedentibus libris tam necessariæ sollicitudinis negotium satis plenè & feliciter expediuerit, quod ab ipso præstitum esse hactenus animaduertere non potui, nec deinceps etiam facilè credam. Nouum quidem & insolitum non est, non minus Philosophos in Dialogis suis, quo charactere Philosophica dogmata tractare solennis olim Socraticorum omnium mos fuit, à quo nec ipse Plato, vt publicè constat, abijt, quàm Poëtas in Comicis fabulis, & tragœdiarum argumentis multa inepta, absurda & falsa proferre, quæ non ipsis Scriptoribus asscribenda sint, sed diuersis, quæ variè interloquuntur, personis ita tribuantur, vt ad minimum contradictione postmodum reijciantur, plerumque etiam solidâ & accuratâ refutatione ex professo euertantur, quorum neutrum apud Vallam reperio. Hic enim postquam multa pro voluptate sua non imperitè tantùm; sed etiam impiè garriuisset, tantum abest, quòd istarum absurditatum loco virtutis dignitatem in sequentibus asseruerit, vt potius eas firmius adhuc stabiliuerit. Atque hoc tantò magis pudendum & abominandum est, quòd ne tantillum quidem in satis prolixo commento suo in medium proferat, è quo vel suspicari possimus, de alia ipsi voluptate sermonem esse, quàm quæ vulgò per contumeliosissimam iniuriam Epicuro affingitur, quamque in hoc discursu nostro datâ operâ refutatum iuimus. Introducit quidem nobilem illum sui temporis apud Florentinos philosophum Nicolaum Nicolum dicto tertio libro, tam ea, quæ Leonardus Aretinus pro honestate, quàm quæ Antonius Panormita pro voluptate disseruerant, propterea reijcientem, quod vterque in sententia sua asserenda, veterum more magis quàm probandam putaret, locutus esset, hoc est (nam id dicere voluisse videtur) Ethnicè magis quàm Christianè & Philosophicè potius quàm Theologicè causam suam egissent, sed in tam magnâ & capitali re ipsum veræ sapientiæ nucleum concernenti, & vtramque, tum huius temporis, tum futuræ æternitatis beatitudinem comprehendenti, aliquid amplius requirebatur, quàm vsque adeò tenuis & ieiuna improbatio; Quæ tantò minus iudicioso lectori satisfacere potest, quod ille ipse Nicolus ea, quæ pro voluptate dicta erant, honestatis defensioni præferat. Tantum enim abest, tam scæuum & non Christiano tantùm, sed profano etiam Philosopho indignum iudicium vllo modo probari, vel saltem colore aliquo excusari posse, vt speciatim & accuratè refutari debuerint, quæ pro voluptate non minus copiosissimè, quàm falsissimè prola- fuerant. Loco speciminis impijssimarum istarum absurditatum sint, leges ad vtilitatem non honestatem pertinere. 2. Si antiqui non fecerint aliquid honesti, nec nos debere facere. 3. Quòd voluptas & honestas

con-

rariæ sint .4. Voluptatem esse secundùm naturam, honestatem autem non. 5. De fornicatione & adulterio non improbando .6 .Quòd formula Platonica de communione fœminarum, sit secundùm naturam. 7. Vtile fore, si fœminæ non essent singulorum. 8. Vitanda aliquando esse stupra & adulteria propter metum & periculum. 9. Quòd aliqui mœchi plectantur, non propterea mœchos esse damnandos. 10. Non esse nefas se virginibus sanctimonialibus immiscere. Quibus omnibus tandem 11. Virginitatis accusationem subiungit, imò quo nil fingi potest magis impium & detestandum, tandem 12. eò delabitur, vt per merum atheismum euomere non abstineat, defunctorum nec supplicia, nec præmia vlla esse. Quanquam in hoc vltimo Epicurum satis exprimat, dum interim Christianismi & talia impia blaterans, & impijssimè euomita, maiore adhuc impietate refellere negligens obliuiscitur. In reliquis præcedentium omnibus nihil, quod Epicurum sapiat, inuenio, qui non minus honestatem, quàm dignissimam laude voluptatem, vtpotè illius, tanquam pulcherrimæ Matris speciosissimam filiam vnicè coluit, & in summo amore habuit, vsq; adeò vt certissimum sit, & verissimè affirmari possit, nihil illorum, quæ Valla Epicuri causam imperitè & contumeliosè agens, ita vt retuli, exemplificauit, isti frugilissimo & celebratissimæ continentiæ Philosopho, vnquam in mentem venisse, tantùm abest, vt ab illo docta & scripto commissa fuisse, pro-
369 babilitate aliqua suspicari possimus. Sed misso Valla hoc quoq; obiter videamus, an in medijs potius, vt magno auctori nouiter placuisse animaduerto, quàm finibus, quæ veterum sententia fuit, bonum consistere dicendum sit. Huius quæstionis, dummodo illam rectè capio, decisio ex illis dependet, & petenda videtur, quæ supra de Epicureis & Stoicis, deque Calliphone, illorumque dogmatum comparatione dicta sunt, istis stantibus non videtur magnæ rei hæc controuersia esse. & vtrumque probabiliter dici posse, esse tamen veritati conformius, si cum dicto Calliphone vtrumque coniungamus, & non minus in fine quàm medijs, nec minus in his quàm illo felicitatis apicem summique boni summam collocemus. Præcedenti affinis est sequens assertio, quam contra Vallam paucis assere-
370 re placet, is enim lib. 2. cap. 3. apertissimè negat, & quam potest validissimè impugnat, virtutem siue honestatem esse sui ipsius præmium; quæ absurda admodum affirmatio est, & è diametro aduersatur longè verissimæ, & ex ipsa sincerioris Philosophiæ medulla deprompta assertioni, quam sequentibus versibus iam supra * à me obiter indigitatis ele-
*P. 18 gantissimè Claudianus expressit,

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè

For-

Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſuué petit clareſcere vulgi
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Diuitijs animoſa ſuis immotaq; cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.
Attamen inuitam blandè veſtigat, & vltro
Ambit honor: docuit toties à rure profectus
Lictor & in medijs conſul quæſitus aratris.

Non poſſet, fateor, tam putidus error Vallæ imputari, niſi refutationem eius inſtituere neglexiſſet, illumque tantò grauiorem iudico, quòd non tantùm Epicureæ & Calliphoniæ, ſed ipſimet etiam Stoicæ doctrinæ aduerſetur. Siuè enim in virtute ſola, vt Zeno cum ſuis, ſiue in ſola voluptate, vt Epicurus, ſiuè in vtriusque conbinatione, vt Callipho, beatitudinem conſtituamus, vbique verum eſt ſuæ ipſius virtutem præmium eſſe, nec eſſe aliquam, quod ſatis oſtenſum eſſe confiditur, inter prædictas hac in parte Sectas vel ipſo Chryſippo iudice diſcrepantiam. Cùm enim Epicurus non aliam, quamque è virtute ſit, voluptatem agnoſcat, nec Stoici virtutem ſuam animi tranquillitate priuari cupiant, cum Calliphone & Dinomacho vtriq; idem ſentiunt & affirmant; nec implicat contra dictionem virtutem ſui ipſius præmium eſſe, ac nihilominus præmium illud in re alia, ſiue illam voluptatem cum Epicuro & Calliphone, ſiuè cum Seneca alijsq; Stoicis animi tranquillitatem, ſiue cum Hippia Eleo autocratiam, ſiuè deniq; cum Democrito Euthymiam nominare libeat, conſiſtere. Sufficit enim ad prædictam affirmationem ſuſtinendam præmium illud non aliundè peti, nec extrinſecæ opis adminiculo indigere, ſed ex ipſa virtute genuinum & generoſum ortum trahere. Hæc de Epicurea voluptate aſſertio, cùm aliunde, vt ſuo loco viſum eſt, tum vel inprimis ex Caſſiana, quam illic itidem allegaui epiſtola, tam clarè & lucidè comprobatur, vt verè affirmari poſſit, nullam de omnibus, rem quidem Philoſophicam quod attinet, toto iſto Ciceroniano volumine contineri, quam ad poſteros perueniſſe 371
pluris interſit, quàm hanc ipſam. Admonet me hæc Epicuri modo facta mentio, vt eiusdem contra detractores in hoc ſequenti quoque defenſionem non prætermittam, qui ſatis generosè & veriſſimè aſſeuerare non dubitauit, præſentibus corporis doloribus, quamdiu aliter illis expediri non poſſumus, in præteritorum iucunda recordatione, & meliorum in futurum ſpe ſatis ſolatij eſſe. Nam & hic locum habet, quod in omnibus reliquis obtinet, nimirum vt præſentibus contenti ſimus, & in illo felicitatis gradu, quem fatorum diuina diſpoſitio nobis largitur, patienter ac-

quiescamus. Cui accedit, quòd in illis omnibus non minus, quàm in
hisce corporalibus cruciatibus, regulare & communissimum situm sit in
spe solatium, quodque præterita quod attinet, subindè hoc quoque audi-
antur, se gaudio, aliqui vtcunq; reficere, felicitatem perceptam & fruitam à
372 nemine illis eripi posse. Siue igitur externum corporis dolorem nobis
infligant, siuè in animi ægritudine consistant, ex quibus malè habemus, eò
fortiùs ferenda sunt, quòd præter ordinarium & solennem morem suum
afflictrix fortuna ita nos tractans nobiscum non agat, qua etiam de cau-
sa, qui olim & nuper consolationis materiam tractârunt, ac nominatim,
vt de multis aliquos saltem memorem, Seneca, Boëthius, Petrarcha & Li-
psius hunc communem locum, tanquam apud rationem admittentes effi-
cacissimum, non prætermiserunt. Quis enim tam iniquus & impudens
esse & haberi ausit, vt ab vniuersali neminem excludente sorte eximius
373 esse velit? Certè rarissima sunt, quæ ab auctoribus referuntur, humanæ fe-
licitatis (in vulgatiori & populari sensu secundùm subiectam materiam
hoc intelligi debet) exempla, eaque ipsa eius generis sunt, vt vix vllum de
omnibus subsistat. Moris olim fuit nouis Imperatoribus boni ominis er-
go, præter Traiani bonitatem, Augusti etiam felicitatem acclamando
apprecari; Quàm multis autem in rebus Princeps iste infelicissimus fuerit,
in proœmio annalium suorum non minus veraci relatione, quàm admira-
bili elegantiâ, & prudentissimo iudicio Tacitus exequitur. Idem præsti-
tum est in naturali Historia à Caio Plinio *, qui tam copiosus est in refe-
*l. 7. c. 14. rendis, quamuis è potissimis non pauca prætereat, vt nec æquilibrium in
istæ stateræ examine tantopere celebrata afflictissimi hominis felicitas
tenere ac tueri possit. Apud Suidam vnicum refertur, tanquam admodum
memorabile felicitatis exemplum, Hieronis Siciliæ Regis, è quo tamen
nil aliud colligitur, quàm fuisse quidem in aliquibus fortunatum vicissim
in non paucis æquè ac alios, aduersitatis casibus subiectum & obnoxium
fuisse. Facillimum hoc esset è vita istius Regis instituta vtriusque generis
euentuum comparatione & antithesi ostendere, nisi longum esset. Re-
*d. l. c. 43. fert idem ille, quem modo citaui, Plinius *, alia etiam felicitatis exempla,
quæ itidem magno suo merito reijcit, inter quæ primas sibi arrogâsse vi-
detur infaustissimus proscriptoriæ tabulæ inuentor Lucius Sylla, qui i-
psemet se in Felicis nomen adoptauit, cùm tamen non minus sibi ipsi
quàm alijs infelicissimus fuerit. Refert præterea duos Metellos Lucium
& Quintum auum & nepotem, quorum prior Pontifex maximus fuit,
alter Macedonici cognomen tulit, sed & horum neutrum in hoc inuidi-
oso censu sine repulsa transmittit; Quos solos tanquam beatissimos abi-

psis

psisDijs iudicatos in Delphicorum Oraculorum honorem admittit Phedius & Aglaus, eius generis fuerunt, vt illis ambitiosorum & potentiæ inhiantium vanitas inuidere non potuerit: illorum enim prior iam esse desierat; alter exigui ruris, in angustissimo Arcadiæ angulo, vix ipsis suis vicinis notus, cultor erat. Hæc igitur omnibus mortalibus indifferenter in vniuersum denegata plena & perpetua felicitas meritò nos admonet, vt ad aduersa ferenda tanquam nulli declinabilia antequam ingruant, tantò fortius nos præparemus, ac postquam superuenerint, eò patientiùs feramus; Ad quod tantò libentiùs præstandum, hoc quoque permouere, & 374
alicuius consolationis loco esse potest, quòd aduersitates & miseriæ non tantùm aptissima & frequentissima virtutis materia sint, sed etiam ad nominis celebritatem & perennes laudes non rarò faciant. Quanquam hoc, quod negare non ausim, eiusmodi est, vt à plerisque illi opponi & occini possit.

Non tamen hoc tanti est, vt miser esse velis.

Huic verissimæ quidem sed inutili exceptioni obstant, quæ de ineuitabili humanæ conditionis fato dicta sunt, eò quòd in arbitrio nostro non consistat, an infelices & calamitosi esse velimus nec ne, sed in inuitos & reluctantes etiam rerum humanarum domina imperium suum exerceat. Quamuis igitur stultum & absurdum fuerit, ideò infortunium optare, vt in Historia locum inueniat, caret tamen omni stoliditate, & ingenij minimè stupidi non fallax argumentum est, si quis calamitatibus circumuentus, & indignis modis habitus, hinc quoque æquanimitati suæ nonnihil fomenti venetur, quod occasionem nactus sit fortitudinis & constantiæ suæ, saltem temporis sui probis & cordatis, veram virtutem æstimantibus, deque ea peritè & dignè iudicare scientibus & edoctis, specimen præbere, earumque approbationem sperare. Reliqui enim tanquam odij & inuidiæ mancipia, & assentandi calumniandique artifices, talibusque prauitatibus impedientibus veræ laudis gustum non habentes facilè contemnuntur, dummodo, vt congruum est, memores simus, veteris illius Neoptholimi, eiusque generositatem imitatur, qui *à laudato viro se laudari* gaudebat. Non sine causa dixi temporis sui, hoc enim modestis & *in mirabilibus super se ambulare* cauentibus sufficere debet, nec enim quorumuis est hac in parte *Corinthum adire*, id est, in Annalibus locum sortiri, ad quos, vt *felicioribus quis natos* illud Maronis satis appositè referri & applicari potest (è *sexto lib. AEneidos.*)

pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.

Huc illa pertinent, quæ Philosophi & inter illos Cicero (qui in secundo de officijs admodum insigniter hoc subiectum tractauit) de Gloria scripserunt, quæ non minus apud contemporaneos quàm posteros quæri & obtineri potest, nec ex vlla alia re, quàm sola virtute dignisque bonorum commendatione, & approbatu actionibus, vel expectari, vel expeti debet. Quàm autem difficile sit, etiam hoc, quod minus est, consequi, atque ab ipsis Coæuis debitam, ac in neutram partem plus iustò declinans vitæ & morum testimonium obtinere frequentissima est, omnium temporum querimonia, nec desunt hodie, qui idem vel apertè indignentur, vel tacitè in sinu angantur & mussitent. Huc enim facit illud vatis antiqui:

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.

Et hoc alterum, vagæ apud Romanos iuuentæ summa moderatoris, de sui temporis inter viuos adhuc agentibus Oratoribus elegantissimum dictum seu verius verissimum Oraculum: *veniet horum laudibus suum tempus;*
375 *ad posteros enim durabit virtus, non perueniet inuidia.* Duo enim pessima vitia, de quibus etiam in superioribus iam conquesti sumus, iudiciorum sinceritati plurimum officiunt, adulatio & calumnia, quæ ab omnium animis, illorum præsertim, qui Musis & Apollini dicati sunt, & Christiana sacra colunt, longissimè sequestrata esse oporteret. Sed fortè, nisi tanquam è machina supernè nobis subueniatur, frustra hoc & inaniter sperauerimus, eò quòd miraculo seposito vix possibile sit, vbi homines sunt ibi humanos defectus & errores non tantùm, sed etiam indignam, tum humanitatis studijs, tum humanioribus moribus malitium & perseueritatem abesse. Nec enim ex quo orbis cæpit, & à genere nostro inhabitatus est, vllus vnquam introduci potuit, tam exquisitus Dei cultus, tam sanctum & absolutum, tamq; omnibus sibi numeris constans, sanctioris conuersationis & perfectioris vitæ institutum, quod omnium nequitiarum & malignitatum sentinam ad imum vsque fundum exhaurire, & ab omnibus singulorum sequacium suorum pectoribus vniuersam vitiorum colluuiem, flagitiorum fœditatem, criminumque immanitatem arcere potuerit.

Fallit enim vitium specie virtutis & vmbra,
Cùm sit triste habitu vultuque & veste seuerum.

Hinc paulò simplicioribus & ingenuitatem sectantibus pectoribus, è candore suo de aliorum integritate non semper satis prouidè iudicantibus, subinde miseris & pudendis modis illudunt, tum sub vulpe latentes animi, tum lupinam feritatem & rabiem ouillâ pelle obtegentes, quorum sceleribus mirâ efficaciâ, & dolosissimâ deceptione frigidam suffundunt, factiosæ conspirationes; vtq; omnium rerum, quantumuis etiam natura sua optima-

rum

rum, abusus est, ita hoc etiam in genere, quod Christiana probitatis & sublimioris integritatis incentiuum & erga Deum pariter & homines pia amoris inflammatio esse debebat, in alia omnia degenerat, *ipsisque vitijs* noxiossissima *alimenta* ministrat. Ex istis ludis prodeunt, qui tum proprio, tum emissariorum suorum opera forum calumniatorium egregiè calefaciunt, qui auctoritate suâ, & ementitæ virtutis apud emendicatos & dementatos partâ opinione, ad innocentium oppressionem abutuntur, qui sub boni Zeli schemate malorum causam agunt, qui traductionibus & opprobrijs contra ipsos fautores, ac si fortè non benefacientes (ad hoc enim præter animum plura requiruntur) saltem optimè volentes non impunè tantùm, sed etiam cum applausus captatione grassantur, qui vbi genuinum apertè intentare, vel non audent, vel quauis alia de causa abstinent, saltem *malignâ laude* impostores agunt; atque istâ ratione, sub encomij larua non rarò nocentiores sunt, quàm directâ & detectâ criminosissimâ insectatione. Ad hanc, ni fallor, classem pertinent, de quibus summus aliquis vir conqueritur, quòd illis, quos auersantur & oderunt, nec probis, nec ingeniosis esse liceat. Orandus igitur Deus est, vix enim aliud remedium superesse videtur, vt à tam magno, & plurimos grauante nos malo liberet, taliter nos affligentibus, meliorem mentem donet, nobisque interim patientiam non subtrahat, & perferendi gratiam. Quamdiu enim Diuino numini placitum est, per hosce nos exercere, *non est nostrum Domini miserationi tempus ponere, & in arbitrium nostrum diem* liberationis nostræ *constituere*; quod olim prudentissima simul & fortissima Iudith Sacerdotes & Principem Iudaici populi monuit, sed in illo, quod Deo placere animaduertimus, acquiescendum est. Atque hoc ipsum tamen cum aliqua salis mica, vt vocamus, tum in hoc ipso, tum in reliquis omnibus diuinitus nobis immissis malis, intelligi, nec tam crudè & indiscretè accipi debet, quasi indifferenter in omnibus improborum conatibus, & tendentibus, vel ad priuatam iniuriam, & concussionem nostram, vel ad publicam pernitiem & cladem machinationibus sine aliquo contra illos obnisu obsecundandum, statimque ab initio victæ manus dandæ sint, sed prius, quantum humanâ industriâ indagare & assequi possimus, explorari debet, quid probabiliter Deo & placere & placiturum esse præsumendum sit. Hæ enim infallibiles regulæ sunt. Primò sine speciali reuelatione, quid de necdum factis Deus velit, homini incognitum esse, eò quòd secundùm philosophicum enunciatum de futuris contingentibus non sit determinata veritas. Secundò vnicuique licitum esse, eò quòd defensio in Iure naturæ fundamentum habeat, & ordinata charitas à se ipsa incipiat,

non minùs honorem & existimationem suam contra calumniatores, quàm facultates & fortunas contra insidiatores & inuasores, & vitam contra homicidas, latrones, & Tyrannos tutari & propugnare. Tertiò, non permissum tantùm, sed etiam imperatum & iniunctum esse omnibus, quibus ex vocationis, & demandati officij ratione incumbit, vt pro communi bono, & publica salute solliciti sint, illiusque oppugnatoribus forti & constanti animo resistant. Hac in parte si quis muneri suo deesse, & sub prætextu voluntatis diuinæ, priusquam de illa ab euentu edoctus sit, tanquam in re desperata, quam potest, & obligatus est, sollicitudinem & obsistentiam adhibere negligit, is non tantùm hominum iustam reprehensionem, & superiorum, si quos habet, dignissimam punitionem incurrit, sed apud ipsum etiam Deum meritissimam æternæ conflagrationis animaduersionem in se concitat. Impium enim sit, quamdiu de contrario è successu iam præsente & obtento nobis plenè non constat, aliter de Deo opinari & confidere, quàm quod optima quæque velit, iussis suis obtemperari gratum habeat, ijsque, quibus nos, tum naturæ, tum fortunæ beneficijs donauit, non vti tantùm, sed etiam frui permittat. Nec excusat meticulosos, ac periculorum fugaces, quòd debita concrediti muneris administratio multis casibus ab aduersorum euentuum alea immunis non sit, sed præter reliqua leuiora, ipsa etiam vita, quoties & vbicunque opus est, ancipiti statui exponi non tantùm possit, sed etiam necessario debeat. Si enim tali excusationi locus sit, non imprudenter tantùm, sed etiam contra se crudeliter egissent, & ipsimet Apostoli, & tot sanctorum martyrum millia, quòd per euangelij prædicationem & constantem fidei in Christum confessionem varijs tormentorum & cruciatuum generibus, ipsiusque Sanguinis per tot mortium discrimina se effusioni exponere, Deoque suo acceptissimas hostias obferre maluerint, quam abnegatione, silentio, subductione vel quocunque alio modo imminentibus periculis expediri, vitamque turpem generoso interitu potiorem habere. Summa totius huius negotij eò recidit, & in hoc sita est, vt quamdiu de certa & determinata Dei voluntate nobis non constat, de qua nisi per prophetiam & diuinam reuelationem, quod rarum & extraordinarium est, præscientiam assequamur non aliter quàm per ipsos euentus, adeoque reales demonstrationes easque iam præteritas, cuius generis argumenta *à posteriori* in scholis vocant, liquidò nobis constare potest, secundùm datas & promulgatas nobis ab ipso Diuino numine, illisque, quorum mentibus illud ipsum sapientiam indidit, regulas agendum & procedendum est, vt nimirum id fideliter præstemus,

quod

quod serio & seuerè nobis præscriptum est, committentes supernæ dispositioni, feliciter an aliter, quod molimur, successurum sit. Quoties igitur, quod frequentissimum est, intentioni & spei nostræ rerum & negotiorum exitus non respondet, sed rectè consulta & benè gesta malè cedunt, & in irritum cadunt, nihil superest, quàm vt placidè feramus, tale diuinitus nobis ingruens infortunium, & in ipsis tristium medijs angustijs confidenter & lætabundè dicamus & precemur: *Fiat voluntas tua Domine, sicut in cælo ita in terra.* Fatendum quidem est, quod non promi- 377
scuum tantùm vulgus, sed etiam ex illorum numero, qui prudentiæ, vel apud alios opinionem, vel apud se ipsos persuasionem habent, de rebus gestis ex euentu plerumque iudicant, & quorum exitus infelix fuit, sapienter cœpta, vicissim quorum successus miser & infaustus extitit, temerè & stultè suscepta fuisse dicant. Sed huiusmodi, quorumcunque tandem sint, plebeia & mechanica iudicia facilè contemnit fortis & generosus animus, quo si vllibi certè hoc in casu, vel inprimis & summoperè opus est, ne potius ex incertitudine & vanitate, horum vel illorum temerariæ arbitrationis circumagamur & fluctuemus, quàm in soliditate firmi & constantis iudicij nostri immobiles consistamus, ac non minus post bene consultorum malam frustrationem, quam prius optimè consolati acquiescamus. Hæc Ciceronis mens fuit, quando post non respondentem consilijs ipsius Ciuilium dissensionum successum ad Atticum suum scripsit: *Mea mihi conscientia pluris est, quàm omnium sermo*; ad eandem consolationem confugit, post rem benè consultam, sed malè gestam Græcus ille, quando dixit, *Illorum causa felicior, mea melior.* Idem Vticensis ille Cato post Pharsali & Thapsi clades, si non dixit, saltem verè dicere potuit, cuius ingens & ferè incomparabilis laus est, quod summi ingenij Poëta Lucanus, non obstante sequiori partium fortuna, ipsis Dijs hoc versu illum exæquauit.

Victrix causa Dijs placuit, sed victa Catoni. 378

Hæc eadem generi eius M. Bruti post Philippicam cladem consolatio fuit apud Plutarchum * non sine iucunda commiseratione legenda. Hâc animi, quam attigi, firmitate, ac præterea piâ humanarum rerum expensione caruerunt, qui benè gestorum dissimili exitu scandalizati, ipsam diuinam prouidentiam è medio sustulerunt, comprehendere & concoquere non valentes, quâ ratione concordari & simul consistere possint, Deo res nostras curæ esse, ac nihilominus virtutem ab illo negligi & destitui, eiusque loco omnis generis flagitijs, & criminosissimis immanitatibus prosperitatem non rarò concedi, victoriamque & triumphum decerni.

* in vita Bruti

*L. Sen. ni. Hanc quæſtionem egregiè pertractauit Romanus ſapiens * in elegantiſſimo libello ſuo, cui titulus datur: *Cur bonis malè, & malis benè ſit, cùm ſit prouidentia*; Dignus qui ab illo ſcriptus ſit, qui S. Paulo familiaris fuiſſe dicatur. Hanc diuinæ prouidentiæ cauſam contra Epicureos Stoici non minori felicitate, quàm fortitudine egerunt, quam ſi Christiani nos inſuper habeamus, tota ſaluificæ fidei noſtræ œconomica conturbetur. Sufficit nobis ad illius ineuertibilem aſſertionem *iudicia Dei abyſſum multam* & *incomprehenſibilia*, eiusque *ſapientia & ſcientia* immenſam *altitudinem*, * & *vias inueſtigabiles* eſſe. Quam admodum igitur *maieſtatem* * iſtam, ne *à gloria opprimamur*, nobis *ſcrutari* non licet, & humani captus imbecillitatem altiſſimè ſupergreditur, ita de hoc certi ſumus, & firmiſſimâ fide comprehendimus, quod vti *regnum Christi de hoc mundo non eſt*, ſic nec temporariam & tranſitoriam eſſe retributionem noſtram, ſed cæleſtibus manſionibus, & futuræ æternitatis interminabilibus ſpatijs reſeruari. Hoc fundamento poſito ceſſat omne inter pios è prauorum in hoc ſeculo prœmijs ac proſperitatibus, & bonorum pœnis & afflictionibus apud imperitos enaſcens offendiculum; imò vix aliud eſt, quod non minus ipſam ſupremi numinis infinitam bonitatem, quàm inſcrutabilem prouidentiam nobis commendabilem & admirabilem faciat, quàm quod

*Luc 16. æterna potius, quàm caduca præmia, bonis & fidelibus ſeruis ſuis, deſtinârit & perſoluat, ne aliquando cum diuite epulone audire cogamur *:

379 *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Hâc itidem timentibus Deum probatâ ratione ceſſat omnis & à mentibus, eorum vt debet, longiſſimè abeſt, quamuis fortè non ſemper impia, certè inconſulta, temeraria & iniuſta cum Deo expoſtulatio, cur nos puniat potius & improborum iniurijs permittat, quam ſubleuet, & de mandatorum ſuorum ſeruatione ſollicitis nobis non aſſiſtat; qua tamen in re, vti longè difficillima, etiam ſancti viri non ſemper debitum modum tenuiſſe reperiuntur. Sit pro exemplo, & reliquorum omnium loco illud aliàs verè maximum, ſi non vnicum, & omnem ſuperans admirationem Patientiæ ſpecimen S. Iob; qui licèt in principio, venientibus ad eum vno ſuper alium grauiſſimarum calamitatum nuntijs, nequaquam animo concidiſſet, ſed ſe ipſum per ſequentia ſatis heroicè conſolatus fuiſſet: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus: Dominus dedit; Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*; Poſtmodum tamen malorum multitudine & grauitate ſuperatus in iſto ſterquilinij ſui, ſiue cubili, ſiue triclinio non in eodem calamitates perferendi conſtantiæ tenore permanſit. Prætérquam enim quod & conceptionis, & natiuitatis ſuæ horas execratur;

Margin notes: *Rom 11. *pro verb. 25.

quæ

Quæ deploratio fortè vtcunque excusari, & ab impatientiæ nota liberari possit, nonnulla tamen ex parte cum Deo expostulâsse videtur, cùm quæreret. *Responde mihi, quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi*; &c. *Indica mihi, cur me ita iudices, nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adiuues?* Iure igitur Eliphaz Themanites illi obiecit, & vicissim quæsiuit: *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir?* Quo tamen non attento in cepta querela sua ille perstitit, inter cætera subiungens, *vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera; Quasi arena maris hæc grauior appareret, vnde & verba mea dolore sunt plena.* Sed idem sanctus vir postea ad se reuersus, longè aliter tum de meritis suis, tum de diuina castigatione sensit & locutus est. Nam & amicorum reprehensionem hactenus admisit, vt diceret: *Verè scio, quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Et breui pòst: *quis dicere potest, cur ita facis Deus, cuius iræ nemo resistet, & sub quo curuantur, qui portant orbem?* Ac præterea ab ipso Deo admonitus & reprehensus seriâ correptus pænitentiâ, minus circumspectam querelam suam retractat, & verissima palinodia abolet, in hunc modum Deo respondens: *Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Quis est iste, qui celat consilium absq; scientia? Ideo insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam,* &c. *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pænitentiam, in fauilla & cinere.* Prima igitur potius & nouissima huius sancti viri quàm media & interiecta imitemur, & hoc exemplo moniti, ab omni nobis cum Deo disputatione abstinendum, & cum humili gratiarum actione omnia, & quæcunque à manu eius gratanter acceptanda esse meminerimus, confitendo & dicendo. *Iustus es Domine & rectum iudicium tuum.* Qui enim hactenus *omnia bene fecit*, & in æternum facturus est, non potest nobiscum malè agere, etiamsi pro diuino beneplacito suo ad salutem nostram *pro bono malum reddi, & foueam animæ nostræ fodi* permittat. Petamus igitur à Deo cum propheta regio: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Et alio loco: *Si iniquitates obseruaueris, Domine: Domine, quis sustinebit?* Semper igitur menti nostræ inhæreat, & memoriæ obuersetur, quæcunque nobis à manu Dei infligantur, etiamsi grauissima sint, longè tamen grauiora nos promeruisse, nisi misericordiæ suæ recordatus fuisset, cuius *miserationes* sunt *supra omnia opera eius.* Si enim ipse etiam iustus * septies in die cadit, quis confidere ausit se à lapsibus immunem fuisse & fore, & in omnibus sine vllo titubationis

380

381

* Prov. 24.

Periculo ſtabili gradu incedere poſſe. Atque ea de cauſa omnium tutiſſi-
mum eſt, vt etiam in bono ſtatu, quantum humanitus ſcire, & ipſosmet nos
noſſe poſſumus conſtituti, humanæ fragilitatis nunquam obliuiſcamur,
& ad pænitentiæ aſylum confugiamus, cum Pſalmiſta dicentes; *Ab occulti*
382 *meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Iſta re monitus non dubitem af-
firmare, omnium Chriſtianarum virtutum, virtutem pænitentiæ maximè
neceſſariam, præcipuam & ſummam eſſe. Cùm enim, qui inter omnes ſa-
pientiæ Magiſtros meritiſſimo iure primatum tenet, & à quo denominatio-
nem trahimus, æterni Patris Coæuus & conſubſtantialis filius Chriſtus Do-
minus, totam ad Chriſtianam communionem & profeſſionem per Apoſto-
licæ prædicationis viuificantem ſonum omnium ætatum ad ipſummet vſq;
ſecularium temporum finem congregatam vniuerſitatem in diſcipulis ſuis
ad ſui imitationem inuitârit, ſuoque exemplo, quod blandiſſimum eſt
præceptionis & mandati genus, cùm reliquas virtutes tum inprimis
& nominatim humilitatem ac manſuetudinem commendârit; quid à no-
bis fortius & efficatius exigit ſanctioris inſtituti noſtri pietas, quàm vt cæ-
leſtis huius Præceptoris ſaluificis mandatis obſequamur, Sanctique Pauli
gentium doctoris reliquorumque Apoſtolorum, inter quos poſt vnum
hominum primarium piſcatorem, omnium princeps eſt, non degeneres
nos imitatores & ſequaces profiteamur & approbemus? Vti enim Salua-
tor iuſſit, vt ab ipſo, tanquam miti & humili corde, tales quoque nos ex-
hibere diſcamus, ita Paulus ſui imitatione nobis commendatâ, non tan-
tùm ad idem nos vocauit & manu duxit pietatis exercitium, ſed etiam
eo ipſo exemplo ſuo docuit, iſtis inſiſtere veſtigijs, & humanis greſſibus
ad cælorum ardua contendere, conditionis noſtræ imbecillitatem, per di-
uinæ gratiæ adiutorium non excedere. Hæc humilitatis virtus ſecundùm
obiectorum diuerſitatem in plures diuiſas ſpecies, inter cæteras has duas
etiam vel imprimis complectitur, vt in vtroque malorum genere diuinis
obſequamur monitis, illudque quod Theologi culpæ vocant ſi non ſem-
per, quod magnoperè expedit & ſummè curare conuenit, piè declinare
nobis datum eſt, ſaltem humiliter agnoſcamus, & per ſalutarem pœnitenti-
am ad gratiæ thronum obedienter reuertamur: Illud autem quod Pœnæ
appellant, placidè & patienter ſuſtineamus. Harum priori mitiſſimo re-
demptori noſtro opus non fuit, vtpotè *qui peccatum non habuit, nec inuentus*
* p. *eſt dolus in ore eius;* Nobis autem, qui, ſi dilecto Chriſti Apoſtolo credimus,
54.& *mendaces ſumus, ſi peccata nos non habere dicimus,* indies vſui venit, nec vn-
55. quam obliuiſcenda eſt. Faciunt huc, quæ in antecedentibus, * cùm de in-
certitudine ſtatus noſtri ageretur, dicta ſunt, eſtque memorabile S. Au-

gustini in extremis iam agentis, & de felici transitu solliciti, exemplum pariter & monitum: *neminem sine pænitentia è vita abire debere, etiamsi nullius sibi peccati conscius sit.* Serium igitur de peccatis dolorem & vitæ in melius emendandæ piè anhelans desiderium veræ humilitatis actum esse, nemo inficiauerit, nisi vel Pharisaico supercilio tumidus, vel inani & arroganti gentilium Philosophorum persuasione profanè superbus; Quod animaduertens, qui secundùm cor Dei fuisse, ab ipso Deo celebratur Dauid Rex in Psalmo suo, qui inter pænitentiales præcipuus & in Ecclesiastico officio quotidiani vsus est, Cor contritum & humiliatum, per penetrantem ipsamet etiam intima viscera energiam appositissimè copulauit. Non vna de causa rectè videor virtutem hanc omnium Christianarum maximam vocâsse. Primò enim frequentissimi vsus, vtilissimæ operæ, & efficacissimæ operationis est, fractæ inter Deum & hominem pacis vnica reparatrix & reconciliatrix, ima summis coniungens, & inferno cœlum permutans. Hâc solâ viâ ex errorum deuijs eò, vnde peccando excidimus, reditur; hæc prodigum filium ex longinqua regione ad patriam domum reduxit; hæc, Adæ progeniem cum isto protoplasta suo diuinæ sanctnis præuaricatore paradisi delicijs deturbatam, vti iuxta sacrum lauacrum subsidiarium præsidium, cœlestibus mansionibus restituit, èque miseris laboriosæ terræ colonis felices æternæ quietis inquilinos efficit. Secundò hæc vna maioris ipsis * angelis lætitiæ in cœlis causa est, quàm reliquæ omnes. Denique virtutum omnium vniuersitas & verissimum compendium est, eò, quòd seria & genuina esse nequeat, nisi Theologicarum omnium virtutum accedat integer chorus, illamque comitetur & stipet, quarum aliquâ deficiente languescit & emoritur. Piè igitur admodum & prudenter à S. Augustino factum, quando tribus istis Theologicis virtutibus hanc quartam illarum filiam pariter & conseruatricem addidit, scribens alicubi, non minus ad pœnitendum quàm sperandum credendum & charitatem exercendam diuinâ nobis gratia opus esse. Hæc de virtute exemologetica, ideo paucis attingere consultum fore visum est, ne quis suspicetur me Christianæ humilitatis, & in non satis agnoscendis humanæ conditionis miseria, inextinguibili concupiscentiæ fomite, & quotidianis defectibus pietatis officij illic parum memorem fuisse, vbi è gentilium veteris Græciæ sapientum, ac nominatim Platonis, Zenonis, Epicuri, & Calliphonis sensu & doctrina, de Summo hominis bono, de virtute & ex illa progenita siuè voluptate, siuè gaudio, siuè tranquillitate & Euthymia commemoraui, illorumq; specie tenus discrepantes ab inuicem opiniones in concordiam reduxi. Quamuis enim supra quoq; aliquatenus attigerim non permitendum

* Luc. 15.

esse, vt per peccatorum commissionem, dummodo è sincerioris religionis nostræ præscripto abolita fuerint, tranquillæ mentis serenitas & benè confidens diuinæ misericordiæ, quieti cordis hilaritudo nobis eripiatur; libuit tamen per non ingratam, vt confiditur, Lectori futuram anacephaleosin eodem reuerti. Magnos igitur auctores secutus, dixi & repeto, nulla peccatorum grauitate quempiam opprimi oportere, quæ, si S. Augustino credimus, etiam *eleuabunt nos, dummodo fuerint infra nos.* Eodem autem pertinet, quod idem alio loco scribit: *Magis placere Deo humilitatem in malo, quàm superbiam in bono*; quibus ab aliquibus non inutiliter
383 adiungentur, quæ idem S. Doctor *de superbis continentibus* alibi scribit. Pro faciendo autem ad ipsum Epilogum huius qualiscunque conatus transitu, hoc vnum addere præmissis non abstineo, tantum abesse, vt nos nimium contristet de delictis perpetratis luctus, eorumq; licet lacrymabunda & flebilis eluitio, vt potius veræ & inæstimabilis lætitiæ fœcunda mater, & inexhaustæ superfœtationis iucundissima regenitrix sit. Quantò frequentiùs enim ad contritionis actus recurritur, tantò vberior cælestium refocillationum ex illis fructus colligitur, ideoque omnibus sinceriori pietati paulò addictiùs deditis auctor & suasor esse ausim, vt horatim saltem, si non crebriùs, ad distinguentes temporum interualla campanarios sonitus, illos repetere & elicere non negligant. Quamuis enim pænitenda homini confiteri, nisi quis, quod & ipsum quoque pium & meritorium est, ea in re supererogatorios actus exercere velit, semel sufficiat, Deo tamen se humiliter submittere, infirmitatem suam agnoscere, de malè commissis apud cordium & renum scrutatorem se accusare, iustissimam supremi vltoris iram deprecari, nunquam vllibi cuicunque nimium esse potest. Ac præterea nimis affectatum, ni valde in hoc fallor, foret, ac vix Hypocriseos suspicione cariturum esset, si quis erga mortalem aliquem istis suspirijs, gemitibus, lacrymis, tunsionibus, prostrationibus, reliquisque externis interiorem pietatem contestantibus actibus illam exhibere & ostentare conetur, quibus se immortali numini, arbitris semotis, subijcere, humiliare, commendatum facere & insinuare, non tantùm quoties ita per diuinæ gratiæ inspirationem libitum est, potest, sed etiam, si salutis suæ negligens esse
384 nolit, debet. In istum finem vtile & salutare fuerit, inter reliquas iaculatorias preces, quibus maturè, dum corpore adhuc sani sumus, assuefieri, summè expedit, eorumque exercitio etiam in familiaribus cum amicis alijsque congressibus, in hominum turba, ipsisq; adeò conuiuijs, dissimulanter & secretò, piè vti possumus, sequentem etiam è sacris literis confessionem familiarem facere & frequentare; Peccaui, iniustè egi, iniquitatem

tem feci, non in æternum obliuiſcaris me *tu, quia pius es*, Domine miſerere; cui hanc Tullianam * ab homine ad Deum translatam & è profana ſacram factam adiunxiſſe non nocuerit: *Ad clementiam tuam*, benigniſſime Deus, *confugio, delictorum veniam peto, vt ignoſcas oro*. Sed à malis culpæ, ad alteram illorum ſpeciem progredior: licèt igitur, nullatenus dubitem veritati conſona eſſe, quæ de ſummo hominis in hac vita bono, deque diuerſorum apud antiquos Philoſophorum circa illud ſententia & dogmatibus protuli & recenſui, eaque iudicioſo Lectori non improbatum iri confidam; facilè tamen, ſi aliter ſe habeat, eaque me ſpes fruſtratura ſit, rem omnem iſtam in medio relinquo. Nec enim tam noſtra refert, quid veteres illi de virtute eiuſque cultura, de vitæ humanæ beatitudine & infelicitate, deque reliquis moralibus vel opinati ſint & ſcripſerint, vel ſentire & docere debuerint, quàm quid nobis de iſtis ſummi momenti rebus, vtpotè non temporis tantùm, ſed etiam ipſius æternitatis felicitatem comprehendentibus, tum tenendum & profitendum, tum opere etiam exprimendum & exercendum ſit. Quod igitur in ſuperioribus, cùm Philoſophicorum veteris Græciæ dogmatum qualemcunque adaptationem ad ſanctioris vocationis & profeſſionis noſtræ inſtituta & placita facerem, de vera Chriſtiani hominis felicitate aſſerui, hoc in loco recapitulationis, & reiteratæ adeoq; firmioris ſtabilitionis ergo, repeti oportere arbitror, nimirum in coniunctione Bonæ Conscientiæ & Statvs Gratiæ illam quærendam & fruendam eſſe, hancq; combinationem ſolam & vnicam, etiamſi reliquis omnibus, vel per ſortis malignitatem, vel propriam voluntatem noſtram, & perfectioris in diuino cultu & ſaluificarum virtutum exercitio vitæ electionem careamus, non minus ad præſentis temporis tranſitoriam, quàm alterius ſeculi omni cariturum terminatione beatitudinem æternorumq; bonorum incomprehenſibilem ſuauitatem abundè ſufficere. Iſtius coniunctionis quiſquis negligens fuerit, peſſimè ſibi conſulet, & in perículoſiſſimo verſabitur ſtatu, eò quòd de nullorum ſalute minor ſpes eſſe poſſit, quàm qui ſine conſcientiæ remorſu cæleſtibus fauoribus deſtituuntur, & Dei gratiâ, per quam ſolam ad S. Pauli exemplum, id ſumus, quod ſumus, carent. Hunc terribilem, & multiplicibus ijsque ſummè flebilibus æternæ damnationis naufragijs infamem ſcopulum, vix vlli feliciùs vitabunt, quam qui ſecundùm S. Pauli ingenuam confeſſionem, & S. Auguſtini ſalutare exemplum (vtriuſque iam ſuis locis meminimus) ac præterea ſecundùm Biblicæ ſcripturæ in hac humilitatis ac de meritis & ſtatu ſuo modeſtè ſentiendi ſchola paſſim nos inſtruentes, & *in viam pacis* pedes noſtros dirigentes doctrinas, quæ itidem, vbi fi-

* Cic. pro Lig.

ei debuit, relatæ sunt, conscientiæ suæ plus, quàm pium & tutum sit, con-
fidere & acquiescere abstinebunt, & in isto ineluctabili, dum in corpo-
re sunt, dubio (reuelationes, quæ raræ & extraordinariæ sunt, excipio)
hâc certiori & infallibili viâ incedant, vt humili infirmitatis propriæ a-
*Ps. gnitione etiam ignota & incomprehensa errata sua & lapsus diuinæ
15. misericordiæ commendent, memores istius Dauidici * : *Delicta quis in-*
387 *telligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.* Hunc quotidiè
& indesinenter ad diuinæ misericordiæ sacram anchoram instituendam ex-
tremè nobis necessarium recursum, idem ille Psalmista & vates regius, toto
psalmorum opere suo fidelium omnium menti præ omnibus ferè alijs seriò
insinuare & inculcare voluisse videtur, quando passim & vbiq; ferè verita-
tem cum misericordia coniungendam esse duxit; qua perpetuâ consuetu-
dine sua quid potest aliud intendisse dici, quàm hoc sequens: Quamuis in
omnibus sacro eloquio, & diuinis promissionibus, tanquam summè in-
fallibilis roboris & firmitatis acquiescere, & fidem dare oporteat, nihil
tamen in illis vllibi reperiri, quod magis inconcussæ & firmioris stabilitatis
sit, quam infinitam misericordiam eius, & illius semper patens vere pæ-
nitentibus gremium. Certè diffiteri nequeo, me hanc rem sæpius valdè
admiratum fuisse, præsertim, postquam huius generis loca, quæ copio-
sissima sanè sunt, enotare cepissem. Afferam ad exemplum, & huius
rei probationem duos tantùm psalmos octuagesimum octauum, & cen-
tesimum sextum decimum, quorum posterior, licèt non nisi duorum ver-
suum sit, hâc tamen sacratâ, & consolationis plenissimâ copulatione non
388 vacat, alter sexies eandem repetit. Hoc infallibili Christianæ securitatis
fulcro subnixi, solidum ponimus veræ felicitatis, tam pro hac, quàm pro
futura vita fundamentum; nec quicquam isti insistentibus nocebit,
quamuis reliqua omnia nobis absint, præeunte nobis exemplo suo è præ-
*Ps. cipuis pietatis magistris, qui toties mihi testis aduocandus fuit, Dauide
72. Rege, * quando Deum alloquitur: *Domine, quid mihi est in cælo, & à te
quid volui super terra.* Quorum verborum hic sensus est, dummodo te ha-
beam, nihil est, quod præterea desiderem. In eandem sententiam à S.
Paulo dictum est, de pietatis & sufficientiæ, siue quod idem est, a-
nimi suâ sorte contenti, quæstu magno. Eadem mens S. Thomæ Aqui-
natis fuit, quando sanctorum operum suorum non aliam, quàm ipsum
Christum Dominum mercedem petijt. Felix igitur ille, imò terque qua-
terq; & amplius beatus, qui isto præmiorum omnium optimo à supremo
numine donatus & ditatus est, & afflictionis tempore in medijs aduersi-
tatibus illius memor esse didicit; & cum sæpius memorato mihi san-

ctissimo & secundùm Dei cor efformato viro, quàm potest, operam adhi-
bere non obliuiscitur, vt corde & ore verè possit dicere: *Secundùm multitu-
dinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tua latificauerunt animam
meam*. Idem piè ruminatus fuit, suumque fecit, cuius in Summis cruciati-
bus vox, & ad Deum precatio fuisse memoratur: *Addas doloribus, dummo-
do patientiæ non detrahas*. Hæc & eius generis alia, quæ è sacris literis, Eccle- 389
siæ scriptoribus, martyrum, aliorumque sanctorum vitis abundantissimè,
sunt enim plurima, peti possunt, pijsolatij & salutaris instructionis ple-
nissima sunt, nec habent omnium gentilium, siuè illi Philosophi, siuè alij
sint, auctorum scripta, quòd illis comparari, nedum anteferri dignum
sit; eaque de causa magno merito suo istis profanioribus præferenda
sunt, ne videamur, quid æra, secundùm prouerbium, lupinis distent, i-
gnorare, & inter sacra & alia discriminis nescientes esse cognoscamur. Inte- 390
rim hoc quoque, eorum, quæ suo loco expendimus, intuitu, negari non
potest, Ethnicorum de moribus scripta, non tantùm in Christiana vir-
tutum schola vsui esse, sed etiam cum sacrorum veræ pietatis doctorum
nostrorum lucubrationibus rectè & salutariter coniungi, nec constringi
nos necessitate aliquâ, illa ab inuicem discriminare, & non nisi separatim
de vno quoque tractare. Hoc maioris cautelæ causâ, paucis memoran-
dum esse duxi, ne quis suspicetur, me in hoc discursu meo non nisi impe-
ritam quandam confusionem instituere, & sacra profanis, humanis diui-
na, temerè permiscere voluisse. Non enim illud, sed hoc alterum mihi
propositum fuit, vt factâ inuicem, à proposito non aliena, sed rem tracta-
tam apprime illustrante, collatione ostenderem, quæ sit veteris Gentilium
Philosophiæ cum sacratiori nostra conuenientia, & in quo vicissim inuicem
differant; Quod cùm omnibus notum esse, & probè obseruare, vtile est,
tam vel inprimis expedit Philosophiæ studiosis maturè innotescere, eiusq; 391
rei doctrinam nec in ipsis scholis negligi; ne putetur, alia & diuersa esse
à Theologicâ Philosophica veritas, eò quòd impossibile sit, illam multipli-
cem esse, quæ per rerum naturam, non nisi simplex & vniformis esse potest;
atque hâc ratione non sine graui Christianæ pietatis periculo & dispen-
dio, postquam ad res Theologicas deuentum fuerit, sacram doctrinam
nobis quodammodò suspectam faciat, quod illis inconuenientia & con-
traria siue priuato studio, siuè publicâ institutione ex Aristotele, Platone,
Zenone, alijsque didicerimus, Causa huius mali illa præcipua esse videtur,
quòd pluris à nonnullis fiant, & in maiori respectu habeantur Gentiles 392
Philosophi, quàm deceat & pium sit, nec ita falsò persuasi contenti sint,
priuatim opinionibus suis indulgere, sed etiam alijs disciplinæ suæ com-
missis

dilexit nos. Certus enim sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neque Principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neque Creatura alia, poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Deo Domino nostro.

Pauculæ Annotationes suis quibusque, qui asscripti sunt, locis inserendæ.



D *pag. 3. num. 16.* De nouæ Academiæ auctore non videntur vsque adeò inuicem consentire, qui eius meminerunt, dum alij Lacydem, alij Carneadem præferunt. Accuratiùs re perpensâ placet Ciceronis sententiam amplecti, qui in Carneadem inclinat, quamuis Laërtius disertis verbis Lacydem nouæ Academiæ Principem dicat.

Ad pag. 56. lin. 7. à fin. Quæ hoc loco posita sunt de habitu fidei per operationes siue actus præcedentes acquirendo non debent ita accipi, quasi illis contrarientur, quæ Theologi de habitu infuso & fide diuino munere homini data verissimè docent, & in sacra scriptura in terminis, vt vocant, referuntur. Nec facit quicquam ad rem, de qua hic agitur, differentia ista, siue acquisitus, siue infusus dicatur esse fidei habitus, vtroque enim casu verum manet, non ipsum habitum, sed actiones eius coram Deo nos iustificare. Nec dictu absurdum est per subsequentes infusæ diuinitus fidei operationes magis magisque stabiliri, nec deinceps in solius infusionis terminis persistere, nisi ab illa omnis liberi arbitrij cooperatio excludi debeat, quod hactenus nulli Orthodoxorum tentatum aut probatum est.

Ad pag. 106. lin. 3. à fine post verb. præfecit. Huc etiam pertinent Caroli V. Imperatoris elegantes admodum & prudentissimæ moralitatis à singulis planetarum sumptæ similitudines, quas in vita eius Guilielmus Zenocarus Belga refert, & ex illo mutuatus est Abraham Bucholtzerus, qui Chronologico Indici suo inseruit. Sed ante omnes hanc naturalem de moralibus scholam regius Propheta aperuit in antepenultimo psalmo suo, qui Cælum & terram omniaque illis contenta ad diuinarum laudum decantationem inuitat & aduocat; quem postmodum Israhelitici in generosa impijssimæ Idolomoniæ abominatione triumviri in medijs Babylonicæ fornacis flammis Cantico suo pijssimè æmulati sunt.

Ad pag. 107. n. 266. Hæc humanæ rerum cognitionis imperfectio non in solis naturalibus rebus animaduertitur, sed quibuscunque alijs studio-

rum

rum generibus siuè partibus cum illis communis est, eamque nec ipsimet illorum Sectatores dissimulant. Theologiam enim quod attinet, pertinet huc S. Gregorij magni dictum: *Fidem non habere meritum, vbi ratio humana prabet experimentum*; Cui concordat ipse sacer textus Biblicus docente nos Apostolo: *Captiuandam esse rationem sub obsequium Christi.* De Iurisprudentia superest veteris Iurisconsulti confessio: *Non omnium, quæ à maioribus constituta sunt, rationem reddi posse.* Ad artem medicam pertinet nobilis illa Hippocratis querela, à qua aphorismos suos orditur: *Vita breuis ars longa, occasio praceps experimentum periculosum, iudiciorum difficile* Facit huc quoq; ingenua philosophorũ confessio; *in natura multa esse occulta.* Deniq; philologiam & humaniorem literaturam quod attinet, tantùm abest etiã in hoc studio ad omnimodam rerum omnium scientiã perueniri posse, vt Quintil. affirmare non dubitet, *inter virtutes Grammaticæ esse quadã ignorare.*

Ad pag. 109. *lin.* 5. Paulò rudiori Mineruâ terræ Diameter hoc loco dimensus est, qui tamen milliaria mille septingenta ad minimum excedit & superat, præcisè autem designari nequit, eò quòd peripheriæ & diametri inter se naturalis improportionalitas obstet.

Ad pag. 125. *lin.* 8. *à fine.* Quæ de Macedonico erroneè hîc referuntur, ad filium eius Metellum Numidicum pertinent, quem L. Appulei Saturnini tribunitia seditio in exilium eiecit.

Pag. 130. *lin.* 11. *à fine.* Dictum hoc Bianti Pryeneo sapientum Græciæ quarto Val. Max. asscribit lib. 7. cap. 2.

Ad pag. 141. *lin.* 12. Duplex hoc loco error personæ & temporis corrigendus est; quæ enim de iuniore Dionysio referuntur ad cognominem patrem eius pertinent, nec contigit historia illa sub tempus Platonici è Sicilia abitus, sed post primum eius ex illa reditum Athenis tum temporis philosopho commorante, vt constat è Laërtio in vita eius.

Ad pag. 158. *lin.* 8. Refert hanc Historiam Valerius etiam Maximus lib. 7. Cap. 2. qui itidem Regem istum innominatum transmittit.

ERRATA.

P*aginâ* 1. *lineâ* 15. *lege* coner. *Ibidem lin.* 20. ferè. *P.* 2. *l.* 4. antiquos *Ibid.* 21. prætactatum. *P.* 3. 18. Potamonem. 4. 2. *à fine* à Cynica. 5. 10. *à fine* Epicurei. *Ib.* 5. *à fine post* duobus *adde* typorum beneneficio in publicum dedit. 6. 4. *post* conflictibus *adde* opusculo. 8. 8. *l.* Carchedonium. 10. 13. *post* eodem *adde* quo. 15. 26. *post* tristissimus *adde* fuerit. 17. 14. *pro* quos *pone* qui. 13. *à fine pro* agitante, &c. *pone* sunt & commercia cœli. 23. 12. consectaneos. 24. 10. *à fine* cæcidi. 25. 5. Pyladis.

34. 3. proparasc. 35. 21. progeniei. 41. 7. *pro* miseræ *pone* longæ. 11. *à fine*
redimit. 44. 18. expertia. 45. 21. offensæ. 47. 11. *pro* qui *pone* quæ præ-
termittens 7. *à fine* probet. 53. 18. illo. 57. 20. hæc quoque maneant & in-
conuulsa persistant. 61. 21. *post* quemquam *adde* his duobus demptis. 64.
10 boni seu beatitudinis quæstionem dog. 65. 19 exhibendæ. 69. 3. *à
fine* amicitia. 70. 3. *dele* in aliquo. 6. *l.* doctorem. 78. 4. quæ non in statu,
sed in motu 80. 18. & Antioch. 21. *post* puto *adde* constituisse. 82. 13 *dele*
esse. 15. *lege* pertinent 85. 4. *à fine* quæ ipsimet Chrysippo probatur. 86.
2 *à fine* fortissima. 89 4. *à fine* agendo. 90. 23. quod. 6. *à fin.* deberi. 93.
14. *post* neminem *add.* illorum. 95. 19. *l.* percipiat. 96. 5. *à fin. post* medicinam
adde conuenire puto. 97. 8 *à fine in marg. p.* 241. 98. 18. *à fine post* studuerunt
add. se vinci sinat, illisque 99 1. *pro* cupere *pone* tent. 103. 15. *l.* acuminatis.
9 *à fine* & temp. 4 *à fine*. flexibili. 104. 1. æquè enim faciunt tam ad. 106.
14. Aldrouandi. 109 8. *dele* se. 110. 2. *dele* non minùs 19. *l.* mirifica. 10. *à
fine* vsu & solatio. 8. *à fine* oculis 112. 5 fruticibus. 11. *post* syderum *add.* ma-
gnitudinem. *pag.* 114. *lin.* 17 *à fine lege* contradictionem. 116 19. feraci.
ibidem lin. 3. *à fine pro* communem *lege* communiter. 117. 11. *dele*
tam. 8. P. Egnat. 12. *post* tempore *adde* exerceantur. *l. fin. dele* Sed 123. 24. *l.*
tenuem. 1:9. 11. *pro* autem *lege* enim. 20. Hetrusco. 22. Synchroni. 25. ro-
strata. *Ib. post* proœmium *adde* ac. 131. 7. *l.* iuniori Thuano. 14. caput deriu.
17. complurium. 23 infelicitate. 9 *à fine* alterum. 134. 9. *pro* eam *lege* illud.
135. 29. suis expedire, eaque deinceps vit. 136. 3. vtrobique. 5. *post* quoque
adde via. 10. *lege* quam quis. 5 *à fine* valeat. 138 14. vt & aliq 23. censuratio-
ni. 140. 1 obligatam. 2. *à fine* locum habet. 142. 5 maximæ. 9. *à fine* ma-
lorum & 143. 6. de proprijs. *ib. post* clangoribus *adde* tympanorum stre-
pitu 9. *à fine l.* Tullius ait. 144. 13. promittantur. 18. Apollinea. 21. venit. 11.
à fine dele quam. 5. *à fine dele* omnem. *Ib. in margine ponatur num.* 345. 146.
4 inculpatè actæ. 147. 7. *à fine* ac si quis. 148. 8. Sen. grauibus & inn.
150. 11. *à fine* le dest. sustineant. 154. 15. vernaculus. 155. 3. certissimè cla-
ret. 9 vt & seq. 3. *à fine* minor esse mel. 156. 11. possunt tamen. 14. *à fine*
magistratui. 159. 15. *à fine* probandum. 160. 7. *pro* tandem *lege* vlterius.
12. chr. talia impiè. 13. *à fine* sunt. Istis enim. 161. 22 auctocratiam. 162.
16. *à fine post* prætereat *adde* huius principis calamitatibus. 15. isto. 163.
21. inuenias. 8. *à fine* Neoptolemi. *ib.* imitemur. 164. 7. debitum. 12.
summi. 23. malitiam & peruersitatem. 168. 1. Christianæ 4. propria 167.
11. iudicent. 168. 9. quemadmodum. 169. 6. *à fine* semper etiam. 172. 9.
à fine conaretur. 173. 22. quærendam. 176. 12. Aristoteli. 13.
adolescentia occupantur, si. 18. est sed magn.

FINIS.

